TOMVS IIII,

RERVM GESTARVM, QVAE INCVRRERVNT IN MAXIMILIANI II. CAESARIS IMPERIVM: VNA CVM EPITOMA RERUM,

quæ ſub eodem Cæſ. nimirùm ab anno Domini M. D. LXV. vſq; ad annum Domini M. D. LXXII. varijs in orbis Terrarum plagis actæ ſunt.

AVTHORE,

D. Simone Schardio Iuriſconſulto.

AVTHORVM, OPVSCVLORVM ET LIBRORVM, QVI IN HOC QVARTO Tomo continentur, ſubſequens pagina indicabit.

B A S I L E Æ.

AD LECTOREM, in Quartum huius Operis Tomum, Præfatio.




VM ſumma & periocha huius Tòmi, conuenientia cum præcedentibus duobus, ſeriesq́ rerum ſuprà in Præfatione in ſecundum Tomum ſint expòſita, eorum explicatione & repetitione hic ſuperſedere uiſum eſt: Nam commodè Lector inde ea huc referre poterit. Ad Epitomen uerò quod attinet eam in hoc quòque Tomo D. Simon Schardius à principio anni Domini milleſimi quingenteſimi ſexageſimi quinti, de rebus ſingulorum annorum uſque ad uigeſimum primum diem Iulij, anni Domini milleſimi quingenteſimi ſeptuageſimi ſecundi perduxit, ſine dubiò eam ita continuaturus, ſi ei huius lucis uſura diutiùs frui licuiſſet. Sed dum Typographo ſpem facit, ſe eam in proximè ſuperioribus ferijs canicularibus ad id uſque temporis completurum, ecce inopinato uigeſima prima die Iunij, in febrim & colicos dolores recidit, uſque uigeſimo quinto die eiuſdem menſis oppreſſus moritur, magna cum ſtudioſorum hiſtoriæ iactura: cum ſeptem ferè annos ampliſsimò Aſſeſſoris Cameræ Imperialis munere functus eſſet, ante uerò annos aliquot apud Illuſtriſsimum Principem D. Vvolffgangum Palatinum Rheni Boiariæ Ducem & Comitem Veldenſem conſiliarium egiſſet. Quod reliquum eſt, Typographus rogauit uirum quendam bonum & in hoc ſtudij genere multum

diúque uersatum, ut in eodem instituto progredi & quæ desiderantur perficere uelit, qui eidem se id eniturum, quoad eius per occupationes sibi licuerit est pollicitus. Bene Vale, Calendis Augusti anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo quarto.

Authorum, opusculorum & librorum, qui in hoc quarto Tomo continentur, Elenchus.

Catalogus.

INDEX COPIOSISSIMVS, RERVM GESTARVM, VERBORVM, PRAELIORVM, MOTVVM, EXPVgnationum diuerſorum locorum, omniumq́ actionum, quæ in hoc Tomo IIII. Hiſtorici Operis comprehenduntur.



nomi-

cato-

Cas-

fuſta

crum

herman-

iaco-

Tarta-

Q

R

T

Valen-

Finis Indicis huius Tomi IIII.

TOMVS IIII.

RERVM A TVRCIS IN INSVLA MELITÆ GESTARVM HIERONYMI COMITIS ALEXANDRINI

Tractatio.



QVI se in altifsimum miseriarum, calamitatumq; humanarum pelagus incidisse sentit, neq; tamen imbecillitate naturæ, inopiáue ingenij circumstantium calamitatum, & infortuniorum magnitudine mergitur, hic unus uerè constans existimari potest, omnēq; salutis, & uitæ suæ spem in Dei uoluntate statuisse. Quis enim sapiens posit appellari, cuius uoluntas à Diuina prouidentia dissentiat? aut qui non omnia nostra diuinitus, nisi quantum nos resistere conamur, gubernari putet? Atqui tametsi Deus uiros bonos aliquādo uexari, molestiarūq; procellis agitari patitur, ut eorū fides & constantia ante oculos omnium elucescat, tamen eos nō penitus deserit, sed cùm magis opus est, & cùm propius periculo accessisse uidentur, tum Deus omnibus conspicuum facit quanta diligentia nos, nostraq; omnia tueatur. Præclarum autem eius, quod dico, fuerunt argumentū res Melitensium gestæ. Nam cùm potentissima Turcarum classis insulā Melitæ obsidione nuper cinxisset, Iehanus Valettanus equitibus religionis Sancti Iohannis præfectus, id sentiens, primùm, uti par est, omnē bellorum euentum in diuina uoluntate situm ratus est, deinde se ad omnia quæ forent ad arcēdas hostium iniurias necessaria diligētissimè accinxit. Nam sacris prius ritè peractis, omnibusq; militibus in opportuna præsidia distributis, præclarum & religionis, & militaris peritiæ exemplum suis exhibuit. Hic, cùm classis Turcica tantā haberet nauigiorum multitudinem, tot, tantaq; bellica tormenta, tantum rerum omnium apparatum, tantum lignorum numerū ad aggeres extruendos, ut quemuis Christianorum principē, ne dum Melitēsium animos, metu posset facilè consternare: intrepidus tamen aduersus tantā periculorum, laborūq; molem perstitit: atq; quod magis est admirabile, non solū fortiter se perpetuorum hostium Christiani nominis impetum sustinere posse sperauit, sed certissima spe uictoriæ statim illius animus exarsit. Tum equites omnes Melitensis militiæ, ac stipendiarij milites ita animis confirmati sunt, ut uel sibi in pugna fortiter moriendum esse decreuerint, uel mœnia, & religionem, & Christianū nomen, & gloriam Italicæ laudis fortiter defendendam. Sed quoniam omniū bellorum, quæ unquam gesta fuerunt à Turcis ad hunc usq; diem, hoc atrocissimum & asperrimū esse iudico, cùm neq; ulla oppida breuiore spacio temporis tam crebris oppugnationibus tentata, neq; tam asiduis laboribus infestata, neq; tantis apparatibus uexata unquam memorentur, neq; contra tanta oppidanorum animi magnitudine, uel tanta rei militaris peritia, uel tanta diligentia defensa, me operæ prçcium esse facturum censeo si res à principio, quomodo gesta sit, pertractauero. Iam primū omnium manifestū esse puto, pprias

Quis uerè constans.

Quare Deus permittat ut boni & fideles molestiarū procellis agitentur.

Iehanus Valettanus equitum religionis S. Iobannis præfectus.

Exemplum religionis & militaris peritiæ.

Equitum Melit. fortitudo & alacritas.

Bellum Melitēse omnium bellorū quæ Turca gessit atrociß.

inter Turcarum Imperatorem, & Melitẽſis militiæ Equites inimicitias interce dere, cùm perpetuæ reſideat in animis illorum iniuriæ memoria, quam à Philippo Lalidamo militiæ Magiſtro acceperant. Nam aſsidentibus inter ſe Chriſtianorum armis, principibuſq́ inteſtinis bellis occupatis, ſatis aptam gerendæ rei occaſionem Turca ratus, Rhodum antiquam eorum equitum urbẽ ducentis armatorum millibus oppugnauit, tantis tamq́ miſerandis operibus, & cuniculis, ut deſperatis auxilijs deniq́ in deditionem compulerit. Nam Turcæ ſatis aptam inimicitiæ opportunitatem religionis ſimulationem arbitrantur, ubi rapinæ, & imperij dilatandi ſpes apparuerit. Tunc enim, ubi fortuna rei feliciter gerendæ illis arriſerit, incredibili propagandæ religionis deſiderio inflammantur. Eius acceptæ iniuriæ memores Equites nonnulla nauigia Turcarum mercemonijs onuſta ceperunt, ut hoſtium, uel æquites contemnentium & minimè Chriſtianas uires formidantium, uel illatæ iniuriæ oblitorum. Sed quoniam omnis iactura grauiſsima eſt illi, qui res alienas rapere tantum conſueuit, ſuaſq́ diuitias perpetuis rapinis locupletare, has iacturas grauiter ferebat Imperator, quare inſulam Melitam occupare, aut funditus euertere omninò conſtituit. Fit igitur certior per literas militiæ Melitenſis magiſter Valettanus, quæ Byzantij agerentur, quòd nunquam intermiſsis operis ſumma diligentia Imperatoris iuſſu nauigia omnia, quotquot comparari poſſint, inſtruuntur, quodq́ ingentem claſſem, maximeq́ rebus omnibus inſtructam neceſſarijs eſſet ad Meliten expugnandam emiſſurus. Illud autem fiebat per exploratores, quos magnos ſumptibus habebat Byzantij, ut indies de rebus omnibus, & de Imperatorijs apparatibus certior fieret: quoniã bona pars eſt uictori in hoſtium uiribus cognoſcendis, quod per nullos, quã per ſpeculatores, fit commodius. His igitur acceptis nuntijs minimè territus magiſter Equitum, neque tantarum rerum nouitate turbatus ad ea comparanda animum adiecit, quæ forent tantis uiribus repellendis neceſſaria: ac primum ſuis ad concilium conuocatis ita locutus eſt. Nemini ueſtrum proceres obſcurum eſt quanta Turcarum Imperatoris ſit arrogantia: qui omnes cæterorum principum uires leuiſsimas in ſe eſſe arbitratur. Neque profectò ueſtrum quempiam latet, quanto nos odio illi auariſsimo, & crudeliſsimo tyranno eſſe conueniens ſit, apud quem nulla ſit illaturum, ſed tantùm acceptarum iniuriarum opinio, apud quem nullus eſt iuſtitiæ locus, cùm ampliſsimus auaritiæ, & libidini pateat. Is igitur potentiſsimam claſſem ad inſulæ noſtræ oppugnationem magnis apparatibus iam propè inſtruxit, qui cùm ſibi uideatur princeps iuſtis inferendis iniurijs, quantò nos iuſtiores erimus illis propulſandis? atqui omnis iuſtitię nõ ſolùm author, ſed etiam adiutor eſt Deus: quo duce nullas neque hoſtium minas, neque bellicorum tormentorum multitudinem, neque admirabiles apparatus, neque inſtructarum acierum impetum uereri debemus. Nam omnia mortalia facilè ſuperat ſcelerum omnium ultor Deus. Nobis igitur omnibus alacri animo utpote æquitatis noſtræ ducem Dominum Deum noſtrum habentibus animus eſt ad cõparandas res tantis uiribus repellendis neceſſarias adijciendus, Deoq́ immortales gratiæ habendæ ſunt, qui tam præclaram oſtentãdi, quanta ſit in nobis & prudentia, & fortitudo in celeberrimo terrarum orbis ſpectaculo, opportunitatem præbebit. His auditis tantus laudis ardor in animis ſingulorum exarſit, tanta lætitia, tantum eius opportunitatis deſiderium, ut etiam nimis tardus aduentus hoſtium fore uideretur. At contra Turcarum Imperator ad concilium & ipſe præſtantiores proceres ſuorum conuocauit, ad quod ubi circiter ſexaginta cõueniſſent, quos Baſſas ac Rays uocant, inter hos ita Turcarũ Imperator locutus eſt. Equidem nullum munus, neq́ magis Imperatoriũ, neque magis ad conſeruanda regna accommodatum eſſe iudico, quàm prouidere, ne ulli ſubditorum

Aliena rapere iactura grauiſsima.

Bona pars uictoriæ in hoſtium uirib. cognoſcẽdis ſita eſt.

Arrogantia Turcici imperatoris.

Turca concilium conuocat.

ditorum fiat iniuria,& ne ab externis præcipuè nationibus infestentur, cũ tu-
tò,legitimeq; uiuendi ratio,non solùm nostras ciuitates in officio retineat,sed etiam alias æquitatis,& quietis desiderio alliciat.Neque nostræ dignitatis sanè est,ut desides æquo animo feramus nostros à Christianis piratis nulla habita nominis nostri reuerentia uexari,eorumq; facultates pro libidine cuiusq; diripi.Nihil igitur mihi uel iucundius,uel gloriosius uideri solet,quàm assidu as nostrorum lamentationes non negligere,& eorum præcipuè qui ad Orien tem Mauritaniamq; Melitam insulam uersus nauigant,qui assiduè de crucigeris illis Melitensibus Equitibus conqueruntur. Verum cũ uobis notum sit nullum damnum nos magis aliunde,nullumq; dedecus commouere, in hac re explicanda non ero lõgior.Illud tantũ dicam,quòd sicuti equites illos Rhodo capta procul à nobis esse uoluimus,& profugauimus, ita nunc ut piratas & maritimos latrones simulata specie religionis illos ex insula profligare, & eorum nomen pro uiribus penitus delere decreuimus. Nam quo pacto religio illa,quæ leges nostras euertere conatur, à nobis quiescere relinquetur, si esse ij uolumus,qui esse debemus. At huc quotidianæ accedunt iniuriæ,quibus assiduè irritantur: quare quantamcunq; potuimus classem studiosè comparauimus,quam ad illam insulam expugnandam mittemus,cũ primùm uernum tempus arriserit.Mandauimus idcircò,ut piraticæ omnes,prædatoriæq; naues eo tempore rebus omnibus instructæ ad hanc oppugnationem conueniant.Concedet eo rex Algerij. Alexandriæ præsidia,instructa sunt omnia Draguti nauigia: neque aliud quidquam reliquum est, quàm quomodo insula expugnanda sit,constituere. Atque ut melius sententiam ferre unusquisque uestrûm possitis, en adest forma & eius insulæ,& munitorum in ea locorum,diligenter expressa, cum res ab illis proceribus diligenter considerata fuisset,qui Melitensis insulæ situm cognouerant,omnia,quæ uiderentur expugnationi illi opportuna,explicarunt. His igitur cognitis deliberatur ut classis quàm citissimè discedat,quàm primùm per anni tempus liceret. Dum hæc geruntur Byzantij in Melitensem concilio antequam discederetur,decretum fuit quid,& per quos,& quo pacto agendum esset aduersus Turcicæ classis obsidionem. Atque Imperator Italus & Bornays Gallus ambo Equites religionis,& commendator Aragonius muniendis locis præficiuntur. Hi statim ad destruenda & solo æquanda omnia ædificia animũ conuertunt,& ad prosternandas arbores, & ad omnia euertenda extra loca munita,quæ poterant uel nostrorum prospectum impedire,uel aliquod commodum hostibus afferre. His ita peractis animum adijciunt ad illa quæ interitus spectant muniẽda magnamq; commeatuum copiam,& plumbi, & funiculorum,& pulueris tormentarij,& globorum,& reliqui apparatus in oppida comportari undiq; curarunt,cisternas omnes iusserunt dulci aqua repleri, nequid omninò diuturnè obsessis posset deesse. Est autem Melite insula in mari Aphrico,quæ Siciliam spectat in Septentrionem, at in Meridiem Aphricam: tantundemq; distat ferè à Lylibæo quàm à Pachino Siciliæ promontorijs,uicinior tamen Pachino,nec sane propinquior est multo Siciliæ quàm Aphricæ.Hæc fertilis est, & à Carhaginensibus antequam Siciliæ imperium inuaderent, nobilissima ciuitas in ea ædificata, quam Melitam uocant. Nam illam opportunam ad classes capiendas fore Carthaginenses arbitrabantur,cùm portus habeat duos intra se capiendis classibus multis peraccommodatos: quorum alterum nunc Marsamusettum uocant, alterum Maiorem portum. Efficiunt hos portus sinus maris in ipsam insulam ingredientes,qui angustias habẽt primùm, deinde os ingressis dilatatur,atque nonnullas partes insulæ faciunt peninsulas cùm in mare protensæ exiguo terræ spatio adhæreant insulæ. Inter hos portus incurrit spatium quoddã terræ ad mille passus latum,cuius in ea parte

Alexandriæ præsidia.

Quid in concilio Byzantij habito decretum sit.

Cisterni dulci aqua implentur.

Situs & forma Melitæ insulæ.

Melita urbs à Carthaginensib. ædificata.

quæ mare Siculum Pachynumq; spectat,& mari ipsi exterius est contigua locus munitissimus fuit,hunc sanctum Elmum appellarunt. Interius uero in alio portu cum tres emineant peninsulæ,in illa quæ magis est utrinque à mari longinqua nullum situm fuit oppidum. At in mari Siculo uicinore inexpugnabile prope oppidum,quod sancti Angeli uocabant, exiguo spatio à uocato Burgo disiunctum. In media harum,oppidum munitissimum fuit, uocatum sancti Michaelis,de quibus omnibus suis locis dicemus. Cum summa igitur diligentia Turcarum classis instructa fuisset,uela uentis explicarunt, & Melitam uersus iter arripuerunt,ut primùm satis apta cœli tempestas uisa est. Sed quoniam nihil magis est obscurũ quàm illorum animus, qui uniuersam felicitatem & æquitatem & gloriam in multis possidendis,& undiq; diripiendis collocarunt,neque ulla magis est contra quæ animum excitet, suspicio, quàm quæ ad imperium pertineat,his auditis Garzias Toletanus uir rei militaris peritissimus & singulari ingenio,ueritus est, ne simulata Melitæ obsidione statim iter ad Galathen Turcica classis conuerteret, quare oppidum illud quàm munitissimum esse uoluit,& ad omnes fortunæ euentus paratissimum: est enim Catholicarum triremium omnium præfectus, hunc Philippus Prorege Siciliæ creauerat. Id oppidum cum diligentissimè recognouisset,ac muniuisset,reuertitur in Siciliam Toletanus,ut suam classem & ipse pro uiribus instrueret. Cum Peloponnesum uersus nauigans Turcarum classis Methonem applicuisset,Mostapha summus terrestrium dux copiarũ omnem suarum cohortium numerum recensuit. Affuerunt illi ex Aphrica minore, Spachium uocatorum septem millia,sunt autem Spaches dicti apud Turcas qui perpetua equis merentur stipendia, quibus dux erat quidam prorege, quẽ illi uocãt Sangiacũ ex Aphrica minore:affuit & alius Carmaniæ prorege cũ quingẽtis millitibus.Alius Mitylenæus cum quadringentis, affuerũt cum ab ipso Imperatore delectis ex ipsis ducibus duobus ad eam expeditionem, quatuor Ianizerorum millia & quingenti, (nam prætorianis cohortibus omnibus præfectus & dux summus, quem illi Agam uocant,nunquam discedit Byzantio) qui ordo omnium Turcarum fortissimus habetur, quippe cum à teneris ad militiæ munus sint delecti, semperq; in rerum militarium exercitatione educari. Affuit & magna illorum multitudo Turcarum, qui tanquam sacerdotes redditibus ad templa spectantibus potiuntur: qui se ultro Imperatori obtulerant,& religionis,& Imperij,& legum suarum causa Christianis arma illaturos professi,quorum erant in classe tredecim millia. Affuit è Peloponneso alius Prorege,cum mille & ducentis spachibus. Affuerũt & eorum qui spe prædæ è uarijs locis classem sequebãtur,tria millia,& quingenti,qui in prædatorijs nauibus cõuenerãt. At Pialis Bassa classi uniuersæ præfectus & ipse ante quàm Methone discederetur, suorum nauigiorum numerum recensere uoluit. Erãt illi triremes munitissimæ centum & triginta,Mahonæ octo: sunt autem Mahonæ naues ampliores conuehendis commeatibus,& militaribus apparatibus accommodatæ tria nauigia quæ uulgò appellant caramussalos, minora sunt autem onerarijs nauibus,& figura prope ouali prora acutiore,quæ frumentaria nauigia antiquis appellata fuisse crediderim. Naues onerariæ duodecim Byzãtio discesserant,at una earum non procul à Methone naufragium passa est, in qua sex cadorum millia pulueris tormentarij plenorum, tredecim globorum ferreorum millia, quadringenti Spaches demersi sunt. Aderant & triremes Rhodi præsidiariæ decem cum illarum præfecto Aliportho. Duæ præterea quæ Mitylenæ conuenerant,his præerat Salareys frater Regis Algerij nuper defuncti.Aderant & Lyburnicæ naues, & Hemioliæ.& Scaphæ decem & septem.Sic igitur instructa potentissima Solymanni classis ita felici clementia cœli usa est, ut cum tertio idus Maij Methonem

Turcarũ animus obscurus.

Garzias Toletanus.

Aga præfectus cohortibus præfectorianis.

Caramussali quid genus nauium.

thonem reliquerit idibus procul apparentem Melitæ insulam uidere cœpe-
rit, atque die tertio in portum Marsasiroccum delata, quem primum occupa-
uit, non sine magna maris molestia stationem habuerit. Sed cum ibi non sa-
tis tutò triremes esse possent, ad locum quem Maiorũ uocant, quæ alia est in-
sulæ pars, se recipiunt. Eo tempore nondum Draguti uires Turcarum classi
accesserant. At pridie eius diei Maurus quidam, quem Valettanus in Aphri-
cam miserat, summa celeritate ex Aegimo Melitam nauigauit, qui significa-
uit Dragutum ingentia nauigia instruxisse, inter quæ tres erant quinquere-
mes, ac triremes duodecim, neque aliud expectabat, quàm ut à præfecto clas-
sis accersiretur. Idem significauit biremem ad Tunetis Regem missam fuisse
à Draguto, qua is Maurus ex Aegimo ad Galathen uectus fuerat. Vehebãtur
ea biremi quatuor bellica tormenta muralia ad ipsum Regem Tunetis unà
cum multis alijs muneribus, qui cum eius belli societatem aduersus Christia-
nos se nolle inire significasset, se aliquam partem annonæ Turcis cõcessurum
dixit, quamuis & ipse aliqua penuria laboraret. Ex hoc cõiectare facilè possu-
mus Turcas prius habuisse in animo Galathen insulam expugnare, deinde
cum hac accesione uirium, quæ è commoditate loci cõparabatur, ad reliqua
penetrare. Non defuerunt tamen qui militarem calliditatem illam fuisse Tur
carum arbitrati sint. qui ut magis inopinatos Melitenses inuaderẽt, rumorem
dissiparunt, & in uulgus dederunt, quod Galathen essent inuasuri. Sed quan
ta est latronum astutia aggrediendis uiris bonis, tanta est prudentia plærunq;
bonorum latronibus & repellendis & profligandis. Nam ad omnes fortu-
næ euentus iam multò antea instructi erant adeò Melitenses, ut nullus neque
bellicus apparatus, neq; quod maximum est præcipuè præsidium obsessis ci-
uitatibus, animi magnitudo, & incredibilis in tolerandis militaribus laborib.
constantia deesset, quod facilè erit unicuique ubi res gestæ Melitensium ex-
plicatæ fuerint, dijudicare. Atque ut sciatur quibus uiribus freti Melitẽses tan
tas, tam asiduas, tam crebras Turcarum oppugnationes sustinuerint, earum
cohortium numerum quæ in præsidijs Melitæ insulæ fuerunt collocatæ, bre-
uiter recensebo. Erant ibi Neapolitani trecenti, Hispani, Galli, Etrusci, ad mil
le, è triremibus Melitensis religionis, ad mille, quingenti erant intra Burgum,
eorum qui è finitimis uillis in urbem se receperãt, & ciuium insulam incolen-
tium, sex millia, atqui omnes hi uiri omninò bellicosi & sclopertarij peritissi-
mi aderant, & quingenti equites Melitensis militiæ, & non inutilis huic mili-
tiæ sacerdotum numerus, quæ omnia præsidia, uel ante hostium aduentum
in opportunas oppidorum, locorumq; munitorum stationes fuerunt diuisã.
Erant in urbe Melita ducenti pedites, & quadringenti ex uniuersa insula le-
ctissimi, ciuesq; complures, quibus erant equi trecenti cum satis magna pabu
li copia. His præfectus erat eques militiæ Melitensis, quem Vagnonem uo-
carunt. His tot defensoribus, & rebus uictui & pugnæ necessarijs insula erat
instructa, omnesq; quasi præclarè gerendarum rerum gloriosam opportuni-
tatem Turcarum aduentum expectabant. Deinde cùm per nuncios acce-
pissent uiginti & septem Turcarum triremes in portum Marsasiroccum appli
cuisse, è quibus exposita fuisset magna manus peditum, è uestigio Melitensi-
um triremium præfectus Gyon cum sclopettarijs quinquaginta ad leue certa
men hostes prouocauit: sed Turcæ nullo disploso adhuc à nostris sclopetto
ad portum se receperũt. At, ubi maior clasis pars stationes habebat, leue cer-
tamen incœptum fuit ducentorum Turcarum, qui è nauibus descenderant,
quos nouem equites militiæ prouocarãt, in quo unus è nostris cæsus, alius ca
ptiuus in castra hostium ductus, reliqui ad urbem profugerunt. Eodem die
ex Illyrica naui nuntius ad nostros transfugit è portu Marsasirocco, qui uni-
uersum cõsilium hostium aperuit, decreuisse Mostapham scilicet terrestribus

Melitẽses ad omnes fortunæ euentus instructi.

Cohortium numerus.

Gyon hostes ad certamen prouocat.

Melitẽses de hostium consilijs certiores redditi.

AAaa 5 copijs

copijs præfectum,ut cohortes è nauibus descenderent,& bellica tormēta extraherent. At Pialis quanto in periculo res Turcicæ uersarentur iam tum ab initio eius belli intelligebat,conquerebaturq; se in apertum periculum,ac certam rerum omnium iacturam missum fuisse,cùm uix octo Ianizerorum, decemq; Spacchiū millia in classe haberet, (erat enim,ut diximus,uniuersæ classi præfectus) cum reliqua multitudo non esset rebus militaribus idonea,quippe quæ neque ullum bellum ante illum diem audiuisset,ne dum uidisset.Futurum enim prius,ut omnes in oppugnationibus periti cæderentur, quàm illi intrepido animo tormentorum strepitum perferre disceret, quare Mostaphæ consilio minimè assentiebat,nolebat ante Draguti aduentum fortunam omninò experiri,cum is in horas præcipuè expectaretur,ad cuius aduentum decreuerant prius arcem sancti Elmi uocatam expugnare.Deinde cum uniuersa reliqua classis ad Marsasiroccū applicuisset,egressa sunt ad uiginti hominū millia,bellica tormenta leuiora campestria quinque extracta, fossæ militares incœptæ, tuguria, & tentoria erecta,& in parandis stationibus is dies,& sequens absumptus. Decimo Calendas Iunij,Pialis cum septem peditum millibus ad recognoscendum oppidum sancti Michaëlis profectus,nō ualde loco propinquauit propter bellicorum tormentorum frequentiā: quo tempore satis acre initium est leue certamen,in quo eques militiæ Curselinius impetu facto in hostes Hispano quodam comitante,uexillum hostium extorsit signifero,& in urbem reportauit. Cæsus est unus è Sanzacis in eo certamine, Sunt autem Sanzaci uiri ab ipso Imperatore propter prudentiæ existimationem prouincijs gubernandis præfecti: deinde alij nonnulli ex hostibus in eo prælio ceciderunt,atq; in castra reuersi hostes conuocatis primoribus ad concilium consultarunt an prius arcem sancti Elmi,uel Burgū obsidere conducere ret,decretūq; fuit ut arx prius obsideretur.Deinde cum ad montem ascenderent,ut arcem illam diligenter intuerentur,leue certamē excitatum est,in quo multi ex hostibus,è nostris pauci desiderati. Exiuit praeterea per noctem triremis è portu Melitæ,quæ Siciliam uersua iter arripuit,ut omnia fierent manifesta Toletano:atque hostes paruo temporis spacio interiecto aggerem facere adorti sunt non procul ab arce sancti Elmi, ut illam crebris ictibus concuterent,quam etiam infestabant nonnullæ triremea,quæ portus angustias seruabant.Sed agger ille tam crebris ab arce ictibus tormentorum deuastatus fuit, ut ob quotidianas cædes hostes deterriti fuerint,eorumq; audacia aliquantulum depressa uideretur.Dum hæc agerentur,præsidiariæ Alexādriæ triremes sex accesserunt,quibus pedites noningenti uehebantur,atq; his cohortibus Ochialys erat præfectus. Postridie eius diei uallum in editiore loco sublime hostes fecerunt,super quo tria ingentia tormenta bellica statuerunt,quæ globos colubrinarum,uel etiam maiores contorquebant, atque his non arcem solùm,sed etiam naues,quæ stationem habebant in portu,infestabant:uerum tamen nullo graui damno res Melitēsium uallum illud affecit,sed hostes breui inde deiecti sunt. Sed quoniam Turci sunt diligentissimi rerum militarium,nullumq; laborem in rebus bellicis,non ad se pertinere arbitrantur, aggeres facilè transferunt,eò tormenta bellica traxerunt,unde arcem concutere decreuerant. Deinde cùm per transfugas magister equitum consilia hostium cognouisset,ac de ijs omnibus,quæ Turcæ facturi erant,opportunè fuisset edoctus,duo uexilla cum quadringentis Hispanis Ioanne Cerda & Miranda ducibus in arcem emisit,qui præclara uirtutis suæ argumenta ediderūt sæpius, cùm initis leuioribus certaminibus multos ex hostibus nulla propè suorum iactura trucidarunt. Quatto deinde Nonas Iunij Dragutua cum triremibus tredecim auxit Turcarum uires, quibus sexcenti pedites uehebantur,uir sanè bellicosus,& rei militaris peritissimus, cujusque fides & prudētia

sæpius

De arce S. Elmi inuadenda consilium initur.

Leue certamen initium.

Sāzaci quid?

Turcarū in re militari diligentia.

Dragutus auxit hostium uires.

fæpius Imperatori Solymanno perſpecta fuerat in rebus bellicis gubernādis idcirco iuſſerat Solymannus ne quid præter Draguti ſententiam fieret in caſtris. Poſthunc è Gero & Teuthrania acceſſerunt ad claſſem decem triremes, quibus uecti ſunt octingēti pedites, atq; uires hoſtium indies conualeſcebāt ſemper nouis auxilijs ſe adiungentibus. Interea certior fit Toletanus per Saluagum militiæ Melitenſis equitem, uirum ſanè ad omnia pericula intrepidū, & ſpectatæ uirtutis, qui per medios hoſtes elapſus Meſſanam applicuerat, q̃ Turcarum claſsis ad inſulam Melitam applicuiſſet, quòd deſcenſiones nōnulli è nauibus feciſſent, quod arcem obſidere, & uniuerſam inſulam iam cœpiſſent. His auditis eum Toletanus maximis de rebus in inſulam reuerti oportere dixit, quem celocē ingreſſum tres triremes comitatæ ſunt, donec ad ſex millia paſſuum, aut ſeptem abeſſet ab inſula. Tunc ille de ſalute, & utilitate ſuorum mirificè ſolicitus, minimè hoſtium multitudine deterritus fortunæ benignitate, & clementia fretus, non ſine magno periculo per noctem tettijs uigilijs nuper initis in inſulā egreſſus eſt. Deinde uerò cum reperiſſet Turcas priorem immutaſſe ſententiam, qui arcem & oppidū ſancti Michaëlis concutere decreuerant, atq; ad aquam Marſæ caſtrametaros, diu inops conſilij conſtitit: nam quatuordecim canones in eo loco diſpoſuerant. Veruntamen exploratoro ingreſſu diligētius ad magiſtrum equitum denique proficiſcitur, omniaq; Toletani conſilia illi aperuit, ad quem rurſus eadem nocte in Siciliam remittitur, ut moneat ſibi opus eſſe ualidioribus præſidijs, non enim paucas tātam hoſtium multitudinē poſſe ſuſtinere, ſi bellum diu protraheretur, quare procuraret, ut mille, uel ſaltem quingenti ad ſe milites mitterentur. Tum hic ex inſula proficiſcitur, atq; cum iam dies quo celebrari ſancti Elmi ſolennitas conſueuit, illuceſceret, ad nouem Spacchium & Ianizerorū millia, nulla ratione bellorum, nullo militari conſilio, cum uallum adhuc nō deieciſſent, quaſi belluarum repentino furore cōcitatum more, ad terracei ualle oppugnationem accurrerunt, & in ea parte foſſæ, quæ uicinior erat editiori uallo propugnaculi, ſcalas per multas breues admouerunt. Et quoniam foſſa nullum habebat propugnaculum, noſtri multis iam diebus propugnaculum quoddam è terra & faſcibus lignorum cum camiſia ſatis lati ſpacij extruxerant. Eò cùm acceſſiſſet hoſtium multitudo, (nam multitudine potius uis Turcarum, quàm ſingulorum uirtute nititur) quamuis ob frequentiam tardiores, tamē ab eo propugnaculo ui compulſi ſunt recedere, cum noſtri plurimum illo adiuuarentur. His tamen propugnaculum deniq; concedere neceſſe fuit, atque ſpaciū illud, quod erat intra propugnaculum, omnemq; partem quæ reſpicit portum Marſamuſettum. Eo loco potiti hoſtes ligonibus excauantes, ita fecerūt munimenta, ut ne à noſtris offenderentur. Ad eam rem adiuuabantur bellicis tormentis, quibus infeſtabatur altera pars Marſamuſetti, illa enim defenſionem opprimebat, & ualli propugnaculum deuaſtabat, & editioris ualli frontem percutiebat, quod tormentis illis decem & nouem faciebant, ut inſtitutū erat, quæ direxerant. Nam proſternere ipſum uallum editius uolebant, cuius altitudo erat illis moleſta, ſed noſtris etiam magis, cùm non haberet propugnacula quibus defenderetur. Ibi cum conſtituiſſent ad quinq; hoſtium millia, & hora diei iam eſſet tardior, neceſſe fuit, uel potiùs optimum fuit conſilium, ſe in arcem recipere, atque propugnaculum illud & ſpacium hoſtibus relinquere. Præſtat enim quæ utiliter defendi non poſſunt, aliquando euertere, aut ſi anguſtia temporis id facere non patitur, hoſtibus concedere, quàm obſtinatè defendendo in diſcrimen capitis, & rerum omnium uno tempore uenire. Tum uerò Turcæ noctis beneficio freti, qui ibi conſtiterant, faccis & terra, & rebus alijs plenis foſſam illam replere ſtatuerunt, quæ ducta fuerat è regione ualli editioris, ut quæ minus lata & ꝓfunda eſſet, & quæ facilius poſſet

Saluagus in inſulā reuertitur.

Saluagus exploratis diligenter conſilijs hoſtium ad Toletanū redit.

Vis Turcarū multitudine potius quàm ſingulorum uirtute nititur.

Turcæ sua temeritatis pœnas luūt. repleri. Verum huiusce suæ temeritatis istis dignas pœnas luerūt, quoniam Ianizerorum & Spacchium cæsi sunt octingenti, atque hi cæteris omnibus præstantiores, præter innumeros propè uulneratos, quorum plurima pars in fossis mortui postea fuerunt. Nam fossæ illa pars, quæ fuerat ab ijs repleta, cum nullum haberet descēsum, nisi in fronte ualli, efficiebat ne uel nostri, uel hostes, possent descendere, quare si qui fuissent in ipsa fossa, ibi mori omninò necesse fuit. E nostris primo impetu quadraginta, & quinque cæsi sunt, inter quos Aluernias, Contilius, Lasamaius, & Teutonicus quidam Melitensis militiæ equites fuerunt, uulnerati sunt præterea nonnulli. Cùm suorum cædem cognouisset Valettanus, opus esse nouis præsidijs ad arcem tutādam ratus eadem nocte pedites ducentos cum nonnullis equitibus misit: atq; cum essent antea quadringenti, qui locum defendebant, satis firma præsidia accessionem hanc uirium fore credidit ad sustinendos conatus hostium, cum loci etiam angustia non pluribus uideretur indigere. Interea Saluagus fortuna satis benigna & placida usus Syracusas applicuit, ubi triremes duas Melitenses inuentas, sicut edixerat Valettanus, iubet Melitam cum quadringentis peditibus, septemq; tormentorum bellicorum ministris nauigare, docetq; quibus in locis hostes castra collocarint, ut possent tutius accedere. Nam & declinare ab Occidentis plaga oportere monuit, ne uiderentur ab hostibus, & Oriētem uersus ad uocatæ Militaræ descensum esse nauigandum, ac transfretandum, quam Occidentem uersus relinquentes citò trajcerent: ibi enim copias esse exponendas, quæ ubi quatuor millia passuum confecissent, ciuitatem ingrederentur, unde in Burgum facilis esset transitus. his ita Monitis ipse Messanam proficiscitur, præsidia à Toletano postulat, paucitatem suorum recēset, opus esse firmiorib. præsidijs, illum edocet quo bellum posset tamdiu protrahi, ut eius classis commodè instruatur: quæ ut apparebat, multis indigebat rebus necessarijs, neque has ita facilè comparare poterat, eratq; multo triremium, cæterorumq; nauigiorum numero inferior. Nam Turcica classis 168. habebat triremes, & naues onerarias & mahonas, & caramussalos, quæ omnia nauigia ad 240 accedebant, cum Toletanus neque centum quidem triremes posset instruere. Melitenses interea, dum suppetias expectarent, se strenuè satis tutabantur, nulla in re, uel animorum suorum nobilitati, uel Italici nominis gloriæ, deficientes: supra omnes uerò Valettanus, nullis neq; militaribus laboribus fatigabatur, neq; ullis terrebatur periculis, id unum grauiter ferebat, *Christiani principes segnes.* quòd tam diu suppetias desideraret, quodq; tā segnes essent Christiani Principes, ut tam præclaram, tamque oppottunam omnes propè uires Turcarum uno tempore labefactandi, & propè euertendi occasionem prætermitterent. Videbat enim iam tum quassatam & afflictam, & propè inermem hostium classem ad extremam partem æstatis futuram. Ad triremes illæ quæ opem ferre obsesis iussæ fuerant, longè aliter fecerunt, atque fuerant admonitæ, cum Occidentem uersus, at non ad Orientem Solem nauigassent. Illud autem ita contigisse dixit Naucleras, quia biremes quasdam ibi conspexisset hostium, æquè nonnulla catascopia. Hoc cum falsò dixisset ut suum errorem excusaret Naucleras, tamen præclarum subsidij opportunitatē Melitensibus nihilomninus eripuit. Id Toletano cæterisq; omnibus molestissimum accidit, & Saluago præcipuè, quia uidebant futurum ut hostes arce occupata classem in portu Marsamusetto tutissimè haberent, (erat enim arx in maximo periculo, cum ob angustiam loci, tum etiā quia nimis propinqui hostes fuissent castram etati) atque sancti Michaëlis oppidum inde fotent percussuri, atque omnium terrestrium subsidiorum spem illis ademissent. Cum *Pius IIII. Pontifex Romanus.* res Melitensium, quanto in periculo essent constitutæ, Pius Quartus eius nominis Pontifex maximus per nuntios accepisset, iussit copiarum haberi delectum,

ctum, quæ subsidio mitterentur laborantibus Melitensibus, edixitque certam pecuniam in illud bellum erogari Cambiano, & pulueris tormentarij nō paruam copiam, & omnibus subsidiorum generibus rem Melitensium adiuuit: ut exemplo, at non oratione solùm, Christianos principes ad defendendum Christianum nomen, & ueram ac antiquam religionem, & omniū decus uno tempore hortaretur. Nam si illam insulam in deditionem Solymanus cōpulisset, manifestum omnibus periculum breui imminebat, cum transitus facillimus inde foret in Siciliam, qua potitus mox Italicos fines anniuersarijs incursionibus populatus deniqꝫ uniuersam Italiam breui subegisset. Missi sunt igitur Pompeio Columna duce sexcenti pedites Neapolim, quem multi sanè ut illustres sine stipendijs, solo gloriæ & nominis uirtutis suæ ad posteros trāsmittendi desiderio sunt secuti, cum tam præclaram tamqꝫ iustam belli opportunitatem nacti sibi uiderentur. Habebant fortè stationes Neapoli eo tempore Andreæ Auriæ tredecim triremes, Populoniæ principis nouē, erant & tres triremes Reguli Sabaudiæ, aliæqꝫ tres priuatorum. eò cum Roma cohortes subsidiariæ accessissent omnes communi consilio decreuerūt & has, & quæ aliunde opem ferentes laborantibus Melitensium rebus aduentarent, omnino esse traijciendas atqꝫ in insulā deportandas. Hi igitur naues ingressi felici maris benignitate usi Messanam breui deferuntur, ubi & instruebatur & coniungebatur Christianorum classis. Ea dum fiunt à nostris, Turcæ nō amittendam præsentis temporis occasionem rati, quia classem nostrorum augescere per exploratores quotidie intelligebant, decernunt tam crebris oppugnationibus, tantoqꝫ conatu arcem adoriri, ut omnino illa potirentur, qua capta facile sibi esse crediderant reliqua postea loca ad deditionem compellere. Nam si illam occupassent, uidebantur hanc etiam commoditatē consecuturi, quod in tutissimo loco classis stationes esset habitura in portu Marsamusetto, cum neque maris iniuria, neque nostrorum tormēta ullo modo illam uexare possent. Id autem non solùm ad præsentis belli opportunitatem conferre putabatur, ut cognitum est è transfugis, sed etiam non mediocre commodum ad rerum maiorum conatus: quare ibi etiam decreuerant esse in hybernis. Conferebat illud non mediocriter etiam ad infestandum oppidum sancti Michaelis, ad impedienda subsidia nostrorum, ne terrestri itinere accederent, ad impediendum ingressum denique & egressum è maiori portu. His alijsqꝫ commoditatibus compluribus consideratis, quas cum maxima nostrorum iactura sibi consecuturi ex illa uictoria uidebantur, ita incredibili pugnandi desiderio, & quasi furore incensi sunt, ut quanta ui tormentorum, quantaqꝫ diligentia nullo temporis spacio propè intermisso mœnia concuterent, uix credi possit. Illud satis constat, triduum assiduis propè ictibus mœnia penè fuisse comminuta. Cessauit aliquantulum die quarto uis tormentorum quo die leue prælium initur. Cum recentes Draguti Turcæ mira quadam animi magnitudine, uel temeritate potius elati, sibi feroces esse cæteris uiderent, ac frequētes ad eam partem, ubi est Marsascala se contulissent. Eum cum nostri illorum arrogantiā uellent reprimere, ita strenuè pugnarunt, ut multis trucidatis maiore celeritate recedere coegerint, quàm accesserant. Desiderati sunt è nostris septem aut octo ad summum. At sequenti nocte secundis nuper initis uigilijs ad arma conclamatur in arce: nam hostes summū uirium suarum conatū experturi pluribus in locis scalas admoturi repente arcem adeunt, cum alij super ruinas quassatorum murorum incedere niterentur. Certatum est acriter utrinque, & igne missili, & omni genere telorum: at tanta animi fortitudine nostri restituerunt, ut non modo illorum temeritatem in præsenti comminuerint, sed etiam in posterum, ne scalas tam facilè admouerent, retuderint. Ad extremum enim cum pugnatum fuisset circiter tres horas insigni clade accepta

Cambianus sacra Melyt sium religio nis Orator Romæ.

Ad arma cōclamatum. Arce certamen.

Turcæ per ruinas præcipites extrorsus deturbati sunt. Sequenti deinde die Monserratus Commendator, cohortibus arcis gubernator suffectus est, quia

Brolias uir preclarus in morbum incidit.

Brolias uir sanè præclarus propter assiduos labores tum animi, tum corporis in morbum inciderat: nam neq; dormire, neq; unq; quiescere inter tantos, & tam crebros hostium tumultus cuiquam tutò licebat, sed imperatori, & cui summa rei cōmissa est, quàm minimũ. Hic sæpius Valettano per literas significauit locum egregiè esse munitum, atq; uix ullo pacto fieri posse ut caperetur ab hostibus. Eius oratione & ingenio tantum cōstantiæ, & audaciæ auctũ est equitibus, & militibus arcem illam defendẽtibus, ut supra humanas uires feroces esse in omnibus certaminibus uiderentur. Hostes ea clade nuper acce pta minimè perculsi cum pristinos conatus irritos fuisse grauiter ferrẽt, etiam

Arcis S. Elmi murus conquassatur.

ualidius murum bellicis tormentis concutiunt. Id cum per dies sex assiduè fecissent, nullo propè spacio temporis interiecto cum omnibus copijs arcem, quam undiq; obsidebãt, inuadunt. Sed cum timerẽt ne ut primis in oppugnationibus per ruinas murorum darentur præcipites, pontem quendã ex antennia triremium in decem cubitorum latitudinem adhuc deferendum curarũt, quatuor sclopettariorũ millia apud fossas collocarũt, omnemq; classem ad descensum sancti Georgij adduxerũt, atq; quod ridiculum fuit, omnia nauigia extraxerunt è Marsasitocco tanquam nullo impedimento mox in Marsamusettum ducturi. Ita uerò secum ratiocinabantur, conquassatos iam esse muros arcis, in quam ad tredecim millia globorum ferreorum contorta breui spacio fuissent, exiguum esse loci ambitum, quo magis collectæ futuræ erant inuadentium uires, omnia nauigia posse pugnantes infestare, magnam esse Turca

Labore diuturno multa superantur.

rum aduersus paucos multitudinem, quare necesse est arcis defensores, uel ferro, uel labore diuturno omnino uinci. Sed quàm uaria sunt consiliorum, tam uaria sunt euentuum ac multo etiam plura defensionum genera, quippe cum

Pericula & labores homines ingeniosos faciũt

pericula & labores & difficultates homines ingeniosos faciant, quibus haud ullus est ad informandos ad prudentiam animos peritior uiuendi magister. Quare cum omnia difficultatum genera, quæ obsessos circumuenirent, rectè secum perpendissent, fuit, quanta in ijs esset uirtus, & quantopere diuina manu protegerentur, considerandum. Verùm, quia cæcutimus ad ea, quæ nimis cupimus, longè diuersos habente uentus sæpe nostra consilia. His consilijs

Cæcutimus ad ea quæ cupimus.

permoti Turcæ tanto impetu nostros inuadunt, ut cum ei tormentorum ictibus apertè infestarentur, & tanto hostium numero undiq; circumuenirẽtur, diu pugnæ euentus anceps fuerit: at nostris repentè diuinitus tãtus laudis ardor, tantumq; ostentandæ uirtutis desiderium coortum est, ut non amplius pares se fore hostibus sperarent, sed gloriosam etiam uictoriam ex illa pugna reportaturos pro comperto haberent. Baraganus itaque spectatæ uirtutis Na

Baragani Nauariensis equitis uirtus infracta.

uariensis Melitensis militiæ eques, stricto longioris capuli ingẽti gladio, quo ambabus manibus utebatur, tanta fortitudine in hostes, qui põtem conscenderant, irrumpit, ut acrius circa illum, quàm alibi fuerit certamen, hostesq; ipsoa & timore & admiratione uirtutis eodem tempore perculerit. Verùm cum omnis propè conatus hostium eò conuersus fuisset multis è nostris illum postea adiuuantib. magnam impressionẽ in hostes fecerunt. Quare cum illos propè in fugam Baragani uirtus uertisset, his adiuuantibus multi ceciderunt ex hostib. At cum recentiora Turcarum auxilia mortuis & fessis prioribus pugnãtibus submitti Valettanus animaduertisset, ueritus ne nostri labo-

Plures octingentis Turcis oppressi, & sexcenti uulnerati.

re potius diuturno, quàm hostium ui uincerentur, laborantibus arcis defensoribus recentiores milites trecentos subsidio misit, qui & pontem illũ subiectis cadis tormẽtarij pulueris combusserunt, & ignibus missilibus inflammarũt, quare nemo postea ascendere poterat, & cum pons ipse cecidisset plures octingentis Turcis sunt oppressi, atq; sexcenti uulnerati. In nostrorum pote-

statem uenerunt duo uexilla hostium, quæ fuerant arci affixa, alterum Mosta phæ, alterum Draguti. Ascenderunt eodem tempore Turcæ ad triginta ad altioris ualli acumē Lilybæum uersus, qui cum à præsidiarijs militib. sancti Angli uisi fuissent tormēti bellici minister monetur, ut eos deijceret: is uerò septē e nostris illo globo ferreo interemit. Sed cum uellet id propter errorem conti gisse demonstrare, ac damnum restaurare nostrorum, magis quoddam tormē tum diligētius direxit, atq; eos globus ferreus sublimes in aëra portauit. Nam illo ictu quatuor Rays, & ad duodecim ex præstantioribus exercitus Turcarum fuerunt crudeliter dilaniati. Dum hæc geruntur, magnus hostium numerus iam militares ac castrenses fossas ad frontem arcis, quæ oppidū sancti Angli spectat, duxerunt, sed nostri missilis ignis fictilia faculares ab instituto ope re illos deturbarunt. Turcæ omni spe potiūdæ arcis frustrati turpiter in castra reuertuntur, ac naues eò ægrè trahunt, unde deduxerant. In ea pugna ad duo hostium millia sunt desiderata, & eorum sanè præstantiorum: alij tamen dixe runt copiarum præfectum numerum suorum recognouisse, atq; cognouisse in eo prælio cecidisse quatuor suorum millia: è nostris centum cæsi, & toti dem sunt uulnerati. Eo tempore cum triremes nonnullæ relictæ essent ad portum Marsamusettum, & ad descensum sancti Georgij, neq; portus esset, uelut antea, interclusus, iussit Valettanus nauiculam exploratoriā ad Marsascalam asportari, ut Toletanus de rebus omnibus certior fieret, atq; ad summum Pō tificem literas dedit, quib. pro parta uictoria gratulabatur, quòd à diuina bonitate obsessi tam præclare fuissent defensi. Binarum autem literarum hic adscripsimus exempla. Et ad Pont. quidem hæ mittuntur.

4000. hostium in pugna S. Elmi cæsi, & è nostris centum cum totidem uulneratis.

BEATISSIME PATER.

Exemplar literarum ad Pontificē Roman. missarum.

Est ita periculo propinquum ne ueniāt ij in potestatem hostium, quibus do literas, ut mihi rarius scribere omnino necesse sit. Veruntamen id Sanctitati uestræ significandum fuit, quòd Optimus Deus suū hunc religionis ordinem in Melitæ oppugnationibus tuetur, quod in arce sancti Elmi defendē da præcipue apparet. Nam cum intra uiginti dierum spacium arx illa tredecim millia ictuum globorum ferreorum sustinuerit, facile apparuit, quanti sit aduersus hostes Sanctum hoc crucis insigne. Iidem cum sub crepusculum arcem acerrimè inuasissent, atque quater recētiores pugnatores renouassent, quod ad prælium quinq; horas perdurauit, tanta cum suorū clade repulsi sunt, ut plures sexcētis fuerint desiderati, uelut ex captiuis perceptum est, uulnerati multò etiam plures. Illud opus fuit sanè non humanarum uirium: sed diuinæ potentiæ, quæ nobis hanc tam insignem uictoriam comparauit, ut demonstraret quanti nostram religionem faceret, atq; ut hoc exemplo Christiani principes alacriores fierent mittendis auxilijs, quod Sanctitatem uestram præcipuè pro sua singulari benignitate facturam esse non diffidimus. Nos interim pro uiribus hostes à mœnibus repellere & propugnacula defendere diuino adiuuante auxilio non cessabimus, uitam etiam ipsam pro Christiana religione, si res ita tulerit, effundentes. Atq; hac una spe in tantis molestijs cōsit mamur, quod Sanctitatem uestram procuraturam certò scimus, non solùm ut hic religionis ordo, sed etiam uniuersa regio Christiani nominis, ab his communibus omnium bonorum, omnisq; tranquillitatis hostibus, sit libera.

Quod ut fiat Deum Optimum suppliciter rogamus & ut Sanctitati uestræ ad hoc tantum negotium accommodatæ uires suppeditentur. Melitæ 12. Calend. Quint. M.D.LXV.

Ad Toletanum literæ.

ILLVSTRIS-

ILLVSTRISSIME, ET EXCELLENTISSIME PRINCEPS.

Exemplar literarum ad Toletanum miſſarum.

Cattaſcopiū Marſaſcalā mittitur à Valetano.

POſtea quam Saluagum noſtrū cum literis miſimus, binas ad Amplit. tuam dedi, atque cum iter per ſacrum Iunonis habuerit, utinam tuto redditæ ſint: Deinde cum nauiculam exploratoriam expediuiſſemus, tres noctes excundi opportunitatem obſeruauit: quæ cum uix ſeptima nocte exiuiſſet, inſequentibus hoſtibus coacta eſt ad terram appellere, atq; homines abiectis in mare literis uix incolumes euaſerunt. Nunc quia claſsis hoſtium exiuit è Marſaſirocco, plurimi referre arbitratus ut id tibi notum ſit, quoniam portus non ita clauditur, ſtatui procurare ut cataſcopiū ad Marſaſcalam ferat, quod non amplius ita impediretur, cum claſsis ſtationes habeat in altero latere inſulæ. Claſsis igitur hoſtium, quod plurimi referre ut ſciatur cenſeo, ad 17. Cal. Quintilis nobis proſpectantibus è portu cum omnibus nauibus onerarijs, & Mahonis transfretauit, quod cum ob aduentantis noctis obſcuritatem intueri non poſſemus, intelleximus tamen per captiuos illas quaſſatas & pene inermes triremes ægrè remulco attractas fuiſſe. Habent ſtatiões naues ſupra Marſamuſettum, atq; maior pars triremium ad deſcenſum ſancti Georgij. Aquæ penuria, & metus Chriſtianorum claſsis, ut intelligo, eò illos compulit, quam ſciunt eſſe Meſſanæ centum & quinquaginta nauigiorum actuariarum nauium, ſcilicet & triremium, idcirco minime ſe ad ſancti Pauli deſcenſum receperunt, ſed quanto magis poſſunt terreſtribus copijs uicinæ ſtationes habent triremes. Nemo conſpicitur in ea parte Marſaſirocci, ubi caſtrametati fuerāt, primaq; tabernacula, quæ erexerant, & uillarum ædificia ferro igniq; uaſtarunt. Nunc apud arcem ſancti Elmi caſtrametati ſunt, quam Deus apertiſsimè tuetur, cum noſtri quatuor horas aſsiduum hoſtium prælium, quod totis aciebus intulerunt, fortiſsimè ſuſtinerint, quod diuerſis in artubus eius arcis uno tempore geſtum eſt: & id præcipuè cum Orientem uerſus, portumq; Marſamuſetti pontem quendam ſupra muros iecerint, circa quem acerrimè quater renouatis auxilijs ab hoſtibus pugnatum eſt. Deiecti quidem ad extremū ſunt hoſtes præcipites cum magna ſuorum clade, at non tamen ſine aliqua noſtrorum iactura, cum ad quinquaginta ceciderint: inter quos fuit Medranus, nō ſine magna animi mei moleſtia. Vulnerati ſunt ad ſexaginta. Hac uictoria ita confirmati ſunt noſtrorum animi, ut facilè in ſpem uenerim quod arx illa, & omnia inſulæ propugnacula, ſe uſq; aduentum Ampl. tuæ cum uniuerſa claſſe, tueri poſsint, illud autem me in hanc opinionem adduxit, quòd repreſſa eſt hoſtiū audacia, quia multo tardiores facti ſunt concutiendis muris: cum neq; ſit, neq; eſſe poſsit maior diligētia, cum uel tredecim millia ictuum intra octo dierum ſpacium numerata ſint. Si mihi ſaltem ſupplementum, ut credideram, per noſtras duas triremes acceſsiſſet, nunquam me arcem illam amiſſurum eſſe putauerim: cum illa ſpe fretus quicquid habui clarorū uirorum, ac rerum pene amiſerim; omnesq; decreuimus ibidem mori, ſi ita oportuerit, pro dignitate & exiſtimatiōe Chriſtiani nominis: at quia Benignitati tuæ cōfidimus, ſperamus fore ut ſubſidijs adiuuemur. Omnibus autem manifeſtum eſt quāto in periculo ſimus conſtituti, ſi ſupplementa diutius differantur, quippe cum nō aſpernanda ſit etiam ablata commoditas, quòd hoſtes è Marſaſirocco diſceſſerint, nam facile ſubſidia diſcenſiones facere poſſunt ad Petram nigram. Te unum poſt Deum ipſum habemus, in quē oculos conuertamus, in te uno ſpes omnis noſtra collocata eſt, in manu tua noſtra omnium ſita eſt ſalus, quare tibi perpetuam à Deo precantes felicitatem: te pro ſalute noſtra ſuppliciter rogamus. Melita 15. Cal. Quint. M. D. LXV.

His literis certior factus Toletanus quāto in periculo eſſet arx ſancti Elmi ob ictuū tormentorum bellicorum frequentiam, & crebras oppugnationes, easq; horrificas, quibus arcem ipſam adoriebantur hoſtes, cūq; anima duerriſſet quan-

ſet quanti ponderis eſſet iactura eius loci futura poſtea illi inſulæ, cum auxiliũ tota claſſe non ita cito ſe ferre poſſe intelligeret, quòd neque Hiſpanæ, neque Genuenſes triremes adhuc acceſſerant: decreuit quatuor triremes cum præfecto Ioanne Cardoneo emittere, quæ cohortes ferrent ſubſidiarias, miſſus eſt cum his & Robles Magiſter exercitus, ut appellatur, cum ducentis Hiſpanis, in rebus bellicis ſanè exercitatiſsimis. Vnà uecti ſunt equites Melitenſis militiæ, qui tunc erant Meſſanæ, ad octoginta, inter quos fuerunt Commendator Pariſotrus, Vincentius Caraffa, Maldonatus, & Boninſegna, Hiſpani. Aderãt enim cõplures è uarijs nationibus, qui & ſi tarde propter maris tempeſtatem, ut explicabitur poſtea appulerunt, tamẽ plurimum ad eius inſulæ ſalutẽ contulerunt. Hi ſi ante arcis expugnationem in inſulam applicuiſſent, arx fortaſſe nõ ueniſſet in poteſtatem hoſtiũ: nam pridie idus Iunij triremes quatuor Meſſanam reliquerunt. Sed ut ad Turcas redeamus, illi parui ſuorum iacturam facientes, neq; tantam cladem curantes, quantam tot prælijs acceperant, cũ etiã ſe meliore fortuna uſos putarent, decernunt denuò fortunam eius belli experiri, & maioribus uiribus arcem, maioribusq; conatibus rurſus adoriri, tũ nullo tempore intermiſſo globis ferreis tormẽtorum frequentib. arcem diuerberare, murorum ſiquid reliquum eſſet proſternere, propugnacula lacerare, cuncta comminuere, & in puluerem uertere. Deinde tantis uiribus tantoq; conatu locum aggredi, ut noſtri penè deterriti fuerint, & in fugam uerſi: quod etiã profectò feciſſent, niſi ſibi ante propoſuiſſent, glorioſè & fortiter ſibi omnib. eſſe moriendum, dimicatur igitur ad quinq; horas acri prælio, deſiderati è noſtris ducenti, ex hoſtibus magnus numerus. Dragutus eodem die uulnere capto in caput, ad naues deportatur, ex quo uulnere poſt biduũ diem ſuũ obijt, eius corpus à duabus triremibus Teuthraniam delatum, cum hoſtes ab illa oppugnatione ſe recepiſſent, nunquam ſequenti nocte ab armis ceſſatum eſt, ſed creberrimis tormentorum globis noſtros infra muros recedere cogebãt, ita ut uix impedimento eſſe poſſent Turcis quo minus ſcalas pluribus in partibus muris admouerent. Nam tametſi noſtri aſsiduis laboribus & prę̃ter conſuetudinem erant defeſsi, tamen egregiè cum admirabili quadam animorum magnitudine eos repellabant. Ad Baſſæ, & primores exercitus hoſtium incredibili propè ira exarſerunt, quia tanta ui noſtrorum, tantaq; ſemper cum ſuorum clade recedere cogebantur, quare uniuerſam claſſem breui in unum cogunt, illã circa arcem collocant, decernunt totius exercitus fortunam, & omnium copiarum uires uno tempore experiri, arcem terra mariq; oppugnare, ſemper noua ſubſidia feſsis mittere, atq; his ſæpius renouatis non prius ab incœpto deſiſtere, quàm uel totum exercitum amitterent, uel arce deniq; potirentur. Deinde omnè illorum ſtudium ad pontes & ſcalas faciendas ad futuram oppugnationem conuerſum eſt: & ad omnia, quæ forent in illi negotio neceſſaria, cõparanda. Cum eos apparatus uidiſſet Valettanus, ueritus ne arx illa diutius defendi non poſſet, biduo ante illã oppugnationem primores ſuorum ad concionem conuocauit, quibus ita locutus eſt. Quãto in periculo arx ſancti Elmi conſtituta ſit ob frequentes hoſtium oppugnationes commilitones, nemini ueſtrum obſcurum eſſe cenſeo: cum ita muri undiq; ſint cõminuti ut aperto Marte pugnare neceſſe ſit: neq; amplius noſtri murorũ beneficio aduerſos tam crebros tormentorũ hoſtilium ictus protegantur, his accedit anguſtia loci, quòd pactis multorum impetus uno tempore ſuſtinere neceſſe ſit, neque poſſunt propter hoſtium frequentiam, quibus undiq; cinguntur recentibus ſubſidijs adiuuari. Ego ſanè magis cõferre ſaluti exiſtimationiq; noſtræ crediderim, quæ tutò defendi non poſſunt, hoſtibus relinquere, quàm obſtinatè defendendo turpiter cum tanta uirorum bonorum cæde, & rerum iactura, uinci: quippe cum illa quæ inutilia ſunt nobis, neque hoſtibus quidem

Toletanus mittit cohortes ſubſidiarias in inſulã Melitam.

Hoſtes arcẽ S. Elmi rurſus adoriuntur.

Draguti obitus.

Valettani in cõcilio ad ſuos oratio.

Aperto Marte pugnare.

magnum

magnum sint adiumētum allatura. Idcirco, si uobis ita uidetur locum iudico oportere hostib. relinquere, clauos tormentis infigere, aquas læthiferas efficere, id enim præstiterit, quàm tot uiros fortes, qui locū defendunt, apertissimis periculis, & certæ propè hostiū potestati aut cædi exponere. Atqui cum hostes se ad acerrimam oppugnationem accingant, nobis breui consilium utile capiendum est, uel relinquendæ arcis, uel rebus omnibus necessarijs muniendæ. His diligenter consideratis nihil decernitur in præsenti, nisi ut tres Melitensis militiæ Equites, commēdator Medinæ Hispanus scilicet, Roccias Gallus, Constātinus Castriotus Italus sequenti nocte, arcem diligentius intuentur, certioresq; faciāt milites arcis præsidiarios, quid in cōcione propositum fuisset. Iussæ sunt præterea nauiculæ ad illam noctē parari, ut si fortè ita uideatur, possint citissimè ex arce milites in Burgum traijci. At eo transfretantes equites magnum periculū inuasit, cùm hostes multos sclopettos in illos displo sissent. cum è nauicula egressi essent ob uicinitatem hostium, qui omnia iam poterant latè intueri, prostratos ferè humi incedere necesse fuit, ubi tres illi arcem diligenter considerassent, quid in concione propositum fuerit, arcis præsidia commonefaciunt: quibus responsum est, locum ob angustiam quidem esse periculosum, si tam pertinaces præcipuè haberēt hostes, qui tam frequenter, tantoq; cum impetu locum aggrederentur: ueruntamen, quoniam Deo ita propitio locum hactenus defendissent, quem ipsi defendendum petiuctant, decreuisse pro uiribus, & in posterum fortissimè tutari, cum nullam unq; aptiorem opportunitatē essent assecuturi uirtutis suæ in omnium hominum conspectu demonstrandæ. Hortarentur igitur Valettanū ut læto esset animo, atq; pro certo haberet illos acertimè pugnaturos, & nulla in re uel Italicæ gloriæ, uel suo ipsorum honori, uel proprio saluti defuturos: se scire in acie gladiorum hæc omnia sita esse, omnemq; fortunam non inclementia hostium, sed in animi magnitudine & firmitate corporis, & in ferro sitam esse, neq; hostes ullam lætitiam, nisi quæ multo suorū sanguine sit perfusa, esse capturos. Hoc accepto responso, cognitaq; illorum militum uoluntate, tres illi equites ad Valettanum redeunt, responsum fortitudinis & cōstantiæ plenum referūt, quod cum summa omnium lætitia & admiratioue auditum est. Deinde uero, quia fossæ plurimum commodi nostris afferent, posse locum etiam defendi narrauit Castriottus, atque id munus se suscepturum esse profitebatur. Gallus contrà fieri non posse omninò censebat ut locus amplius defenderetur, quippe cùm propugnacula, & defensionū loci omnes sint solo æquati, cum tot millibus hostium præsertim, & tam acrium circundaretur arx illa: neque esse dignitatis Melitensium sibi uideri, neq; præsenti militiæ conferre tot præclaros & tam fortes uiros tam aperto periculo exponere, & tanquam crudelissimis hostibus trucidandos obijcere. Cognoscendas esse uires hostium, assiduitatemq; certandi: non posse paucos multis diutius resistere: posse hostibus subsidia recentia à suis mitti cùm laborauerint, at nostris interclusam esse subsidiorum uiam, in aperto loco omnibus tormentorum ictibus expositos oportere nostros dimicare, quare necesse est uel ferro, uel labore denique ab hostibus uinci. Consulendum esse omninò illorum militum saluti, atque ad meliorum locorum defensionem illos esse reseruādos, cùm natura loci nō amplius illos posset defendere. Contra Hispanus fossas castrenses ualde esse utiles memorauit, animos præsidiariorum militum constantissimos esse & pugnandi cupidos, quare locum nō sibi uideri tam citò deserendū. Sed quia pauciores sunt, qui rectè in rebus singulis iudicare cognouerint, & deteriora consilia plerunq; sequimur, idcircò cum hæc memorata fuissent in concione, decernitur deniq; locū esse nunc etiam per aliquot dies defendendū: quippe cū non sit eius ordinis consuetudo loca munita tam facilè relinquere, sed singulari

Quid in concilijs decretū sit.

Castriotti et Rocciæ opiniones,

Pauci sunt qui in rebus singulis rectè iudicari possunt.

gulari constantia & animi magnitudine superborum hostium temeritatem reprimere. Existimant quidam si relictus fuisset locus eo tempore, id fieri non potuisse sine summa eius ordinis infamia, atq; hostis ea re nimis elatos & obsessis intolerabiles futuros. Ego cõtrà sentio, nihil magis formidabile esse cuiquam, quàm sapientiam & imprudentis hostis consilium: quod situm est non solùm in utilium delectu, sed etiam in ijs relinquẽdis, quæ non modò aliquod damnum, sed etiam nullum commodum sint allatura. at cõtrà nihil magis hostium animos extollere ad spem rerum omnium potiẽdarum, quàm si uideãt quod loca inutilia, & quæ nullo pacto defendi possint, tamẽ obstinatè & imprudenter defendantur. Nam sicuti mendacibus, neq; illa quidem, quæ uera sunt, creduntur, ita loca omnia expugnabilia putantur, quæ ab imprudẽtibus hostibus defenduntur. Verùm ut ad hostes redeamus, illi tãta diligẽtia, quod decreuerant, pararunt, tantaq; celeritas accessit rebus omnibus, ut breui omnia nauigia circa arcem S. Elmi cum omni exercitu coacta sint. Cœptum est igitur media nocte ubiq; arx terra mariq; inuadi, scalę undiq;, undiq; põtes admouebantur, undiq; bellica instrumẽta reboabãt, nã triginta & duo canones exiguam illam arcem diuerberabãt, quæ sola res poterat & locum, & defensores in puluerem cõminuere. Nostri tamẽ neq; tam acri murorum pulsatione, neq; tot hostiũ millibus deterriti, fortissimè resistebãt, atq; cùm optimã illam opportunitatem essent rati se ipsos pro defensione religionis sacrificandi, tam strenuè pugnarunt, ut non solũ clarissimũ uirtutis suæ specimen dederint, sed etiam demõstrauerint summam in ijs esse fortitudinem, qui omni uitæ spe abiecta tamen ne turpiter ac belluarum more morerẽtur, pro gloria, & perpetua uirtutis suæ memoria decertarent. Hinc inde cædes igitur oriebantur frequentes, cùm hi ascendere, illi detrudere niterentur: & iam à media nocte certatum erat ad tertiam diei horam cùm hostes nulla re adhuc erant superiores. Sed tanta uis erat tormentorum arcem ubiq; uerberantium, ut mœnia ad scopulum usq;, super quo fundamenta locata erant, euersa & rasa fuerint. Ceciderunt è nostris plures quadringentis, atq; ferreo globo canonis laniati sunt uiri illustres præ cæteris Monferratus, & Garas Euboicus. Neq; tamen tot cædes, quæ animos cuiusq; facilè cõsternare possent, nostrorũ animos deterruerunt, sed nescio quo pacto ferociores etiam efficiebantur, nullisq; cedebãt difficultatibus, ita enim repente illos inuasit gloriæ stimulus, quę nusquam est, nisi in arduis & difficillimis rebus constituta, ut uix credi possit quãta uirtute, quãq; intrepidis animis arrepta ui hostiũ signa, quæ defixa iam fuerant laniauerint, centurionesq; & signiferos, & multos cohortium præfectos trucidauerint. Verũtamen cum iam succresceret meridies, & Sol nõ mediocriter incaluisset, nostri cædẽdis tot hostibus fessi, diuturnaq; pugna fatigati, cum ijdem cum semper recentibus hostium copijs conflictassent, (nam semper noua subsidia illis summittebantur) uincũtur denique: sed tanta cum hostium iactura, ut nemo ceciderit, nõ totus ferè Turcarum sanguine perfusus. Nam tametsi mille & trecẽti è nostris in ea pugna sunt desiderati, inter quos Equites 130. tamẽ cũ omnibus statutum sit semel mori, id non leue solatium esse debet, q; uiri boni præclarũ uirtutis suæ argumentum ediderunt, & perpetuã eximiæ fortitudinis memoriam transmiserunt ad posteros, ea clade tam insigni accepta Valettanus summum dolorem, quem è iactura tot insigniũ uirorum cœperat, dissimulauit, ut metu suorũ animos consternaret, omnesq; læto animo esse hortatur, partim cæsorum numerum extenuẽdo, partim loci imbecillitatẽ & angustiam accusãdo, partim diuino cõsilio propter aliqua peccata illud accidisse criminãdo, atq; nihil nouum fuisse dicebat, cùm res huiusmodi in bellis diuturnis nõnunquam contingere soleant. Affirmabat multò infirmiores esse factas hostium uires tot uiris insignibus deplоratis, tantamq; stragem Turcas

Animi constantia superborũ hostiũ temeritas reprimenda.

Arx terra mariq; inuaditur.

32. canones arcem diuerberabant.

In arcis oppugnatione 400. è nostris cæsi.

Gloriæ stimulus in arduis rebus constituta.

Centuriones & signiferi occisi.

130. equites in arcis S. Elmi pugna desiderati.

cepisse, ut potius uicti fuisse, quàm uicissim Melitẽses iure uideri possent: atque, ut paucis complectar, nulla suorum iactura, nullaq; rerũ difficultate Valettanus ab ea spe uictoriæ deijci poterat, quam primus in animo cõceperat, quam non in humanis uiribus, neq; in fortitudine militum, neq; in rerum bellicarum apparatibus, sed in diuina bonitate sitam esse putauerat: quæ quidẽ spes nõ, nisi in uirum bonum, & iustum, & temperantẽ ferè cadere solet. atqui cùm res ita successisset has literas ad Mesquietam urbanis cohortibus Melitæ præfectum scripsit, quo Toletanum, omnesq; Melitensis militiæ equites, ac centuriones qui erant Messanæ certiores faceret de fortuna arcis sancti Elmi. ita uerò se habent literæ.

Victoria in diuina bonitate sita est.

RELIGIOSE, ET TANQVAM FRATRE CARISSIME.

NVper infelix arcis S. Elmi iactura grauissima nobis accidit, quæ & si animum nostrum, ut debuit, dolore singulari affecit, tamen ut in mẽtem uenit hæc omnia de manu Domini proficisci, æquo animo perferre conati sumus. Speramus enim fore, ut diuina clementia nos proteget in reliquis certaminibus, quæ etiam diu defendit. Nam S. Elmi arx eò iam erat redacta, ut humanis uiribus non amplius defendi posset, cùm nostri tot, tamq; acres hostium oppugnationes fortiter sustinuissent, nullo nostrorum adiuti subsidio, quod & maximè mittere debebant, & facilè in tanto temporis spatio, potuissent. Sed pro rebus omnibus Deo gratias agere oportet, à quo solo, ut hactenus beneficia accepimus, ita in posterum obtinebimus, neque humanis uiribus confidere opus est, nisi quæ diuina ope excitantur: quãdo neq; literæ nostræ, neq; diligentia, neq; admonitiones, neque mandata uel illos excitare potuerunt qui nobis parere debebant. Non patitur angustia temporis ut infortunij, calamitatisq; nostræ magnitudinem Toletano explicemus, tu facilè nostro nomine, ad illũ perscribere poteris, omnesq; amicos nostros certiores facere, quod si fecissent, quod per literas nostras monebantur, & si uel parua auxilia misissent, fortasse arcem illam non amisissemus. atq;, quod etiam magis esset Italiæ finibus calamitosum, uereor ne, nisi Toletanus decreuerit citò ab hac obsidione nos soluere, non opportunus, postea accedat: idq; præsertim, si ante obsideamur, quam parua illa militum auxilia nobis accesserint, quæ tanquam in somnis apparuerunt. Non diffidimus sanè Domini Dei nostri bonitati, quem nobis & auxilia breui missurum, & optimam Toletani mentem, omniumq; Christianorum salutis cupidã cum summa felicitate incitaturum speramus, ut ad nos liberandos ueniat, cùm totius uis negotij in celeritate collocata sit. Hostes cùm totã classem in portu Marsamusetto collocarint expurgandis locis intenti sunt, quæ tormentis infestabantur, ut nos etiam pro uirib. infestent. Continuò lectis his litteris mittito ad nos sanctæ Catherinæ, Belcalcaræ, Belmesti, & Zorici centuriones cum suis cohortibus, ut eorum militum opera uti possimus: quoniã sine illis maxima sumus in rerum omniũ perturbatione. Imperamus igitur illis per has literas, ut statim ad nos iter arripiant, quorum auxilia maximè sunt nobis necessaria. Suppliciter diuinam Clementiam rogamus, ut aliquem bonum nũtium ad nos mittatis, uosq; & protegat Deus & fortunet. E Burgo 8. Cal. Quint.

Literæ ad Mesquietam Melitensium militum præfectum.

Non cõfidendũ est humanis uiribus.

Centuriones.

Etsi magnum est periculum ne literæ ueniant in manus hostium, tamen illas noluimus secretiorib. notis conscribere, ut easdem ad nostros mittere posses, quoniam non mediocriter eius, qui illas affert, diligentiæ confidimus. Verùm ut ad belluas illas crudelissimas, omnisq; humanitatis & misericordiæ expertes reuertamur, singulare quoddã odij & crudelitatis genus in eos equites exercuerunt, quos semiuiuos adhuc in arce inuenerunt, ut omnibus pateat quantopere dignum est ut prorsus deleatur Turcicum illum nomen, non solum

Belluæ crudeliss.

solum sempiternum uerae religionis aduersarium, sed etiam omnis benignitatis & clementiae. Arce igitur potiti, quotquot uiuos adhuc inuenerunt, primū pectus singulis ferro aperuerunt, & cor ui euulserunt, atque postea caput amputantes illos nudos apertis pectoribus, & amputatis capitibus ad triginta spectādos nostris (unde facile prospici possent) exposuerūt. Hos deinde Mostapha purpureis superindumentis cum candidis crucibus indutos in mare deijci iubet, ad obsessorum ignominiam. Sed quoniam mare aliquantulū sequenti die fluctuauit, illorum cadauera in portū uentis delata fuerunt, quae cognita à nostris sepulturae sunt mandata. Tanta uerò animi acerbitate incēsus est in illos Valettanus, ut neminem è Turcis captiuū fieri in posterū iusserit, sed omnes tanquam pecudes trucidari, omnesq; qui captiui fuerant ad id usq; tēpus, caeduntur: quorum capita extra moenia, ubi castrametati sunt hostes, deiecta fuerunt. Eodem die scripsit Valettanus ad praefectum urbis & equitatus magistrum, ut ubi captiui Turcae quae de hostibus nuntiarent, auditi fuissent, occiderentur. Sequenti deinde die, Mostapha Chiaurem ad Valettanum misit. Est autem Chiaur, cursor, & mādata ferēs principis appellatus apud Turcas, qui percūctaretur à Valettano num aliquā cōditionē esset accepturus. Accessit & senex quidem Hispanus, qui captiuus erat in castris, cui libertas promissa est si nuntium ipsum ad Burgū usq; comitaretur. Hi cum peruenissent ad moenia, Chiaur foris permansit, at Hispanus quod iussus fuerat, Valettano significauit, & an aliquam deditionis coditionem esset accepturus, percunctatur. Hic audito pactionis nomine tanta ira exarsit, ut nisi Christianus & senex fuisset nuntius, statim caesus esset. Detulit tamē illi optionem cum ira aliquantulum deferbuisset, num secum in urbe esse mallet, an in castra reuerti, quod si mallet castra repetere, à se quàm celerrimè discederet, ac nuntiaret Chiauri, quod nisi citò recessisset à moenibus, ambo tormentorum globis laniati cecidissent. Hi reuertunt in castra, omnia diligēter Bassae, quae audierat Hispanus, aperit, quo uultu excepti sint, & quibus minis recedere iussi, & quòd nisi citissimè recessissent tormentorū globis fuissent caesi, quòd uix incolumes in castra sunt reuersi. His auditis tanta indignatiōe inflāmatus est Bassae animus, ut rabidus propè factus palàm profiteretur se nullum crudelitatis genus nòn in Christianos uelle exercere. Hoc cum sensisset unus è Spacchibus, Philippus Lascaris nomine, quae nobilissima fuit in Graecia familia, (hic enim puer adhuc cum fuisset Christianorū captiuus, quo tempore Christiani potiti sunt Patris, & per humaniter ab illis tractatus, non mediocri beneuolētia Christianos prosequebatur) cùm se plurimum prodesse Christianis intelligeret obsessis, quòd esset à consilijs Bassae, omniaq; cōsilia hostium cognosceret, decreuit secum in animo cum terra transfugere nullo pacto posset, maritimo itinere ad oppidū sancti Michaelis euadere. Id saepius cum expertus esset frustra, tādem incolumis euasit: at non sine periculo, quia & sclopetti displosi, & sagittae missae complures in illum fuerūt. Hic docuit Valettanum non solū quid decreuissent hostes in posterum, sed etiam quae mox essent facturi obsessi in acutiore & eminentiore parte oppidi ad repellēdos quosdam hostium conatus. Idem cum utilia consilia nostris aperuisset, inuadentes etiam hostes fortissimè cum nostris pugnādo repulit. Post solutam obsidionem Romam contēdit, & à summo Pontif. per benignè acceptus, dignam mercedē suae beneficentiae reportauit: quippe qui non solū de Melitensi ordine equitum, sed de uniuersis Christianis esset benemeritus. Tum ad Philippum Hisp. Regem contendit, ut illi utiliter consilia Turcarum Imperatoris aperiret. Verùm ut ad Mesquierā redeamus, lectis Valettani literis, iussit actuariolum instrui, quod ingressus Coronellus Melitensis militiae eques in Siciliam quàm citissimè conuolaret, & ad eos literas dedit cum his: qui in Sicilia morabantur.

Immanis crudelitas Turcarum.

Cadauera militum nostrorum in portum delata et terrae tradita

Chiaur quid sit.

Philippus Lascaris Graecus aperit Valettano hostium concilia.

Actuariolū instituitur.

CLARISSIMI COMMENDAT. ET EQVITES
ordinis sancti Ioannis.

Post diem 34. ex quo Turcica classis omni maiorum nostrorũ memoria numerosior, magisq; instructa ad insulam Melitã appulit, arcem S. Elmi decem hominũ millibus obsidẽs cinxit, & triginta ac duob. muralibus tormẽtis ita cõcussit, ut neq; uis mœniorũ, neq; reparationes interius, quæ fierent à nostris summa diligentia, protegerent. Fossæ impletæ sunt eius arcis, & põtea ex antennis facti, super quos iactos supra ruinas sine ulla molestia pertransirẽt. Veruntamẽ cùm bis hostes totis cohortib. arcẽ fuissent adorti, cùm nostri multa leuiora prælia excitassent, ita se intrepidè ac gloriosè in omnibus certaminibus defenderũt, ut hostes cum multa suorũ cæde semper repulsi fuerint, signa erepta, duces obtruncati, atq; ipse etiã Dragutus cecidit. Sed quamuis animus nõ deest humanis uirib. aliquãdo, solet corporis firmitudo animo aliquando deesse. Nono Cal. Quint. ante diluculũ hora tertia hostes arcẽ sancti Elmi totis uirib. terra, mariq; inuaserunt, omnẽ classem è Narsasirocco circa arcem collocarũt, ut oppugnatio esset potentior, qui conatus & pugna ad meridiem usq; perdurauit. Cùm nostri, qui arcẽ defendebant iam diuturno certamine, & multa cæde hostium, & calore solis & armorum defessi essent, cũ nulla subsidia possent accipere, tot è partibus in arcẽ irruentes hostes nõ amplius sustinere potuerunt, quare omnes crudelissimè trucidati sunt. Eo ipso tempore has literas cum summa crudelitate ad me dedit ordinis nostri præfectus, quas etiam ad uos mitto, ut intelligatis quantã iacturã fecerimus, & quo animo is tulerit, quòd nulla subsidia illi missa sint, cum toties id à uobis petierit. Nam iacturã illam uestra propè causa factam fuisse uidetur existimare. Nam tametsi arx illa nõ uidebatur tamdiu posse defendi, tamen tãta erat illorũ, qui locum defendebãt, animi magnitudo, ut quibusuis uel paruis subsidijs posse confirmari uiderentur usq; in aduẽtum Toletani cum uniuersis auxilijs. Sed quoniã per literas iubeor ad uos scribere, ut patet ex ipsis literis; uos rogo ut suppliciter à Toletano illi subsidia postuletis, cõmemoratis etiam beneficijs, quæ noster ordo in Maiestatem Catholici Regis pro uirib. contulit: ac propositis incõmodis, quæ si hostes Christianorum omnium communes insula potirentur, essent consecutura. Neq; timendam esse monerent Turcarum multitudinem, quia ut è captiuis intelligitur, & è Christianis transfugis, hostiũ triremes conquassatæ sunt ac debiles, quas centum triremes mediocriter instructæ possent profligare. Verùm quoniam hoc uestri est muneris, & quoniam in celeritate totum pondus rei positum est, uobis eligendum relinquitur commodum ne an iacturam referre malitis, ut Coronellus nobis coram explanabit, qui etiam illa ipsa de causa ad uos ita iubente Valettano proficiscitur. Vos igitur obsecro ut quantum potestis diligẽtiam adhibeatis, quo & ordinis nostri honorem, & ordinis principem, & omnium Christianorũ dignitatẽ, quæ in hoc uno certamine uidetur esse proposita, opportunè defendere possitis. ex hac urbe Melita. 7. Cal. Quint. M. D. LXV.

Arx S. Elmi 10. millibus hominũ cincta & obsessa.

Arx sancti Elmi quãdo expugnata.

Beneficia à militibus relig. S. Ioãnis, Philippo regi collata.

Turcarũ triremes conquassatæ ac debiles.

Cùm Messanam igitur Coronellus aduentasset, animaduertisset classem Christianorũ non ita celeriter posse comparari, ut opem ferret laborantib. obsessorum rebus: cùm quia triremes Hispanæ nondum accesserant, tùm quoniam Ioannes Andreas Aurias cum uiginti & octo triremib. erat reuersurus, quibus quatuor millia peditum asportaret, qui duce Chiapino Vitellio in Etruria cogebãtur. Vbi uerò animaduertissent Melitẽsis ordinis Equites quantum detrimenti rebus omnib. tam diuturna mora afferre posset, statim ad cõcilium, quod inter ipsos indictum fuerat, accedunt, atque propositis periculis quæ è tarditate auxiliorum consequi poterant, omnes decernunt Dijs fauentibus uel clam, uel ui, si aliter fieri non posset, opem ferre omninò obsessis.

Melitẽsis ordinis equites ad indictum concilium accedunt.

Principes

Principes illorum subsidiorum delecti fuerunt duo ex ijs. Hi propere negotium maturantes ad Toletanum adeunt, illi pro magnitudine beneficiorũ, quę non modò in Philippũ Regem, sed in omnes Christianos contulerant, rogãt, ut negotium adiuuet. Se magnos sumptus ostẽdunt anno præterito sustinuisse, cum Pionias oppidum expugnasset, qua in re nullis neq; sumptibus, neque laboribus pepercerunt, sed & commeatu omnis generis, & munitionibus, & nauigijs illum iuuerũt, ac neq; ipsis quidẽ Melitẽsis militiæ equitibus pepercerunt, ut illud ad suæ Maiestatis cõmodum, & ad omnium Christianorum quietem spectare cognouerunt. Esse enim æquum illis inter miserias opem ferre, quorum officio per felicitatem, & tranquillitatem rerum omniũ usi fuissent. His præterea addiderunt quòd occupata ab hostib. cõmunibus Melitæ insula, neq; Siciliæ quidẽ ora pacata futura esset, quæ tam cæteros cõtemnentem, & tam superbũ hostem propinquũ haberet. Quare nõ minus Toletani & Philippi Regis referre hostẽ illum à suis finib. arcere, quàm ipsorũ etiam Melitensium. Videri enim nunc agi de insula Melitæ, at re ipsa de totius Italię salute, & Imperio uno prælio dimicari. His alijsq; rationib. cõpluribus in medium allatis, deniq; postulatũ est à Toletano ut quatuor millia militũ cõcederet, cũ quib. omnes illius ordinis equites, & uiri illustres præsentes, alijq; gloriæ cupidi nauigassent, auxilia Melitẽsibus allaturi. Sperabãt enim fore ut eo tum uirib. si non opprimeretur, at debilitaretur salutẽ, & retunderetur hostiũ audacia: cum rebus interim non ita urgentib. ualidiora auxilia possent cõparari, quibus Turcica clasis posset ex insula depelli, uel etiam profligari. Dum hæc secum in animo cogitaret Toletanus, & quid sibi agendum esset expẽderet, eo fortè tabellarius à Philippo Rege præsto fuit, qui illũ in sententiã citissimè impulit. Respõdit igitur illa, quæ postulabãtur, sibi esse periculosa, & ad totum negotium postea ualde fore incõmoda, si fortuna aliqua cõtigisset, ut aliqua parte triremiũ priuaretur. Veruntamẽ si uellent tantopere in insulã deportari, illud cõmodè fieri posse, per duas triremes, quæ aderãt eius ordinis, quibus & ipse duas è suis erat cõcessurus, per has enim & equites & copias Romã pfectas cõportari posse. Id cũ delecti ad cõparanda subsidia percepissent, neq; plus eo se obtinere posse uideret. Eam auxilij opportunitatẽ quantulacunq; esset non negligendã duxerunt. Binæ igitur Melitẽsis militiæ triremes, & totidẽ Toletani instruunt, cum octoginta equitib. Melitẽsis ordinis, & sex centis peditibus, qui iter Melitã uersus capiẽtes uiginti dies in mari fuerunt, quia ppter multas maris tẽpestates descẽsiones facere, & in terrã exire nõ potuerũt. Iussi sunt preterea nõ prius è triremib. exire, quàm intellexissent an arx S. Elmi à nostris adhuc teneretur. Hac de causa nauiculã exploratoriam misẽrũt, quam se dixerunt per totũ diẽ crastinum expectaturos. Inde uerò tãta maris perturbatio coorta est, tantaq; tẽpestas, ut triremiũ præfecti quamuis fecerunt quod dixerant, tamẽ qui ad urbẽ accesserant, promissam celeritatẽ seruare non potuerunt. Cum igitur dubitarẽt ne catascopiũ uenisset in hostiũ potestatem Hieram se recipiunt, ut ibi aliquid intelligerent eò profecti arcem nostrorum prẹsidijs defendere cognouerũt, atq; ad insulã redeuntes lõginquam facem clasicã uident. Quod illos in suspicionẽ induxit, quòd capta exploratoria nauicula hostes illos præstolarẽtur. Veruntamẽ cum ignis in eodẽ loco non diutius persisteret, id fieri crediderũt, quia hostes in unum in tutiorem locum cõuenirent, ob temporis iniuriã. Deinde cũ Hierã rursus redijssent è Gallo quodã eius militiæ equite, qui è Melita exierat, cognouerunt, quòd is tanquam melioris, & tutioris itineris signũ illum ignẽ accẽdisset: quare in ferendis subsidijs non aëra solũ, uel mare grauissimos aduersarios nacti sunt, sed is etiã ignis aliquantulũ illos retardauit, & propè ex insula auertit, Veruntamẽ, ut placuit diuinæ bonitati, ad 3 Cal. Quint. milites per noctẽ descẽsiones faci

In bello Melitensi de Italiæ totius salute etiam agitatur.

Toletanus de suorũ salute solicitus, quid sibi agẽdum sit expendit.

Nauicula exploratoria.

Maris tempestas.

BBbb 2 untad

unt ad Petras nigras, qui locus Lylibæum ſpectat. Diſcruciabatur Valettanus
interea nulla ſibi mitti auxilia, cùm tam diu ad ſuos ſcripſiſſet, ac neq; per ſu-
as quidem triremes: ſed nihil in mari repugnãtibus uentis, cum præcipuè ibi
ſit uentorum Imperium, confici poteſt. Nam tam aduerſa fortuna uſi ſunt no-
ſtri ferendis auxilijs, quam proſpera hoſtes cum arma Melitenſibus importa-
rent. Hoſtes enim tam ſecundos uentos, tam facilè & placidũ mare, tam om
nia felicia Melitam uerſus nauigantes experti ſunt, ut ipſi propè pro Neptu-
no mari imparare uiderentur: cum intra quinq; dierum ſpaciũ ad ſexcẽta mil-
lia paſſuum nauigauerint, ita illis arridente & duce fortuna, ut neq; remũ qui-
dem fregerint. At contra noſtris quid non aduerſum in tam breui ſpatio itine
ris contingit? dicunt enim ad ſexaginta millia paſſuum abeſſe Melitam à Sici
lia, in quo tam paruo maris traiectu, & in cæteris difficultatibus, quæ obuene
runt, multi dies ſunt conſumpti, quam fortunæ acerbitatem non ſunt experti?
quæ non difficillima habuerunt? nam Iunio menſe per uiginti dies circa Me-
litam inſulam uagari coacti ſunt, neq; mare tranquillum unius horę ſpaciũ in-
uenire potuerunt. At egreſsi tandem, quanto aſperiorẽ fortunam in mari fue
rant experti, tanto benigniorem in terra inueniunt: nam ciuitatẽ nullo nego-
tio ingrediuntur, nemini ex hoſtibus non modò non impediente, ſed nec ſen
tiẽte quidem. Enimuero dum noſtri ui uentorum, mariſq; perturbatiõe impe
diebantur, ne exirent è triremibus, à Græco quodã penè per proditionẽ hoſti
bus ſunt indicati. Nam cum denſiſsima nebula per eos dies aliquando conti-
giſſet, puer quidam è feneſtra caſtelli deſpiciens, tanq; hominem quẽdam per
eam nebulam uidit, qui territus ſe Turcam conſpexiſſe ratus exclamauit. Ad
eius uocem exciti quatuor milites Græcum cõprehendunt, qui captus, (nam
præfectorum iuſſu è ciuitate in Burgum accedentibus capitale fuit propoſitũ
ſupplicium) & tormentis addictus, ſe in caſtra hoſtium uelle proficiſci confeſ-
ſus eſt, ut illos de auxilijs, quæ acceſſerãt, certiores faceret: ut illi in inſidijs col-
locati captiuos facerent, cum ſe magnum emolumentum ex eo nuntio relatu
rum ſperaret. Hic in quatuor partes diſcinditur, ne poſtea occaſionem nactus
magno aliquo detrimento Rex Melitẽſium poſtea afficeret. Deinde uerò tri-
duum in urbe morata noua ſubſidia, poſtridie ſub initium noctis oẽs incolu-
mes ad Burgum ſe recipiũt, præter duos pueros, qui nõ ita celeres eſſe potue-
runt, quòd eſſent armis, alijſq; impedimẽtis grauati. Horum ſubſidiorũ aduẽ
tus incredibile eſt dictu quantã lætitiam obſeſsis attulerit, nihilq; magis opta-
rent quàm quippe cum oẽs alacri eſſe animo uirtutis & fortitudinis ſuæ teſtes
hoſtes efficere. Cõtendũt igitur à Valettano ſubſidiarij trecẽtes milites ut op-
pidum ſancti Michaëlis ſibi defendendum cõcederet, eum eum locũ primum
Turcæ uiderẽtur eſſe aggreſſuri. Cum illos ita forti animo eſſe cõſpiceret Va-
lettanus facilè quidẽ conceſsit, ſed nullis remotis è primis loci defenſoribus.
Die aũt poſtero cum hi diutius pugnandi cum Turcis deſideriũ ferre nõ poſ-
ſent, ex oppido frequẽtes exeunt, in eos impetũ faciunt, qui è parte ſanctæ Ca
tharinæ erant propinqui, cæſiſq; ad centum & ſexaginta ex hoſtib. pluribus
etiã uulneratis ſine ulla ſuorũ iactura oẽs multo hoſtium ſanguine perfuſi in
oppidum reuertuntur. Id cum cognouiſſet Baſſa recẽtia auxilia, ut erant, eſſe
credidit, quæ Burgum eſſent ingreſſa: atq; cõqueſtus eſt grauiter de ſuorũ ne-
gligẽtia, quib. id munus datũ fuerat, ut locum diligenter cuſtodirent, ne noua
auxilia accederent. Illorum poſtea fidẽ etiam in dubium reuocauit, quib. com
miſſa fuerat illa prouincia, ut uiderent ne qua ſubſidia obſeſsis in inſulã expo-
nerentur. Hanc ſuſpicionem auxerunt etiam trium triremiũ Regis Algerij
fuga. Quæ cum ita eſſent, neq; primis cuſtodibus, neq; illis, qui Chriſtianam
religionem abnegauerãt, cõfiſus, cum multi eorum profugerent, edictum fie-
ri iuſsit ne quis horum extra triremes in poſterum pernoctaret propoſito uel
grauiſ-

Hoſtes ſecundis uẽtis uſi, Melitã uerſus nauigãt.

Noſtri, nihil niſi maris perturbationem, in itinere uerſus Melitam experti ſunt.

Baſſa negligentiã exploratorum ſuorum incuſat.

Edictũ Baſſe militibus ſuis propoſitũ.

grauissimo pali, uel ignis supplicio illis, qui non edicto paruissent. Mutatis igitur custodibus insulæ dicrotis Rays, quib. maximè cõfidebat, illo munere obeundo usus est. Tantã deniq; uenit in suspicionem omnium suorum, ut triremes multas carthenis simul uinctas in portu Marsamusetto detineret, ne qui fieri possent Christianorum conatus: atq; magis coniunctã, quàm antea solebat, classem Turcicã habere statuit. Inualescebat eo tẽpore in castris & in classe morbus è uẽtris profluuio, & sanguinis fluxu, quo morbo magna multitudo laborabat. Tria igitur loca laborantibus uarijs morborũ generibus erant assignata: unus erat in insula aquæ uicinus, ubi erãt ad duo uulneratorũ Turcarum millia, alius Turcis iam cõualescentib. ad puppes triremiũ, alius Christianis assignatus laborantib. aliquo morbo in ipsis triremibus, sic enim diuina potẽtia non solũ per arma nostrorũ, sed etiã per uaria morborũ genera, quæ hoĩes inuaserant, obsessorũ rebus opem ferebat. Eodem tempore Ochialis Teuthraniæ gubernator pro Draguto à Bassa instituitur, qui cum quinq; triremibus ad suam diœcesin profectus, ministris institutis in classem reuertitur. Mittit deinde Bassa duas naues onerarias frumẽto onustas Teuthraniã, ut panis nauticus ex eo fieret, quòd illo opus erat magnopere classicæ multitudini, cum antiquum insuauissimũ haberent. Deinde celocem ad Imperatorẽ Solymãnum misit cum literis, quib significabat se arce sancti Elmi potitos fuisse, & cum literis expressam diligentissimè Melitæ insulæ figurã, sicuti illam se habere reperit: quib. addidit se multo magis bellicosos & ualidos inuenisse homines eius insulæ, quàm sperarat, & quàm ab initio eius belli ab omnibus credíti fuerant. Quòd si iuberet bellum diutius protrahi, opus esse maioribus copijs, & cõmeatibus, & munitionibus: quod futurum quidem erat ut oppidis insulæ munitis potirenẽ, aut ui aut per deditionẽ, sed non tam citò: quòd dum eius Maiestatis responsum rediret, non erat passurus ut dormire uiderẽtur bellica tormenta. Sed neq; dormiebant profectò, quoniam septuaginta canonibus, inter quos tres erant maximi Basilisci, è quatuordecim partib. oppidi sancti Michaelis & Burgi muros quassabãt ac perfringebãt, extructis sparsim aggeribus ab acumine furcarum ad arcem usq; sancti Elmi. Nam arcem nõ munierunt quidẽ, sed purgarunt tantum, atq; ibi trecentos lanizeros in præsidijs collocarunt. His igitur tormẽtis bellicis ita erectis dies ac noctes nullo spacio intermisso & oppidum & Burgum diuerberantes domos deuastabant, & infringebant. Tertio deinde Non. Quint. cum bellica tormẽta ad illam partem insulæ, quæ spectat oppidum & Burgum attraxissent, duos aggeres erigere adoriuntur, unde oppidum infestabant, quem locum aggerum Grottam uocant. Tertio deinde die perducendis tribus item aggeribus in opere fuerunt supra locum, quem nominant incolæ Courasim, unde etiam oppidum percuterent. Postea his nondum absolutis alium aggerẽ excitarunt, ubi uulgò Mandraciam uocant, ad infestandum oppidum. Deinde alium faciunt nõ procul à sancta Maria dicta subsidij, qui agger & oppido & Burgo erat infestus. Postridie eius diei duos aggeres insignes perduxerunt apud sanctam Margaritam, qui & oppidum & Burgum grauiter diuerberabãt. Omnia horam nouẽ aggerum tormenta nullo, neq; diurno, neq; nocturno tempore cessabant; ita ut in Burgo uersari difficillimum & periculosum esset omnino. Erãt super singulis aggeribus sex bellica tormenta, quæ mulieres, si qua esset grauida, præcipue infestabant, & pueros. Sed cognita ratione offensæ haud difficulter postea inuẽtum est remedium, quamuis domus protegi non potuerũt, cum editiores essent aggeres. Turcæ circa ipsos aggeres frequẽtes erant, parumq; per insulam uagabantur, quod si quando fieret, non sine magno numero audebãt, semperq; cum aliqua suorum clade redibant in castra. Illi enim, qui equos habebant in urbe, exeuntes semper ex extremis eorum multos trucidabant

Morbus in castris inualescens.

Ochialis in locum Draguti suffectus.

Bassa mittit celocem ad Turc. imperatorem.

Aggeres uarij à Turcis eriguntur.

Grauidæ mulieres à tormentis infestantur.

sine aliqua nostrorum calamitate. Dum hæc geruntur in insula, nostriq; inter assiduos labores, & inter grauissima pericula uersantur, nuntius Romã peruenit quòd hostes arcem per uim occuparint. Tum perculsi sunt multorũ animi. Eo nuncio accepto, nonnulli quod procul aberant ab ipso periculo, illud Valettani imperitia contigisse palam dicebant. Sic enim plærunq; fit, ut quæ asperrima & difficillima sunt factu, rerum gerendarum imperitis facilia uideantur, atq; ex euentu rerum uel sapientes, uel imperitos nominent Imperatores. At sapiẽs meo quidẽ iudicio is unus appellari potest, qui sapienter decreuerit, & facere nitatur, at nõ is, cui benignitate quadã fortunę res feliciter euenerint. Est enim fortuna imperitorum & inertium plerunq;, ut sapientia prudentium, mater & moderatrix. Verùm si quis illa, quæ pertinentia ad id bellũ, diligentius cõsideret, nullũ neq; prudentis, neq; diligẽtissimi Imperatoris munus à Valettano prætermissum fuisse intelliget: quippe cũ quasi ex altissima specula multò ante futura præuiderit, & omnib. pro uiribus cõsuluerit. Nam & ante id bellum omnibus regibus, & Christianis principibus significauit q̃ formidabilem omnibus classem Turcarum Imperator ad euertẽdam insulam Melitam instrueret: & sæpius eadem per literas repetiuit, non solùm ut commonefaceret Christianos principes, sed etiam ut excitaret tanti bellici apparatus magnitudine: Atq; istud ipsum fecit, cũ Turcica classis iam inuasisset Melitæ insulam, portusq; Melitẽsium occupasset. Quare uel nemo accusandus est in insula illa defendenda, uel omnium Christianorum desidia, qui nullis quidem intestinis, neq; externis bellis implicati, tamen æquo animo uexari impune ab hostibus & ueræ religionis, & quietis ac pacis, & omnis humanitatis insulam in intimis prope Italiæ partibus ferebant. Nullum deniq; industriæ genus uel peritiæ prætermissum est à Valettano, qui summa diligẽtia prius Melitam omnibus commeatuum generibus, & præsidijs satis ualidis, & necessarijs munitionibus communiuit, & quæ extra mœnia forent, bello quamparatissima fecit. Verùm diuturni apparatus bellorum ærariũ & uires ciuitatum, uel opulentissimarum exinaniunt. Vt autem pateat inter quantas difficultates uersaretur Valettanus, huc ascribendas putaui literas, quas misit ad summum Pontificem Pium IIII. eius nominis ad 12. Calend. Maij.

inexpertis. Dulce bellũ

Quis uerè sapiens.

Cõmendator Valettanus quod diligentissimi Imperatoris munus fecerit.

BEATISSIME PATER.

Literæ ad summum põtificem Pium 4. missæ.

DVm studeo cum omnibus Equitibus huius ordinibus pro uirili res illas præparare, quæ necessariæ sunt ad resistendum Turcarum classi, tot mihi deesse animaduerto, quæ maximè sunt necessaria, ut nisi humanissimè mihi per literas pollicitus esses te auxilia esse missurũ, uel potius iã certissimũ signum tuæ bonitatis numeratam pecuniam, & trecentos pedites tuis stipendijs misisses, iam propè nescirem quò me uererem, ob grauissimos sumptus, quos passus sum propter minas Turcarum annis superioribus, cum & æs alienum nouum assiduè à me cõtraheretur, & uetus paulatim excresceret. Quòd uerò mihi molestissimũ est, illud existit, quòd siue accesserint Turcæ, siue minimè, intolerabiles hi & grauissimi sumptus omnino nõ possunt à nobis prætermitti: cum Turcarum Imperator persimiles sumptus facere non cesset, atq; si classem emittendam instrueret. Est enim tam eleuato animo, ut Christianos præclarè secũ agi existimare arbitretur, si seipsos defendere potuerint. Tantũ abest ut se posse offendi ab ullo censeat, cum nulla ex parte sibi uideat quenq; obsistere. Præterea illi exploratum est, q̃ si uel soli piratæ occidentis in unum conueniãt, magis & numerosam classem & potẽtem efficient, quàm illa fuit, quæ superiore anno cũ summa omniũ Christianorũ difficultate coacta est, & tamẽ faxit Deus ut tãta hoc anno cogatur. Possent igitur uel minimis accitis orientis auxilijs nos multo magis infestare, ne dum si uniuersam classem coegerint: nisi diuino consilio refrænentur, atque expectarent, ut undique arma

Christia-

Christianorum conuenirent. Sed quoniã id diuinitus sibi oblatam rei præclare gerendæ opportunitatem Christiani principes paruifaciunt, cum neq; tot suorum cladibus, tot damnis, tot publicis ac priuatis sumptibus, tot incursionibus, cædibus, rapinis, populationibus suorum regnorum excitantur, uerear ne ira Dei tabiẽ illi crudelissimo tyrãno & immani belluæ immittat, cui postea resistere nõ ualeamus. Hæc omnia notissima esse sanctitati tuę certò scio, & quòd animus tuus mirificè incensus est hoc sanctissimo desiderio auertendæ tãtæ calamitatis ab uniuerso suo grege: quare mihi uitio dari posset fortasse, quòd ea consilia tibi percurrere uidear, quæ tu multò melius cognouisti. Sed tamẽ cum illa mihi magis ante oculos quotidie obseruentur, & propè assiduè, ita cõmotus sum ut supplex pro tuo paterno in oẽs uiros bonos amore, & huius ordinis equitum nostrorum nomine, qui se pro Christiana religione sacrificare offerunt, à Sanctitate tua peterem: & præterea pro Christianorum omnium pace & salute, ut sicuti sacro concilio celebrando propter tranquillitatem Christianorum nullis neq; laboribus, neq; sumptibus pepercisti, ita nunc aliud non minus necessarium cogas, si non ad delẽdos perpetuos hostes Christiani nominis, at saltẽ ad arcendas & propulsandas iniurias, quę assiduæ christianis inferuntur: cum tot captiui quotannis abducantur, & ad hostes intra suos fines coërcẽdos Nunc summa facultas est huius rei aggrediendæ, quoniam summa pax est inter Christianos principes: inter quos si fortuna aliqua bellum excitaret, hi nemine postea impediẽte omnia ferro, flammisq; deuastarent. Sed quoniam hoc negotium & Deo acceptissimũ omnium, & tibi in perpetuum honorificentissimum fore confido, spero me tantum felicitatis è Deo consecuturum, ut diem illum felicissimum uideam, antequã concedam naturæ. Quòd si longior fui scribendo, quàm tua grauissima negotia patiebantur, supplicitet à te ueniam peto, rogoq; pro singulari tua clementia, ne mihi in meis grauissimis molestijs desis. Melitæ 3 Id. Maij.

Opportunitas diuinitus oblata, Turcis scilicet bellũ inferẽdi à Christianis principibus negligitur.

Valettanus apud Pontificem instat de cogendo concilio.

Nunc, ut ad triremes illas, quæ milites in insulam exposuerãt, redeamus, illæ Messanam reuersæ ibi denuo instruebantur, quib. parandis tãta usi sunt diligentia, ut Non. Quint. sexcenti Hispani triremes ingressi sint, equites uerò Melitensis militiæ, & milites à Pont. Max. missi trecenti, Pompeio Columna omnib. his præfecto. Erãt triremes illæ tum uoluntarijs, tum etiam coactis remigibus munitæ: atq; coactis promissa est libertas, si totis uirib. nixa fuissent remigare donec in portum perueniretur: tum postea futuri essent stipendiarij milites. Vehebatur præterea his triremibus magna frumẽti copia, & pulueris tormentarij, & salnitri, & plumbi: quare non parũ erant onere impeditæ. Sed, cum in portum ampliorẽ appellere statuissent, eorum cõatus difficillimus ab omnibus iudicabatur, & quid ad optatũ finem ferè non posset perduci, cum Turcæ arce Sancti Elmi potirentur, omniaq; loca circum aggeribus, & oppidulis Terracæis, & bellicis tormentis occupassent, omnemq; classem haberẽt in portu Marsamusetto. Veruntamen tanta erat desiderij magnitudo ferendi subsidij illis, qui obsidebantur, ut omnia tuta & expedita itinera sibi uiderentur, nullumq; timerẽt periculũ, cum spem omnem in diuina ope collocassent. Omnes igitur alacres uela uẽtis explicarunt, atq; ita læto uultu, ut nullas neq; tẽpestatis minas, neq; fortunæ iniurias posse timere sibi uiderẽtur. Quare Melitam uersus proras obuerterunt. Cum uerò distaret adhuc ad decem millia passuum ab insula, catascopium mittunt, ut sibi significaretur an possent tutò in portum peruenire. Cum deinde distaret nauicula exploratoria ad quatuor millia passuum, signum è castello sancti Angeli extollitur, quò significatur esse recedendum. At uerò Turcæ ut id signum impedirent, quo minus uideretur à nostris, bellica tormenta & sclopettos eodem tempore in id signum disploserunt, ita ut totum cœlũ fumo repente fuerit repletum. Quod tamen fru

600. Hispani triremes ingressi.

300. milites à Pio miss.

Signum è castello S. Angeli datum.

strà factum est, cum nostri iam recedendi signum percepissent. Sic igitur recedere iussi sunt, tum quia Valettanus nō magnopere opus habebat eo tempore illis subsidijs, tum etiam ne tot uiri præclari, cum periculo plenus esset conatus, fortunæ arbitrio committerentur. Quippe cum statuissent hostes iam sex dies ut quædā triremes in faucibus portus Marsamusetti pernoctarent apud arenam, ne ulli ingressus pateret aut exitus. Quod hostium institutum cum è captiuis cognouisset Valettanus, noluit illa auxilia ad se uenire. Cū leuius prælium, quod commissum fuerat à subsidiarijs recentibus militibus, auditum fuisset in ciuitate, ita erecti sunt militum urbanorum animi, ut hostes illis imbelles uiderentur, quare cum quædam armenta hostes abegissent, equestres tanto impetu in eos feruntur, ut cæsis nonnullis ex hostibus ab insectantibus reliquos, uel ad puppes classis peruentum sit. Turcæ cum suorum fugam uidissent, ad arma conclamarunt, atque omnes pulsationibus murorum relictis ad tabernaculum Bassæ se recipiebant. Id cum sensisset Valettanus, putauit hostes parari ut totis uiribus oppidum adorirentur. Quare statuit in insulam accedere, ut res oppidi magis confirmaret: cum uerò se frustra id agere sensisset, recessit. Illud sanè intrepidi & magni animi fuit indicium: sed non tam corporis, quàm animi firmitudo in principe requiritur, qui tam cæteris præstare prudentia & iudicio debet, quàm potentia & auctoritate, cum omnis, quæ sub ipsius imperio est multitudo, ad recta à principe iudicata exequenda accingi debeat: est enim tanquam anima in castris, Imperator, cuius munus totum collocatum est in rectè iudicando & prouidendo & imperando: at reliqua militum multitudo manus est principis, unde rectè manus nuncupatur. Cum uerò anima maximè opus sit corpori, in cuius salute multorum salus continetur membrorum: minimè laudabilem principem illum duxerim, qui cum totius exercitus periculo, se ipsum periculis, nisi cum necesse sit exponat. Nam qui se non sine multorum cæde & ruina cadere posse intelligit, debet seipsum prudenter seruare. At contra cohortium præfectis nullus terror, nulla pericula, nulla uis hostium, sed gloria tātùm, quam sua uirtute armis sibi comparabunt, & principis decus, & strenuorum uirorum officiū ante oculos obseruari debet: quæ omnia priuatis etiam militibus sunt proponenda: quibus pro rebus præclarè gestis omnibus digna præmia & honores concedi debent. Quare nullus stimulus acrior homines ad ardua quæque impellit: uidendumque ne priuatorum præclara facinora præfectorum cohortium inuidia obscurentur aut occultentur. Equidem cum rectè considero, nulla capior admiratione, cur Solymānus Imperij sui tam latè fines propagauerit, cum apud illum loca honorificentissima uiri fortissimi & prudentissimi teneant, qui omnem nobilitatem in præstantia ingenij, & in animi dotibus sitam esse arbitrātur: apud quem, una excepta religione, multa laudabilia, multa iusta, multa prēmia pro meritis cuique proposita sunt. Sed, ut ad propositum opus reuertamur, tertio Idus Quint. Regulus Algerij cum uiginti & septem triremibus, & nonnullis dicrotis ad classem accessit, quibus uehebantur duo millia & ducēti pedites. Is Regulus cū nuper accessisset, discrutiabatur, quòd ab initio eius obsidionis non affuisset: & cum cupidus esset mirificè alicuius præclari edendi facinoris, ut suorum animos etiam experiretur, petiuit à Bassa, ut sibi liceret primo oppidum maritimo prælio adoriri. Huic non solum concessum est libenter, ut suæ dementiæ pœnas lueret, sed etiam recentium Turcarum duo millia addita, quò alacrior negotium capesseret. Summa igitur diligentia ad octoginta uel nonaginta nauigia è portu Marsamusetto, qua ex parte Regulus Algerij oppidum inuadere decreuerat, adportantur & scaphæ præterea, lintres, acutia, nauiculæ complures. Et ubi uidisset Valettanus, hostium consilio opportunè cognito, cum à transfugis monitus fuisset, cum

Intrepidi & magni animi indicium.

Quid in principe requiratur.

Imperator est tanquam anima in castris.

Militibus sunt honesta præmia pro reb. præclarè et fortiter gestis proponenda.

Qua ratiōe Solymannus Imperij sui fines tam latè propaget.

Regulus Algerij cum 27 triremibus ad classem accessit.

Dementiæ pœnas luit

cum quanti esset id negotium animaduertisset, è uestigio duos Melitenses nautas iubet accersiri, quibus cum essent spectatæ fidei, & singularis ingenij, plurimum confidebat. His Turcarum consilium aperit, & quo pacto sint hostes oppidum inuasuri: aliquot remedium aduersus eorum cõsilia excogitandum esse inquit, ne possent hostium nauigia milites ad radices mœniorũ oppidi exponere. Hi nautæ, re percepta, ambo in eam sententiam deueniunt, ut ex antennis triremium, paruisq; trabibus, & ex alijs lignis, ad id accommodatis, cathena quædã fieret ferreis annulis annexis, quæ ab acumine oppidi ad eum locum, ubi erant oppidum inuasuri, protenderetur: ita enim futurum, ut nullum reliquum esset periculum. Hæc cathena Valettano ualde opportunũ remedium fore uisa est: quare sequenti nocte perficitur, & in loco illo diligentissimè firmatur. Cum hostes mane impedimentum illud, quòd à nostris obiectum fuerat, uidissent, diu consilij inopes constituerunt, quia nullo pacto, sicuti decreuerant, milites oppidũ inuasuros poterant exponere. Dum hæc secum in animo considerant primores exercitus, quo pacto transigenda sint, quidam Regulum Algerij adit, profitetur se illam cathenam incisurum: atq; multis pollicitationibus Reguli inuitatus, sumpta securi, se mari exponit, hunc sequuntur tres alij, eò profecti, super cathena sedẽtes eam incidere adorti sunt: at quinque è nostris, strictis gladijs, eò adnatant, atq; duobus cæsis, reliquos in fugam uertunt, quare nemo post eam cædem ad cædẽdam illam cathenam tam temerè accedere ausus est. Neque tamen illa de causa Regulus ille ab instituto opere desistit: summa diligentia omnia ad illud negotiũ necessaria comparat: quare Idibus postea die illucescente totis uirib. oppidum terra mariq; adoriuntur. Et quoniam tormenta bellica oppidi eò conuersa fuerant, qua uentura erant hostium nauigia, tanta uis illorũ fuit, ut breuiore spacio trium horarum cæsa sint & demersa ad duo Turcarũ millia, & nauigia ad duodecim infracta, & mari absorpta. Magna pars illorum cum ad cathenam adijssent, neque possent milites exponere, ad acumen oppidi deuenerunt, sed nulla re gesta, in castra recedere frustra coacti sunt. Qui terrestri prælio oppidum adorti fuerant, ad quinq; horas dimicarunt, in quo certamine multi Turcæ ceciderunt, è nostris uerò ducenti. Cæsus est globo ferreo in illa oppugnatione uir illustris Fridericus Toletanus, ordinis illius eques, Garçiæ Siciliæ Prorege filius, Gordes Gallus, Franciscus Sanoghera, & Ioannes eius nepos Hispani, Medinæ Commendator. Cum animaduerteret Valettanus, quanto in periculo res Melitensium uersabantur, si diutius bellũ id protraheretur propter assiduitatem laborũ, cum nunquam ab armis recedere liceret, semperq; foret cum recentibus hostibus dimicandum, cum nullum nuntium adhuc de subsidijs accepisset, quamuis Christianorum classis singulari diligentia instruebatur: decernit nuntium ad ciuitatem mittere, qui è Burgo enatauit, & inter hostes, nemine sentiente, elapsus, incolumis in urbem peruenit, hic literas ad Toletanum ferebat, quibus à Valettano postulabatur, ut saltem suæ triremes cum equitibus Melitensis ordinis, qui erant Messanæ, ad se mitterẽtur, & cum militibus quotquot cõuehi possent, signumq; dedit, quo uiso, in portum tutò intrare possent. Illo ipso tempore Hispanæ triremes Messanã conuenerant cum omnibus equitibus Melitensis militiæ, undique ex omnibus nationib. collectis. Cum uellet igitur Toletanus duas triremes suas ad illum mittere, duos celoces cum literis secretiorum notarum ad Valettanum misit, quæ de aduentu duarum triremium illum certiorem facerent, & ut signa intelligerent quibus cognosceretur, an accedendum uel recedendum esset, cognitum fuit postea alterum celocem, quo multa pharmaca ægrotantibus cõuehebantur, cui præerat Orlãdus Pilotus, in potestate hostium uenisse, alter celox & si incolumis euaserat, & ad Burgũ peruenit, tamen nostri summa cõsilia in-

Cathena à nostris mirâ arte cõfecta.

Quidam è Turcis cathenam incisurus mari se exponit.

Nostri Turcas cathenæ insidẽtes deturbant, & duos occidunt.

Regulus oppidum S. Michaëlis temerè adoritur.

2000. Turcarum cæsa.

Terrestre Prælium.

Signum datum.

opia tenebantur, quo pacto triremes illæ forent admittendæ, non per aliquot iam dies nulla eſſe poterãt inter ciuitatis & Burgi homines commercia, quæ ſuſtulerat è noſtris trium captorum ab hoſtibus, & crudeliſsimè tractatorum exemplum, qui inter illud facere ſolebant: ad quam rem acceſſerat diligentia nõnullarum triremium ante portum cuſtodia. His rerum difficultatib. noſtri circumuenti, quo pacto eſſent triremes illæ admittendæ, conſiderabãt, ſed tamen ne rerum omnium uno tempore iactura fieret, quia Valettanus illas triremes popoſciſſet, uiſum eſt oportere hanc partem rerum fortunæ arbitrio eſſe cõmittendam. Hoc igitur conſilio expediuntur illæ triremes, ſed tamẽ uiſum fuit non oẽs equites eſſe mittendos: quare quadraginta ſolùm profecti ſunt cum ſatis apto militũ numero miſſus eſt cum ea manu Salazzarus Hiſpanus in quadam Haliade ampliore, ut tamdiu triremes remulco traheret, donec ſacrum Iunonis poſſent proſpicere, atq; inde illam ad inſulam præmitterent, ut hoſtium exercitum exploraret. Nunc, ut eò redeamus, unde diſceſsimus, non oblitus Baſſa eius cladis, quam ab oppido acceperat, cum magis exarſiſſet animus ulrionis deſiderio, ita ſtudioſè mœnia tormẽtis diuerberabat, ut uix poſſent noſtri reparationes facere, quò minus ſequenti die tormentorum impetu per aëra ferrentur. Dum mœnia ita pulſarentur, hoſtes pontem quendã extruxerunt, quem poſtea in foſsis eius oppidi depoſuerũt. Eum cum noſtri uidiſſent, cognouiſſentq; quantum incommodi res illa eſſet allatura, continuo Nicolaus Pariſottus Valertani nepos, & Algerias eques, mulris comitantib. militibus, pontem concrematuri ex oppido exeunt. Sed infecta re, ferè omnes ceciderunt: nam & Pariſottus & Algerias plũbea pillula transfixi ſunt. Cum uerò formidabilis hoſtilium tormentorum uerberatio nunq; ceſſaret, 4. Cal. poſt meridiem oppidum pluribus è partibus inuadunt, ter conatus renouãt: erantq; adeò ualidi, ut oppido uiderẽtur potituri. Sed noſtros ita frequentes inuenerunt, ut cum ipſi fortiſsimè inuaderent, fortius etiam repellerentur, coactiq; ſunt, denique cum multorum ſuorum iactura in caſtra ſe recipere. Illa uictoria ita noſtrorum elati ſunt animi, ut hoſtiũ uires omnino paruifacerent, & non minus eſſent ſtrenui quàm fuerunt arcis ſancti Elmi defenſores. Sed quoniam noſtri, niſi cum illos aggrediebantur hoſtes, nulla, neque magna, neq; parua tormenta bellica diſplodebant, & quoniam non exibant amplius ad leuiora prælia: crediderunt hoſtes & militum præſidiariorum, & munitionum penuria iam noſtros laborare: quare facilè in ſpem potiundi oppidi ueniebant, ſed res longè aliter ſeſe habebat. efficiebat enim illud Valettani prudentia, qui & ſi ſatis habebat præſidiorum, nolebat tamen milites exire in leuiora certamina, quia nullum ſubſidiorum nuntium accepiſſet: atq; cum hoſtes quotidie magis eſſent infeſti, nolebat ſuos intolerabili labore & aſsiduo defatigari, cum ſemper armatos eſſe oporteret. Cum uiderent Turcæ, ſe nulla re factos eſſe ſuperiores, qud oppidum toties apertis prælijs inuaſiſſent, rem per cuniculos agendam rati, omnem induſtriam, omnemq; militum laborem ad effodiendos cuniculos uertunt. Ducunt igitur unum ſubter mœniorum fundamenta: ſed neq; ita quidem res ſucceſsiſſet illis feliciter. nam noſtri oppoſitum cuniculum, ita ſtudioſè excauarunt, ut hoſtilem citiſsimè aperuerint. Interea duas triremes hoſtes præmiſerant, quæ domos intra mœnia infeſtarent frequentibus tormentorum globis ferreis, ut ancipites conſilij oppidani, & ſpectantes quid acturi eſſent hoſtes, minus fieret diligẽtes mœniorũ cuſtodes: quare effectũ fuiſſet, ut hoſtes cõmodius per cuniculos in oppidũ clã ingrederentur, eo cuniculo deniq; potiti ſunt noſtri, atq; ante cæteros ſignifer magiſtri exercitus, multis fictilibus miſsilis ignis coniectis, ipſum cuniculum ingreſſus omnes Turcas, qui fuerant ingreſsi, haſtato telo ſumpto in fugam uertit. Deinde ob rem præclarè geſtã torque aurea quinq; põdo à Valettano dona tur,

Triremium Turcarũ ante portum cuſtodia.

Triremes duæ expediũtur à Toleto cum 40 equitibus in Melitam.

Pariſotto & Algeriæ obitus.

Valettani prudentia.

donatur, quam haberet perpetuum suæ uirtutis, & fortitudinis monumentũ. Calẽdis deinde Sextilis nostris ex urbe egressi cum puluere tormentario, cum etiam fictilibus ignis missilis in pontẽ illum coniectis, quẽ hostes in fossa mœniorum fecerant, quò facilius possent ad muros ascẽdere, cõcremarunt. Paucis de hinc diebus interiectis, hostes in eam partẽ, quæ Caroli Ruffi custodiæ cõmissa fuerat, oppidũ inuadunt, quorum labor omnis fuit inanis, cũ non solum à fortissimis præsidijs repulsi sint, sed etiã cæsi eorum trecẽti. Oppugnatio illa duabus horis à meridie transactis cœpit, atq; in quartã horam producta est. Cecidit in eo prœlio ipse Ruffus, & eques Daresius, & duodecim è militibus præsidiarijs. Ita uerò nostri eo tẽpore ab hostibus in oppidum includebantur, ut nõ modo nulli exire liceret, sed neq; extra muros quidem aspicere, quin uel sclopettoriorũ pillulis plũbeis, uel tormentorum globis ferreis ferirentur. Neq; tamen his periculis nostri terrebantur, quin omnia militaria munia fortissimè obirent: nam Calderonus Hispanus, uir sanè strenuus, cum opus esse intelligeret illam murorum percussionem, quam fecerant hostiũ tormenta recognoscere, in ea parte muri, quæ Castiliæ dicitur, nihil neq; uim tormentorum, neq; hostium uires pertimuit. Veruntamen cum parum faustis auibus profectus esset, pillula plumbea transfixus interijt. Sed neq; res illa ulli nostrorum fuit timori, quò minus confirmatis animis, cum hostes fossas Burgi replere studiosè conarentur, sequenti nocte exirent, & sibi potius fortiter moriendum esse decernerent, quàm in crudelissimorum hostium potestatem uenire. Omnibus igitur uiribus hostem è fossa profugare cupiẽtes Equites & milites ad centum exeũt, leue prælium initur, acriter utrinq; dimicatur: at Turcæ deniq; fossam relinquere, & terga uertere cogũtur. Desiderati sunt ad octoginta ex hostib. in eo prælio, è nostris Vasques & Mactinus Equites ordinis, milites nouem, quorum abscissa capita Turcæ hastis imposita supra aggeres sancti Saluatoris, ut à nostris è Burgo conspicerentur, erexerunt. Plures ignes eo dem tempore uesperi accẽsi sunt in urbe, & magna facta salutatio multorum sclopettariorum. Quare qui erant in oppido, sicut etiam Turcæ, crediderũt factam fuisse illam salutationem, quia Christianorũ classis iter iam cepisset, uel quia nouis aucta ciuitas fuisset auxilijs, quib. possent hostes profligare, cum nihil tamen horum contigisset. Illud autem factum fuit, ut intrepidos se esse urbani milites ostentarent, utq; aliquam suspicionem, & terrorem inijcerent animis hostium. Hostes deinde fossam murorum in parte Castiliæ ita terra repleuerunt, ut sine ulla offensa domus terra plenæ, siue lateris & propugnaculi Aluerniæ, facilè possent ad illam percussionem quam fecerant in parte Castiliæ, penetrare, locumq; adoriri. Ager præterea, quem eminentiorem à dextris sancti Saluatoris duxerant, duobus canonibus diuerberare cœpit, atque primo ictu fenestram tormentariam percussit Frãcisci Castiliæ, quo etiam die Franciscus Aguitarus Hispanus, præsidiarius miles, cum filijs è potestate hostium ad Iunonis Sacrum aufugit. Cum uidissent hostes sui tormẽtorum globis adeò fractos esse muros & oppidi & Burgi, ut uel plaustra facilè penetrare possent, decernunt hæc duo loca simul collatis signis cũcto prælio adoriri, atq; experiri denuo num tantum esset uirium oppidanis, ut possent eos tam frequenter à mœnibus repellere. Locum igitur utrunq; tanta Turcarũ multitudo inuadit, ut his terra undiq; tegeretur, tantoq; impetu, & tãtis uiribus, ut uix credi posit. Tormẽtorum bellicorum bombus, & strepitus sclopettariorum, & instrumentorum bellicorum sonus, & arma, & clamores utrinq; elati tantum excitabant strepitum, ut insula, & omnia simul corruere uiderentur. Cum hæc fierent è Turcis, urbani tantum strepitum audientes, cum aëra fumo plenum prospicerent, ueriti, ne id oppido accideret, quod contigerat arci prius, ne negocium scilicet non prius relinquerent, quàm loco potiti fuissent opem

Miles à Vaslettano torque aurea donatur.

Hostes stadent Burgi fossas implere.

Capita nostrorũ hastis imposita Turcæ conspicienda erexerunt.

Agger à dextris S. Saluatoris.

Burgum & S. Michaëlis oppidum eodem tempore Turcæ inuadunt.

opem ferendam esse suis existimarunt. Exiuit igitur eodem tempore ex urbe omnis, qui aderat equitatus, tantoq; impetu in hostes, in aquam seruabāt, impresionem fecerunt, ut illi, terga uerere coacti, magnum & formidabilem strídorem extulerint. Qui oppidum inuadebant, coacti sunt negotium relinquere, & suis, qui aquam custodiebant, laborantib. opem ferre. Sic igitur magna cum clade utrinq; repelluntur. E' nostris ad cētum desiderati sunt, & totidem globis tormentorum uulnerati, quæ frequentissimis ictibus nostros infestabant. Turcarum in eo prælio mille & quingenti cæsi, præter illos, qui fuerunt trucidati ab equitatu ante suorum auxilia. Oppugnatio illa in quintam horam protracta est, semperq; recentia auxilia fessis hostib. succedebant. Et quoniam diuina bonitas uictoriam illam nostris comparauerat, cum uniuerso populo & cum solenni pompa Valettanus gratias Deo, pro tāto beneficio acturus templum adiuit. Cum hæc fierent in insula, nūciatur Toletano à quodam à Calabria præfecto quasdam caramussalos, militibus, & commeatu, & munitionibus onustas, Byzantio aduentare, quæ subsidium clasis Turcarum afferebant. Quare comitem Altemiræ, & Gildradam principem cum quinq; triremibus illis obuiam misit. Cum ad loca, quæ distabant quadraginta millia passuum à Melita, adiissent, prædicta quidē nauigia non inuenerunt, sed phasellum & Liburnicam nauem tantum, qui etiam phasello potiti sunt, cum nauis Liburnica ad insulam Melitæ incolumis euasisset. Cum uellet eodem die Bassa experiri, an nostros per lassitudinem posset uincere, suis rursus imperat, ut oppidum adoriantur: sed denuo cum magna suorum clade repellitur. Etsi sciebat futurum esse is Bassa, ut illis locis nullo pacto potiretur: tamē, ne posset negligentiæ apud Imperatorem Solymannum accusari, frequenter oppidum inuadebat. Idem postea Bassa, cum inuictos animos oppidanorum, suorumq; numerum indies recrescere uideret, actuariolum summa cum diligentia ad Imperatorem cum literis misit, quibus illum de rebus omnibus certiorem faciebat, quo pacto clasis esset instructa, quarum rerum penuria laboraret exercitus, quàm exigua spes esset insulæ potiundæ, quanti esse nuntiarentur Christianorum apparatus. Interea duæ triremes ordinis equitū, quæ Messana discesserant, Syracusas applicuerunt, ubi & per illum diem, & sequentem noctem stationes habuerunt: tum ut catascopi Salazari carina inungeretur, tum etiam ut diurno tempore Pachinum prçternauigarent. Hi cum è portu soluissent, quendam Melitēsem hominem in haliade siue piscatoria nauicula obuium habuerunt, qui à Turcis uulneratus fuerat, & à duobus Siculis capti uis factis nuntiatum fuisse hostibus dixit duas triremes in illum portū applicuisse, equitibus ordinis Melitensis, & militibus onustas, quæ Melitam essent aditurę. Quare cum suum aduentum notū esse hostib. intelligerent existimarunt ingressum maiorem portum, quem intrare statuerant, esse difficillimum. Veruntamen cum ab instituto itinere non desisterent, cognouerūt haud procul abesse duas triremes & dicrotum, quæ ipsis uisis Melitam uersus nauigarunt. Atqui triremes, Himeram usq; profectæ, Toletanum de omnibus, quæ euenerant, certiorem faciunt: quæ cum propter Austros & meridianos uctos ingredi nequirent, Syracusas reuertunt, ut quid Toletanus imperaret, exequerentur. Cum Syracusas igitur applicuissent, nuntius mittitur Messanā ad Toletanum, qui iussit non amplius esse tecedendum, cum breui uniuersa auxilia esset missurus. At Salazarus minimè reuertit cū triremibus, sed iter institutum perficere omnino decreuit, quāuis eo ipso die & pluuiæ frequentes, & uenti, & fulgura aduersarentur: qui tamen adeò prospera fortuna usus est, ut incolumis Melitam peruenerit. Hic Turcico postea mori indutus, comitem secum adducens, cum essent ambo Turcici idiomatis periti, ita prudenter egit, ut castra hostium ingressus ad tredecim millia hominum, uel certè non multo plus

Valettanus acturus Deo gratias templum adit.

Bassa mittit actuariolum ad Byzantiū imp.

2 Triremes Syracusas applicant.

Toletanus de Turcarum rebus certior factus.

Salazarus hostiū castra ingreditur.

tes,bellis gerēdis aprorum in castris esse cognouerit,quorum maior pars erat uulneratorum. Reliqua multitudo certaminibus planè erat inutilis,cum præ senibus etiam præstantiores multi in superioribus prælijs,& oppugnationibus tam frequentibus uel ferro,uel igni fuissent absumpti. Cognitis igitur diligenter hostium castris,mox in urbem redijt,deinde primis uigilijs cum Petro Pazo Hispano locum quendam custodijs Maliacis proximum adeunt.ibi Petrus permansit,ut pro signis uel urbis,uel sacri Iunonis posset de rebus omnibus Toletanum certiorem facere,sicuti Salazarus illi significauerat: qui catascopium ingressus in Siciliam nauigans Messanam incolumis peruenit. Tum certiorem facit Toletanum, quo in statu res essent Turcarum, quòd ægrè affecti sint. Turcæ, quòd decem millia peditum uim non possent sustinere, quòd facilè esset hostes profligare: qui cum suæ sententiæ certas rationes adduceret,eiusq; oratio cum multis captiuis ex hostibus cōsentiret,facilè fidē fecit. Nam non solùm ad tredecim millia peditum esse ferebātur in castris, sed etiā ita dicebātur esse cōsternati præteritis calamitatibus,& frequentib.cladibus acceptis,ut uix ullo studio possent ad oppugnationes impelli,cū multos Bassa uix cōgeret uerberibus,ac nōnullos etiam sua manu interemisset, sed id frustra fiebat,quoniā malebāt hostes Turcico gladio interfici, quàm horribili nostrorum tormētorum multitudine globorū prosterni. Huc accedebat,q; mirificè trepidi ad pugnas prodibāt,cum omnes propè,qui uulnerabātur à nostris,morerentur, quòd assiduis bellorum laboribus erant defessi,cum fortissimè obsessi resisterent quòd ad illud bellum omnino accessisse pœnitebat. Quare si locus fugæ patuisset, pauci mansissent in castris: qua de causa impositæ fuerunt ubiq; custodiæ,quia, ut dicere solebat Bassa,iusserat Solymānus uel insula potiri,uel omnibus esse in insula moriendum. Sic enim significauerat Zalochles Rays,quem capta arce sancti Elmi,cum literis Byzantiū adijsse diximus. His rationibus cōmotus Toletanus statuit cum septuaginta triremibus Syracusas accedere,decem peditum millia Melitā cōuehere, atq; auxilia deniq; in insulam exponere. Dum is ita instruitur,Franciscus quidam Agussates ex oppido ad Turcarum copiarum summū Ducem trāsfugit, nō esse morandum inquit,sed oportere totis uirib.oppidū adoriri,quod illo sine dubio potirētur, cum non plures essent quadringētis peditibus intra mœnia, quòd reliqui præteritis oppugnationibus cecidissent. Cognita huius fuga,id,quod euenerat,nostri futurum rati,ut is hostes ad nouam oppugnationē excitaret, ad restauranda,quæ forent necessaria,animū adijciunt. Quare Franciscus Ginares,uir singularis ingenij,statuit,ut subitaria reparatio fieret exiguo interuallo à recto oppidi pariete,cum parietem ipsum magna ex parte tormēta hostium strauissent. Illa reparatio,& si erat amplissima,(nam ad quinquaginta ulnas extendebatur, & sex erat lata) tamē duabus noctibus perficitur cum suis utrinq; propugnaculis. Eodem die cœperunt hostes ad fossæ propugnaculū cuniculum effodere, atque omnis labor,totaq; spes subruendi muri in hoc cuniculo,quem occultissimè excauabant,posita erat. Cum in suspicionem eius rei uenissent oppidani,quia tam segnes hostes præter consuetudinē uidebantur,eorum operum locum diligenter inuestigantes cōmotæ telluris pulsu, & latiorum peluuium aqua plenorum obseruatione,quæ leniter agitari uidebatūr,& tympanorum militarium instrumentis humi depositis lenem sonitum audientes,locum denique deprehendunt. Tum nostri pari cuniculo fiūt obuij. Dum his operibus nostri sunt intenti,nonnulli ex hostibus turrim oppidi conscendere conantur,atque alij alijs è locis sacculos pulueris tormētarij plenos intra mœnia conterserunt. Quæ cum fierēt à militib. duo Bassæ,alijq; insigniores classis cōcilium conuocandum statuunt,ut decerneretur, an diutius etiam morādum sit,uel ex insula recedendum. Decernit igitur maior eorum pars do-

Turcarum timiditas.

Cum 70 triremibus Syracusas accedendū putat Valetanus.

Franciscus Ginares uir singularis ingenij.

Concilium conuocatur ut num abeundum sit decernatur.

pars domum esse redeundum: sed tamen uisum est summo eius expeditionis duci, ut biremis expectaretur, quā ad Solymannum miserat Byzantium, atq; interim fortunæ inconstantiam rursus experiri. Nullum tempus inane ab illis prætermittebatur, sed quo tempore non uexabātur tormētis muralibus oppidani, uel pōtes, uel cuniculos faciebāt, uel implebāt fossas, neq; unq; à militaribus operibus cessabatur. Quicquid enim decernebāt præfecti, cōtinuo perficiebatur. Cum nostri cuniculū igitur hostiū aperuissent, eò sub-terrā ingressi complures ex hostib. in ea fouea trucidarunt, & quinq; cados pulueris tormētarij plenos ceperūt. Cùm triremes illæ & dicrotum, quæ, uisis triremib. equitum militiæ, profugerant, in castra reuertissent, classem Christianorum instructam esse principes Turcicæ classis certiores faciūt: quare Pialis ad octoginta nauigia instrui iussit, quæ stationes habebāt in portu Marsamusetto inermes, lignisq; & hominib. spoliatæ: quippe cum ligna illarū ad pōtes faciendos exportassent: quę nauigia partim triremes erāt, partim dicrota. Pialis igitur ita instructas ad qua triduū habuit nauigia, quæ per diē insulæ erāt propinquæ, at per noctē in altum recedebant. Cum intra illud spatium neminē è Christianorum classe uidisset, suos rursus in insulam exposuisset.

30. cados tormentarij pulueris singulæ triremes uexerunt.

Enimuero munitiones illis iam deesse ceperant, cum triginta cados pulueris tormentarijs singulæ uexissent triremes, & uiginti quinq; è singulis excepissent. Veruntamen muros maiori impetu, quàm solebant, passare incipiunt, ac tribus Basilicis præcipuè, quorū globi ad ducenta pondo accedebant: nam his mœnia oppidi iam propè solo erant aquata.

Basilici tres quorum globi 200. pondo.

Burgi muri solo æquati.

Eodem tempore Pialis ita Burgum globis ferreis diuerberauit Castiliam uersus, ut totum murum prorsus solo æquasset: quare in spem oppidi potiundi facilè hostes inducuntur. Videbant enim nullos esse muros obsessis, quibus protegerentur, sed omnibus in aperto esse dimicandum, sed haud amplius posse repelli credebāt: quare innumerabiles propè undique totis uiribus oppidum inuadunt, atq; eo natum ter cum magna suorum clade renouarunt. Veruntamen nostrorum uirtute & fortitudine deniq; sunt repulsi, neq; tantopere sanè ullo certamine uel nostris, uel multis iam temporibus obsessorum par uirtus enituit, neq; ullis ciuitatis tam communis omnium ciuium fortitudo, quàm eius populi claruit.

Adolescēti teneri & mulieres in hostes impetum fecerunt.

Quippe cum uel teneri adolescentes strictis armis in hostes impetum facerent, & armatæ mulieres intrepidè ad mœnia defendenda accedere non dubitauerint. Sic igitur hostes, insigni clade accepta, recedere coacti sunt à nostris. In eo prælio sexaginta è nostris interciderunt, quorum maior pars non ferro oppugnantium, sed tormentorum ictibus cæsi fuerunt.

Viri insignes in ipso oppido cæsi.

Ceciderunt igitur in oppido uiri illustres Scipio Pratus, Scoderinus, Bonipertus, Fagianus Ruffinus. Eo ipso tēpore alius cuniculus inuentus est, per quem hostes se ingressuros oppidum sperabant, sed quoniam in magna hominum multitudine uariæ sunt ad omnes euentus animorum mutationes, cum alij magis fiant feroces ob periculorum magnitudinem, alij cōtrà animo cōsternentur: ob frequētes oppugnationes, crebraq; hostium certamina, nōnulli innuebant Valettano, non inutile futurum fortasse, ut res pręciosiores in castellum S. Angeli trāsferrentur, ut in locum magis munitum & tutū: Eam orationē sanè ægrè tulit Valettanus, cum uel unū hoc facinus maximè posset Melitēsium animos & militū tam præclarè pugnātium, ac mœnia defendentiū terrore percellere. Quare uel omnia esse armis conseruanda respondit, uel si de salute ciuiū actum esset, leuem esse putandam cæterorum omniū iacturā.

Salus non in muris, sed in singulorum fortitudine potius sita est.

Atq; ne spes militum, & omniū salutis in muris potius eius castelli, quàm in fortitudine pugnātium, & in uirtute singulorum inesse putaretur. His addidit se uelle, ut omnes præsidiarij eius castelli ad Burgū sicuti cæteri pugnaturi accederent, quòd solos esset ibi relicturus tormētorum bellicorum ministros, à quibus ipsa tormenta in hostes dirigerentur & disploderentur.

derentur. Nec multum sanè tempus intercessit, cum Turcæ denuo summis uiribus oppidum undiq; inuadunt, sed in parte castiliæ præcipuè maior fit conatus. Ad extremũ hostes recedere coacti. In ea pugna cecidit Aluernias, uir insignis, & alij nonnulli uulnera ceperunt. Cum Turcæ magna clade accepta, in castra rediissent, tantus tormentorum strepitus repente exoritur mœnia diuerberãtium ut omnia circũ uiderẽtur contremiscere. Interea dum uires aliquantulum à recentibus semper laboribus Valettanus reficeret, ecce accurrit quidam qui exclamauit, omnes periuimus, iam enim tria signa Turcis à parte cũ Castiliæ ingressa fuerant. Eo nuncio audito, sumpta galea & hasta Valettanus suos breuiter hortatus, hanc esse gloriosam opportunitatem ostentãdi quantum armis præstarent hostibus, Turcas non esse timendos, ut imbelles, diuinę bonitati esse confidendum, quæ semper illos in superioribus prælijs adiuuisset, in hostes impetum facit: quoniam armis potius & celeritate defendentium, quàm uerbis res erat transigenda. Tum equites Melitensis militiæ, & adolescentes, & mulieres deniq; Valettanum secutę, hostes intra mœnia inuadũt, omnes ingressos cædunt, ingredi uolentes in fugam uertunt. Illud præliũ ad occidentem usq; solem perdurauit, quod & nostris & hostibus sanè fuit calamitosum: nam plures ducentis è nostris ceciderunt in ea pugna, ex hostibus ad unum cæsi sunt oppidum ingressi, & ingẽs præterea trucidata multitudo: quare turpiter coguntur redire in castra. Cum magna fuisset hostium multitudo in fossa illa Burgi, quæ terræ coniungitur, permulti ibi manserunt, qui ne à tormentis oppidi infestarentur in parte Castiliæ, subitariam reparationem fecerunt è terra & lignorum fascibus, alijsq; lignis ad illud negotium accommodatis, quò & ibi tutò esse possent, & ad mœniorũ radices excauare. Nam hoc ipso cõsilio præcipuè ad quindecim ulnas fossam occupauerant. Et si subitaria illa reparatio breui absoluta fuit, tamen non sine magno illorum detrimento illud euenit: quoniam & bellica tormenta, & ignis missilis fictilia complures eorum absumpserunt. Sed iam instructus ita erat Toletanus, ut Melitã facilè posset accedere, neque aliud expectabat Messana Syracusas nauigaturus, quàm Ioannem Cardoncum, qui Panormorum cum duodecim triremibus quatuor naues actuarias pane nautico, alioq; commeatu onustas remulco attracturus appulerat. Verum cum tardior eius reditus esse uideretur, nuntium celerrimè misit Toletanus, ut si naues nõ ita commodè trahi possent, ijs quantum panis nautici, & aliarum munitionum ad celeritatem sufficere, imponeretur, & quamprimum rediret. Cepit igitur iter Toletanus Syracusas uersus cum lectissimis triremibus septuaginta & duabus, quibus decem millia peditum uehebantur, & ducenti Equites Melitensis ordinis, & quadraginta Equites sancti Stephani. Illustres fuerunt uiri inter hæc auxilia Hãnibal Estensis, Hercules Varannus, Ascanius Cornias, Aeneas Pius, Aluarus Sandes, Chiapinnus & Vincentiua Vitellij, & alij complures. Cum hi appulissent Syracusas, Toletanus Andreã auriam cum triremi, & nauicula exploratoria Melitam misit, ut per exploratores, & per Petrum Paczum, qui loca maliacia custodijs finitima obseruabat, cognosceretur, quæ hostes agerẽt. Ex ipso Petro perceptum est multos iam dies nullam neq; triremem, neque dicrotum fuisse uisum, præterquam unum uel dicrotum uel Hemioliam, quæ Sacrum Iunonis uersus nauigauit, quo etiam dic è præsidijs Maliacis audierat ad sexdecim uela uia fuisse, quæ ad salinas aquatum accesserant: quæ cum nox aduẽtasset, quo se receperint, ignotũ fuit. Nostri interea ualidissimas reparationes à parte Castiliæ fecerant, multisq; in locis tormenta statuerant, quæ disploderentur in inuadentes hostes, eosq; in latus ferirent, ac fossas militares deuastabant, quas illi ducebant ad ipsam percussionem Boninsegnæ. Id autem faciebant eo consilio, ut illis perfectis scloppetarij totã areã eius partis oppidi infestarent.

Exclamatio militis Melitensis.

Valettanus hortatur suos ad magnanimitatem.

Diuinæ bonitati confidendum.

Valettanus Syracusas proficiscitur

Illustres uiri.

ſtarent. Cum accingerentur eo die Turcæ, ut totis uiribus Burgū & oppidum adorirentur, primum è trabibus & aſſeribus opperimentum quoddam ad tabulati formam compactum attraxerunt, ſub quod triginta Turcæ tegebantur, id iuxta oppidum ſancti Michaëlis ad radices murorum collocarunt, atq; ità propinquum, ut noſtri omninò intra oppidum includerentur. Id cum grauiter oppidani tuliſſent, adeò forti animo exierunt, ut impreſsionē hoſtes facientes, eosq; repellentes, ignibus miſsilibus opperimentum illud concremarint. Rurſus & ij, qui Burgum inuaſerant, conſimili ratione repelluntur, concrematurq; illis aliud operimentum, quod ad radices contracti muri in parte

Octoginta Turcæ obtruncati.

Caſtiliæ parauerant. Sequenti deinde nocte nonnulli è præſidijs exeuntes ut militares foſſas deſtruerent, quas hoſtes duxerāt, ad octoginta Turcas obtrūcarunt, quibus illarum foſſarum cuſtodiam erat permiſſa, omnesq; oppidani incolumes ex illa prælia redierunt. Die uerò ſequenti Toletanus, relictis Syracuſis, Pachinam uerſus Melitam acceſſurus iter cepit, qui fortuna ſanè proſpera uſus nauem onerariam obuiam habuit, quæ maris tempeſtate eò impellebatur, ac Zerbis Syriæ ciuitate aduentabat cum magna nautici panis copia, ſex millibus cadorum pulueris tormētarij, multisq; globis ferreis, quæ omnia ad reficiendas uires hoſtilis claſsis importabantur. Ea potitus Toletanus ſexaginta è ſuis totidem Turcarum locum, quos exemit, actuariæ impoſitis. Eam miſit Syracuſas. Noſtri interea, qui obſidebantur, ex oppido egreſsi, repulſis hoſtibus è foſsis militaribus, quas duxerant, aliud tabulatum concremarunt, quod ad radices murorum fuerat aſportatum: neq; unquam uel à leuioribus prælijs, uel oppugnationibus, uel operibus concremandis, uel aperiendis cuniculis, uel reparationibus aduerſus uim tormētorum, ceſſabatur. Tanta erat diligentia, quæ Turcæ in oppugnando illo oppido utebātur. Cùm claſsis ue-

Ad Aegates inſulas claſſis noſtra repulſa eſt.

rò Chriſtianorum Melitam uerſus uelificaretur, tanta repentè exorta eſt uis procellarum, ut eam ad Aegates inſulas appulerit, quæ diſtant à Melita ducētis & uiginti millibus paſſuum. Sed quoniam ſingulari diligentia faciēdis reparationibus Turcæ utebantur noſtrorum cuniculum ad radices muri Burgi inuenerunt, quem illi in proximam oppugnationem parauerant, atq; octo cadis pulueris tormentarij captis cuniculum deuaſtarunt. Paruo deinde ſpacio interiecto, Moſtapha cum omnibus copijs oppidum. Erecto Regio uexillo, inuadit, cuius in apice pomum erat aureum, atq; tantis uiribus mœnia adoriuntur, ut oppido uiderentur omninò potituri, cùm unuſquiſq; teſtem uirtutis ſuæ Baſſam eſſet habiturus: ſed tamen à noſtris fortiter repelluntur, cū bis conatum fruſtrà renouaſſent. Tum cohortium illarum præfectus uel intra militares foſſas acceſsit, ſuorum ſingulos cohortatur, ut fortiter uires inualidas propè obſeſſorum ob diuturnos labores ſuperent. Sed tamen nōnullis amiſſis, in caſtra, re infecta, reditur. Poſtridie eius diei Moſtapha, ut rurſus oppidū die tertio inuadant, decernit: qui quoniam languidas propè ſuorum uires factas eſſe cognoſcebāt, animosq; Turcarum partim difficultate negotij deter-

Moſtaphæ ad milites ſuos exhortatio.

ritos, partim diuturnis laborib. defeſſos, ita ſuos ſpe uictoriæ erigere aliquantulum ad futuram oppugnationem conatur. Quam debiles uires eſſe obſeſſorum rationi conueniens ſit militū, nemini ueſtrûm poteſt eſſe obſcurum, ſi & belli diuturnitatem cōſiderare uolueritis, & quot uiri fortes ex hoſtib. in ſuperioribus prælijs partim ferro à nobis cæſi, partim tormentorum globis laniati ceciderint. Nam quibus ſuperiorum bellorum pepercit fortuna, cùm eos ſemper armatos eſſe oporteat, cùm tamdiu incluſis neq; libero quidem cœlo frui

Nihil eſt, quod nō aſsiduo labore infringatur.

liceat, cum nunquam labores intermittere, quantopere à mortuis diſtare putandi ſunt? an credenda eſt in his immortalis eſſe fortitudo, & firmitudo corporis? ut nihil eſt, quod non diuturnis laboribus infringatur. Nos contrà cū tot ſimus, cum libero aëre, quid plurimum facit ad ſanitatem & ad uires perfruamur;

frusmūr, cùm semper recentia subsidia fessis in certamina sufficere possimus: quid est, cur inualidos, & semimortuos, & eosdem semper pugnantes hostes, & diuturna obsidione defatigatos, rerumq; omnium difficultate circumuentos, opprimere dubitemus? atqui non esse inuictam illam gentem, tot à nobis cæsa hostium corpora, quibus tota propè area arcis sancti Elmi operiebatur, fuerunt argumento. Nullæ sunt inexpugnabiles milites, sed uirtuti nostræ cedant oportet ciuitates omnes, quæ uim ferri ac ignis sentire possunt. quis enim unquam se impune inuictæ nostræ gentis uires expertum esse gloriari potest? aut quod negotium maiores nostri frustrà unquam conati sunt? semper de illarum ciuitatum salute actum esse putatum fuit, ad quas expugnandas uel nostri exercitus, uel classes appulissent. At nunc si tantos sumptus in comparanda classe frustrà fecerimus, si tot, tamq; assiduos labores tulerimus, ac re tamen infecta domum reuertamus, uereor, ne uniuersam gloriam, quam diuturnis laboribus, & singulari rerum militarium peritia maiores nostri nobis compararunt, hoc tempore turpiter amittamus. quam famam apud Christianas nationes, aut quam existimationem relinquemus? quantopere Imperatoris nostri expectationem, quam præclaram de nobis conceperat, fallemus? omnem igitur maiorum nostrorum gloriam, omnem Turcici nominis dignitatem, omnem uestrum singulorum existimationem credite in huius oppidi expugnatione sitam & constitutam esse. nunc non amplius de insulæ possessione, sed de gloria uniuersæ gentis nostræ, de singulorum nostrûm dignitate, de uoluntate imperatoris, de Italiæ denique, & totius Imperij amplitudine dimicatur. quare præstiterit gloriosè inter armatorum cohortes mori, quàm postea ita turpiter uiuere, & cum summa infamia domum redire. His additæ sunt ingentes pollicitationes honorum ac diuitiarum ijs, qui præclarè se in sequenti prælio gessissent. Tum tantum laudis desiderium accessit animis Turcarum, ut belli signum dari omnes conclamarent: sed, ut in diem posterum corpora curarent, & pararent arma, imperatur, postridie eius diei. quod fuit ad septimum Calend. Sept. summo conatu redintegrata est pugna usq; adeò terribilis, ut hostes agminatim per ruinas murorū, quas tormenta fecerant ui frequentia, irrumperent ac progrederentur, & densatas nostrorum acies, hastisq; præacutis horrentes paruifacerent: atq; inter undique crepitantem sclopettorum tormentorumq; procellam, tanquam inter grandinis frequentiam certaretur. Pugna diu fuit anceps, cùm hinc pro imperio totius Italiæ se pugnare Turcæ arbitrarentur, pro maiorum suorum existimatione, & de suo ipsorum honore, deq; e omnibus ornamentis, inde de honore, de imperio, de gloria singulorum, & de salute dimicaretur. Ad extremum multis utrinq; cæsis Turcæ in castra repelluntur: quoniam tanta firmitudo corporis, & animi magnitudo fuit nostris, ut omnem fidem superasse uideantur. è nostris centum & tredecim sunt desiderati, at ex hostibus plures mille & ducentis cecidere. Calendis autem Septembris nuntius Burgum ingreditur, quem Valettanus iam biduum miserat in urbem. hic Toletani literas attulit, quibus significabatur classem Christianorum breui in insula futuram, quo etiam die cognitum est per transfugam paucos esse hostes pugnæ idoneos, cum fame quotidie multi perirent, & assiduis laboribus, & multis captis uulneribus: quòd ad obsidendam urbem adire decreuerant, ad quod negotium iam quinq; tormenta erant parata. Ea clade suorum accepta Mostapha non mediocriter discruciabatur, quòd neq; minis, neq; promissis poterat suos ita excitare, ut superiores fierent. Interea cùm cessauisset procella, factaq; fuisset ingens maris tranquillitas, Toletanus cum uniuersa classe Drepano discessit, ac Melitam uersus, auxilia in insulam expositurus, nauigauit. quo in itinere triremes ordinis Equitum duabus biremibus hostium potitæ sunt. Nostri per id tempus cuniculum in parte Castiliæ fecerunt quem

Premiorum pollicitationes militibus strenuis factæ.

parabant aduersus primum hostium oppugnationem:sed, cùm ucrerentur ne illum Turcæ inuenirent, qui subitarias reparationes excauabant, ignem iniecerunt, & ad sexaginta Turcę sublimes in aërs sunt sublati. At nihilominus hostes tabulatum corio tectum, ne missilibus ignibus cremaretur, multò superioribus ualidius struunt, sub quo quadraginta sclopetarij tegebantur, qui maximam molestiam nostris afferebāt. Id cùm ad radices mœniorum collocassent, exigua fossa excauatur, duoq; semicannones ibi collocantur, qui tabulatum in latus illud percusserunt, atq; cum primo ictu illud conquassatum corruisset, omnes, qui erant sub illo, grauissime oppressit. Sequenti deinde nocte nostri exeuntes omnes reparationes hostium deuastarunt, eosq; ex illa fossa, quam super aggeribus nostrorum duxerant, acerrimè repulerunt. Tum primùm cognitum fuit à nostris Turcas assiduum bellorum laborem perferre non posse, cum illorum trecenti à uigintiquinq; è nostris sint in fugam uersi. Nonis Septemb. Christianorum classis ad Sacrum Iunonis applicuit, quæ cùm Melitæ signa non uidisset, ad Himeram se recepit: quo statim Andreas Aurias profectus eundum esse inquit, quia pro uisis signis possent tutissimè auxilia exponi. Sic igitur ad Sacrum Iunonis reuersi tertia hora noctis, ibi stationes habuerunt. Confugerat, eodem die captiuus, qui significauit Valetiano decreuisse Turcas sequenti die oppidum omnibus copijs adoriri, quo die nisi potirentur, erāt omninò illud negotium relicturi. His addidit pręterea ingentibus pollicitationibus singulos centuriones fuisse ad eam pugnam incitatos, edictum pronunciatum publicè per præconem tria nummorum aureorū millia illū esse capturum, qui prior Turcicum signum supra muros oppidi fixisset, omnibus Ianizeris proponebatur, ut Spacchium dignitatē obtinerent, si potirentur oppido: cæteris omnibus honores & opes ingentes. Tum gratias agit Deo Valettanus, quòd eius clementia efficeretur, ut de omnibus hostiū cōsilijs certior fieret: deinde ad illa paranda animum adiecit, quę pertinebant ad arcendas hostium furias. totus autem ille dies consumptus est domibus Burgi bellicis tormentis infestandis, & nauigijs, quæ erant in portu præcipuè: quippe cum illis etiā ictibus auctuaria nauis demersa sit. Cùm Toletanus cō postea appulisset, neminem per noctem descensionē facere uoluit: at illucescēte die intra quinq; horarum spatium sine ullo strepitu quinq; Hispanorū millia & quingenti, nautæ trecenti è triremibus, inuitis propè præfectis, expositi sunt. Equites militiæ Melitensis ducenti, reliqui pedites erant Itali, qui numerus octo millia & trecentos continebat. Erat inter hos Ascanius Cornias Magister exercitus, Alua rus Sandes, Hispanis cohortibus præfectus. Toletanus, dum triremes siccarentur, cum militum præfectis collocutus, iussit ut publica edicta Philippi regis nomine fierent, & ut res ab Ascanio pro sententiis maioris partis concilij gubernarentur, donec peruentum esset ad Valettanum, cui parere omnes iubebantur. his igitur iter ingressis meridiano feretempore, Toletanus triremem ingressus orientem uersus nauigans cum omnibus triremibus à Melitensibus ciuibus prospectus est: tum urbs omnibus bellicis tormentis & sclopetis displosis magnam fecit salutationem: ac Toletanus item iussit sua omnia triremium tormenta bis displodi. Mox in Siciliam reuertitur, ut Vibinates copias, quæ erant Messanæ, & alios Hispanos, qui erant Syracusis, quàm citissimè conueheret, ut tempestiuus ad prædam Turcicæ classis rediret. Hostes iam quatuor dies ante cœperant sua colligere impedimenta, quia iam discedere decreuerant: uerùm cùm oppidū extrema oppugnatione essent inuasuri omnib. copijs, Turca citato equo cōuolauit, qui significauit ingentia exposita esse Christianorū auxilia. ea re audita, statim totis castris ad arma conclamatū est, omnesq; Turcæ ad aggeres accurrentes sua impedimēta, quæ reliqua erāt, collegerunt: tormenta in triremes attraxerunt, igni aggeres ipsos deuastarūt.

Turcæ assiduū bellorum laborem ferre non possunt.

Auctuaria hostium nauis demersa.

Neq;

Neq; ullum tormentum bellicum reliquum erat præter Regium quendam canonem, cuius globi ad centum & uiginti pondo accedebant, cùm nostri ex oppido uel iniussu Valettani exeunt, atque impetum in quingentos Turcas, quibus eius tormenti custodia erat permissa, facientes, illos pugnare nolentes facilè in fugam uertunt: quare tormentum in oppidum trahitur. Enimuero si nostri illo die impetum fecissent in extremam Turcarum partem, qui triremes ascendebant, magna parte tormentorum sanè potiti fuissent. Sed quia incerti sunt bellorum exitus, sæpiusq; repugnant rerum euentus, uel sapientissimis consilijs mortalium, multò fuit prudentius consilium commeatum & munitiones conseruare, quæ in loco erant difficili, neq; ita commodè in urbem importari poterant, quàm hostes tam citò inuadere. nam euenit aliquãdo, ut, qui rerum suarum custodias reliquerunt, quò commodius hostium res occupàrent, ex altera parte hostilibus rebus non potiantur, at ex altera suas etiam amittant. Turcæ igitur magno otio & bellica tormenta, & impedimenta, & magnã copiarum partem maturè in triremes contraxerunt. Nunciatur deinde Valettano, quòd classis, quæ exierat è Marsamusetto, decem millia Turcarum emisit, qui cum recentibus auxilijs congrederentur, qui ciuitatem uersus iter cepèrãt. Valettanus è uestigio magnam manum suorum militum emisit, & signum ordinis equitũ in arce S. Elmi erigi iussit: quare cùm nostri ex urbe exissent, Turcæ cum priore parte, qui erant Hispani, leuius prælium committunt. deinde cùm reliquæ copiæ accessissent, in fugam uertuntur: quos nostri ad puppes usq; secuti, plures mille & quingentis trucidarunt. Cùm reliquæ omnes copiæ ascendissent triremes ad descensum S. Pauli, totum diem posterum ibi stationes habuerunt, deinde, tormento per noctem disploso, iter orientem uersus capiunt, insulam ferro ac igni deuastatam, domos conquassatas, oppidorum mœnia solo æquata relinquentes. nam ictuum muralium tormentorum septuaginta, & octo millia, quibus concussa sint loca insulæ, memorantur. Narrantur in his prælijs ad quinque millia è nostris desiderata, inter quos Equites 240. milites ad 3060. reliqua bellis inutilis multitudo, è Turcis ceciderunt ad 23000. militum, & inter hos quos habebat Solymannus omnium præstantissimi. Quare si quis difficultates nostrorum diligentius consideret, si perpetuos labores in tam diuturnis, tamq; crebris oppugnationibus & leuioribus prælijs, uix ullam militarem uirtutẽ multis annis clarius enituisse intelliget, quæ possit cum magnitudine animi Valettani, aut eorum, qui oppida illa defendebant, eiusq; insulæ incolis, comparari. Verùm, cùm nihil fiat diu felix humana solùm prudentia, uel uirtute armorum, semperq; uiros bonos Deus adiuuare soleat, credibile est, non minùs probitate, quàm armis, Melitenses excellere: quippe cùm diuina prouidentia præcipuè res Melitensium defensas fuisse constet.

Hostes fugã arripientes canonem Regium reliquerunt.

Bellorum exitus incerti.

5000. è Christianis militibus desiderata.

23000. è Turcis exciderunt.

EXPLICATIO NOMINVM EORVM, QVAE OBscuriora uidentur in obsidione Melitensium.

Cart. 2222. Piraticæ ac prædatoriæ naues, dicuntur partim hemioliæ, quæ iustis biremibus sunt inferiores magnitudine: sicut triremioliæ ampliores quidem biremibus, at triremibus inferiores: partim celoces, quòd his omnibus nauigijs piratæ & ad celeritatem, & ad uim inferendam pro locorum opportunitate utuntur.

2223. Galathe, insula est perexigua in Mari mediterraneo nõ procul ab Aphrica, quæ ante Caroli v. Imperatoris ætatem obscura sanè fuit. Sed cùm Barbarossa Turcarum dux aduersus eius uires oppidum in ea insula muniuisset, & id captum à Cæsare ipso postea factum fuisset inexpugnabile, nomen celeberrimum obtinuit, nuncuulgò Golettam uocant.

ibid. Peloponneſus, peninſula eſt cùm prorſus à terra non diſiungatur, ſed Iſthmi pertenui uinculo ſeptentrionem uerſus Attico ſolo adiungatur: habetq; ad meridiem & occidentem uerſus Adriaticum mare, ad orientem Creticum pelagus proſpecta, quæ peninſula ſubdita eſt imperio Turcarum, nunc uulgò Morea uocatur.

ibid. Aphrica minor, regio quæ Mari mediterraneo alluitur, & imperio paret Turcarum, uulgò dicitur Barbaria.

ibid. Carmania, regio quæ alluitur ex altera parte ſinu Perſici maris, paruoq; ſpatio ab Arabia diſiungitur, at ex altera parte Indico pelago, quæ Parthos habet ad Septentrionem, uulgò etiam Carmania.

ibid. Mitylene, inſula in mare Aegeo, quam etiam Lesbum uocarunt, quæ dicitur uulgò Metelinum.

ibid. Methone, ciuitas Peloponneſi, quam uulgò dicunt Modonem.

ibid. Liburnicæ, leuiores ſunt biremes, quę ob celeritatē & leuitatē non mediocriter ad prædandū ſunt accōmodatæ, uulgò dicitur Bergantini.

ibid. Hermioliæ, biremes ſunt, ita dictæ, quod à puppe ad malum binis remis agantur, à malo ad proram unico tantùm: nunc fuſtæ dictæ ſunt.

ibid. Scaphæ, paruæ nauiculæ quadrata parte extrema puppis, quas naues onerariæ ſecum trahunt, uulgò Batelli, ſed uocantur eodem nomine etiam quædam maiora nauigia, quę uulgò dicuntur Sciphi.

2225. Marſaſitoccus, portus eſt quidam in inſula Melitæ exiguus, qui diſtat à munitis locis ſatis amplo interuallo: neq; ſatis tutus eſt à mari, quia non multum in inſulam ingreditur, neq; coarctatur in principio.

ibid. Aegimus, inſula in mari Aphrico inter Galathen & Apollinis templum, quam uulgò Zerbas nominant.

2227. Gerus, fluuius ingrediens in ſinum Cimmerium, non procul ab Agaro promontorio, quem locum Leucopetram etiam uocant.

ibid. Theuthrania, ciuitas mari Syriaco alluitur, quę nunc Tripolis uocatur.

ibid. Celox, nauiculę genus, quæ unico tantum remo per ſedilia agitur, cùm plures remigea habeat, qui cùm celerrimus ſit, eo tāquam tabellario utuntur claſsium pręfecti mittendis nūtijs, uulgò dicitur Fregatina.

ibid. Marſa, proprium nomen loci inſulæ Melitæ, ſicut Militara.

2228. Caraſcopium & exploratoria nauicula, idem ſunt, hæc ampliora quidem nauigia ſunt celocibus, at eadem forma, quare celocem etiam exploratorium nonnulli uocarunt, uulgò dicitur Fregata.

2229. Populonia, ciuitas Ethruriæ, mari Liguſtico propinqua, uulgò Piombinum.

2232. Actuariæ naues, ita uocatæ ſunt, quia uelo potiùs, quàm remis agantur. Et quæ ampliores ſunt præcipuè ita uocatæ ſunt.

ibid. Deſcenſus S. Pauli, uocatus eſt portus, quod in eum S. Paulus naufragus appuliſſet, ad inſulam Melitæ tempeſtate compulſus: quo tempore Romam nauigabat, cùm ab Agrippæ ſententia ad Cæſarem prouocaſſet. hic à uipera morſus, quæ cùm ligna ſuper ignem faceret de manu pendit, tamen illæſus fuit: multaq; alia admirabilia fecit, ut legitur cap. 28. Actuum Apoſtolorum.

ibid. Petra nigra, loci nomen in inſula.

2239. Pionia, oppidum eſt Teuthaniæ, quod uulgò Pignonem uocant.

ibid. Himera, fluuius eſt non longè ab Agrigento Siciliæ ciuitate, qui, ubi nunc oppidum Terra noua dicitur, in mare exit. Locus exiguus inde parum diſtat à Sicilia, quem uulgò Pozzalum uocant, atq; Himera pro loco illo capitur.

2241. Dicrota, uocatæ ſunt biremes iuſtę magnitudinis à Grecis.

Panis

2241. Panis nauticus, panis qui uulgò piscotus uocatur.
2244. Acatia, sunt nauigia minora quidem liburnicis, & actuariolis maiora, quibus & uis est, & celeritas: his utuntur piratæ, inter uocatarum fregatarum genera collocantur.
ibid. Lintres, sunt nauigia conuehendis rebus necessarijs classibus accõmodata, quæ uulgo Burchi dicuntur, quæ classes adducunt ne triremes tot impedimentis grauentur, his ligna ad aggeres faciendos comportantur, atq; his utuntur pro pontibus superponentes tabulata.
2247. Salutatio militaris, fit ubi instrumenta bellica disploduntur lætitiæ causa, quod uulgò dicitur, Facere saluam.
2248. Phasellus, nauigij genus liburnicis maius, eius tamen generis, quod & naui oneraria & longa triremi uidetur compositum, remisq; & uelis aptum est, ad similitudinẽ uenis phaseoli forsasse olim dictum, nunc Bergantinum uocant.
ibid. Carina inungitur, quod uulgò impalmare dicunt. nam inunguntur carinæ ut ad celeritatẽ sint aptiores, sic enim facilius natat uncta carina.
ibid. Pachinus, Siciliæ promontorium Melitam propius ac Syracusas propinquius spectans, & in eadem basequæ habet pro angulo Lilybæum, Caputpassurum uulgò uocatur.
2249. Maliacæ custodiæ, præsidia eius oppidi, quod Malecca uulgò uocatur.
2251. Panormus, urbs est Siciliæ in eo latere insulæ, quod spectat Mare mediterraneum, uulgò Palermum nominant.
2252. Contractus murus, uulgò scarpa muri, quia inferius latior, superius fit angustior.
2253. Drepanum, appellant aliam ciuitatem Siciliæ iuxta Lilybæum, uulgò Trapani.
2254. Sacrum Iunonis, insula est perexigua, quæ parum distatà Melita, uulgò uocant Gozum.

AMBITVS ET AMPLITVdo Melitæ Insulæ.

Ambitus est Melitæ millium passuum	60
Longitudo	21
Latitudo	12

SVNT IN EA OCTO LOCA munita, & pagi 45.

Arx S. Elmi extollitur à planitie cubitus	54
Sancti Angeli	57
Burgus	36
Oppidum S. Michaëlis cubitus	30
Collis sanctæ Margaritæ cubitus extollitur	45

DISTANTIA SINGVLOrum locorum.

Distat arx sancti Elmi à sancto Angelo pasibus	50
Ab arce ad urbem intersunt milliaria	7
Distat arx à portu descensus S. Pauli milliaria	12
Ab arce ad descensum S. Georgij intersunt milliaria	4
Oppidum S. Michaëlis à Marsa distat miliarium	1
Inter Marsam & urbem miliaria intersunt	6
Distat Melita à Sicilia miliaribus	60
Ab Aphrica minore miliaribus ad	80

AD DISTANTIAM MENsurarum uariarum.

Quinq; millia passuum Italorum faciunt miliarium Germanicum.
Tria miliaria Italorum faciunt miliare Gallicum.
Decem Italorum miliaria faciunt miliarium Heluetiorum.

EXPVGNATIO ARCIS TOKAY, ANNO M. D. LXV. PER LAZARVM A' SCHVENDE, &c. Sambuco Authore.



QVVM Ioannis Regis filius Turcica cum Ferdinando pace comprehensus, in officio nonnulla etiam affinitatis specula persisteret: uix eiusdē Pientissimi Cæsaris morte audita, suo ne an maleuolorum consilio, data(ut quidam aiunt) non minima per præfectum Zathmariensem Melchiorem Balatha, in festandis Vayde pagis, decimisq; uinearum præter morem & conuenta exigendis causa, dum idem à custodia fuit absens, pacem uiolat: rebellesq; Zathamariense accito Stephano Bathori, alienæ seditioni asserit. Vayde cum Bathoreum quem ad hoc nō impigrum est ratus, q antea id oppidum eius fuisset, cū paucis opportunè submittit: atq; ingentem Balassi thesaurū, quem ex Riuulis cōfecerat, unà cum coniuge eius quatuor libris capit: non leui ad futurā obsidionem præsidio, firmāt præsertim repertis istic munitionibus, ac tormentis nostrorum aptissimis. Causam Vayuadiani etiam non ueriti obtendere, factumq; excusare, nihil eo a perurū admisisse, perfugam Balassi cōsiliorum suorum & arcanorū præsidem, à Ferdinando iniquè contraq; decorum pacta ac leges receptum, indeq; illum temerarium esse odium è uicinia effundere in suos solitum, ad freqūētes ad Regem querelas nihil remedij factum. Hinc non speratum ciuile incendium, hoc diuortio inter optimū, & constantiss. Imperatorem Maximilianū & Transsyluanum extitit: iusteq; ille motus, iam triennium ferè ulteriorē sceptro regio & iureiurando congruam, non absq; magnis & alio cōuertendis potius (ni causa & maiestas cogerent) sumptibus, duce Lazaro à Schuende persequitur. Valde insolens fuit Maximiliano, de capto Zathmar nuncius: nec id à Voyda potuisset unquam sperare, ut tot beneficijs affectus, patrocinio non leui apud Ferdinandum parentem commendatus, & sæpe excusatus, hanc patrono gratiā referret. Luctus publicus erat, nōdum cadauer benè à colorū reliquijs desertum, ac refrigeratum fuit, curarū moles intolerabilis: de pecunia pacta, mittendaq; Constantinopolim, uaria grauisq; deliberatio: de componendis imperij negotijs, comitijsq; ex more edicendis cogitatio: fratrum quoq; ex testamento (qui & lenissimè & facillimè inter sanctè educatos & dicto semper audientissimos fuit) compositio: sororum nondum matrimonia conclusa, & alia incumbebant: cum ille iniuria publicè prouocare incœpit, a omnibus conatibus tanto Cæsari per occupationes aliquam notam labem aspergere. Sed non inermem, nec imparatum inuenit: nec senatus eius quem iniquè nulloq; suo meritò irritarunt, bene expendit, Itaq; cum præfectus huic ulciscendæ iniuriæ, belloq; ducendo idoneus præ cæteris Schuendius duceretur hunc Cæsar consensu Regis Philippi euocat, negotij omnem molem imponit: & quò minus de non uisis regionibus nec deinsuetis sibi Vngaris dubitaret, addit Andre Bathoreum, cuius laudes cuiusuis ueterum præconia superant: itemq; Melchiorem Balassa gnarum, & in aduersariorum rebus diu uersatum, tertium Gabrielem perennium, qui fidus in omnibus, & copiosus fuit comes. Exercitum sine mora Lazarus Germanum, non mediocrem, in Scepusiensem agrum deducit, augetur is Vngarorum fortissimorum numero, è præsidijs quoq; euocato. Et quia Tokay arx, natura, arte, & in Transsyluaniam aditu commodo, firmissima potissimum obijciebatur, brumeq; uis urgebat celeritatem, neglectis alijs leuioribus in itinere castellis, hanc ut Schuende aggrediatur, à Balassa & alijs persuadet: cuius hic breuissimè subijcio auspicatā & subitā expugnationem.

Pridie

Pridie igitur Calend.Febr. 1565. nomine Maximiliani secundi, præfectus rei
summæ Schuendius, mentis consiliorumq; Cæsaris pellicorum intimè consci-
us, adeoq; summus in Vaydam iniuriæ ulciscendæ damniq; dati Imperator:
Franciscum Popendorfium cum tormentis, alijsq; militiæ adminiculis necessa
rijs, quibus is præerat: addito illi in tutum peditum signo: Cassouia in oppidũ
Gancz præmittit: ubi ipsum cum uniuerso exercitu cõmodè opperiatur. itaq;
Calend.Febr. Schuendius cum turmis equitum: peditibusq; diuina sese spe cõ
mouet: eodemq; die Gunczium peruenit: postero, ut expediores & coniuncti
omnes ad obsidionem proficiscerentur, ibidem substitit. Tertio die uniuersæ
copiæ Tokay uersus promouent: proximeq; sequenti: ad agrum & arcem ut
fit, præmissis uelitibus Vngaris, & Germanis ad explorandum, ac malè haben
dum dimittit, ac ut pro arce oppidulum Kerestrer, ad commoditatem rei geren
dæ, & acerrimum frigus à militibus ferè nudis arcendum præriperent, in man-
datis omnia indagentibus & peruolitãtibus Lazarus dedit. Quod nostrorum
consilium etsi Tokayenses impedire suo præsidio aliquoties, & oppidulum
pro arce flamma corrumpere fuerint adnisi: re tamen uix tentata, fortiter à no-
stris, & non sine illorum cæde, ad portas nostris usq; insequentibus fuêre repul
si: eoq; oppidulo obtento facilius se ad expugnandi rationes instruxerunt. No
cte propter fluuium Bodrog: aggere eiecto: tribus ad infestandas luto obdu-
ctas sepes æneis aptè inductis: die quinto defensacula & turres: ubi præcipua
propugnandi suppellex hostium extabat, decutere nostri uehementer cepe-
runt, atq; oppositis propius nostris propugnaculis, ut illis apparerent, detecti
fuêre. Ea ipsa luce in colliculo ad Bodrog, duobus extructis è terra molibus,
inuectisq; machinis quatuor ingentibus, in nudatorum stationes glandibus
iteratis, tutiori eos loco deturbant. Postero die, ad eundem fluuium omni ope-
ra uallisq; se nostri præmunire pergunt: uerum ob uim hyemis terra ad opes
importuna, fossorumq; pœnuria minimum proficiebatur: infracto tamen & la
bore pertinaci ampliatis aggeribus, ammachinæ imponuntur cæcumq; ac in-
sidijs promptum contrà arcem fit munimentum. Sexta eiusdem mensis, nocte
intempesta, inter Tibiscum & Bodrog alius excitatur uallus, cui maximis tor-
mentis cauetur: hocq; opere prior agger dilatatus ea ratione fuit, ut quinq; mu
ralibus mane sequenti arcem fatigare potuerint, illamq; substructionem & ad
Bodrog molem productam: minacemq; qua præcipue spem impunitatis ale-
bant hostes, nostri duobus è locis totum diem, cuniculisq; subiectis deiecerũt:
eademuia scalis & incursioni aditus comunitus ita est, ut eadem fortassis: uel
insequente die, modò niuium perpetua iniuria: uentoq; inimico non fuissent
prohibiti, in ipsam arcem euasissent. Vltra Tibiscum seorsim Balassa egesto
tumulo, sibi prospexerat: aditusq; omnes & uias equitibus Vngaricis, Vaydo
nibusq; insederat, sed duabus tantum mediocribus serpentarijs obsidionem
premere, iuuareq; potuit: nec uerò Gabriel Perenius commoditate riuuli, è
Bodrog circum Tokay à Nemethio circumfusi, cessauit uarijsq; inuentis fide-
lem expeditamq; operam contulit. Nona & decima Febr. cum obsessi undiq;
grauiter solicitarentur, insignis illa & uasta, proruptaq; moles caruit, hianteq;
magno loco, ad inuolandum, qui non putarant alteram esse in recessu arcem,
nostris animus datus: remq; non sine cæde sua, paruo emolumento ursetunt,
dum cuius auspicio ante omnia debebant moliri: Schuendius arcano militem
infossas rutumq; reuocauit: inq; stationes pristinas redegit: quòd præ propera
uestinatione peditum ea irruptio infausta: cruentaq; acciderit, dũ aliter quàm
dux præmeditatibus cum mora erat: iusseratq; mœnia inuaserunt. Decimo
die, à meridie hora secunda, quia uniuersam. Fortasis oppugnationem, ulmq;
extremam adactum iri Nemethius ueritus est, eam qui arcem alieno iure, tute-
læq; nomine propriam usurpatat, cumq; præsidio tenebat: ad Schuendium su

CCcc 4 plex

plex mittit: orat, à tanta deniq; ui furoreq; desinat, spacium de deditione compositioneq; cogitandi permittat, sed cōditionibus id nullis, nec temporis mentione, quamdiu consultare uelit, efflagitabat. Cuius hora decursum deliberationi impartitur: iterum, Christiani sanguinis & commiserationis memor, ad solis usque obitum spacium concedit, sed cum is dilato responso fraudulenter non animo pacificandi, agere uideretur, nostri repetito auxilio cœlesti: summis conatibus impressionem fecerūt: maximeq; munitam, insanamq; struem illam terraq; ingesta molem unde acerbissimè resistebatur, unà cum tormentario apparatu eripuit, inq; abditam arcem, quæ fossis aqua parietibusq; cingebatur æquatis, superstites à strage depulerunt. Quem in receptum etsi propugnator eo consilio cum reliquijs se corripuerat, ut nostris quomodo cœperat, negocium lethale facesseret: eiusq; animi omnibus è fastigijs & foraminibus, palàm, serioq; haud sine nostrorum sanguine ediderat indicium: considerata tamen uictoria successuq; nostrorum recenti, qui exteriorem arcem cum machinis occupatam tenebant, eademq; subsidia contra se obiecta compositaq; uideret, præsertim eadem nocte muris sine interuallo uerberatis, cunctis in se adminiculis conuersis, turriq; demoliendæ comparatis: deniq; hostes uocem precibus mixtam (quod propositum tenere nequirent) extulere, cœpto supersederent, colloquium nostri admitterent, esse quod illis aperire uelint: nec ingratum nuncium afferre. Quo illis à Schuendio dato: aliquot egressi, præfecti sui Nemethij mortem significant: scloperi uulnere secundum tempus accepto pridie nunciant confectum, idcirco se diutius neq; posse, nec uelle esse pertinaces & si pactis mediocribus possint, ab armis & defensione desisterent, deditioniq; locum relinquerent. Ibi Lazarus, ad summam qui cum suis consessoribus rem consulere potuit, cum illis transigit: licere hostibus solo gladio accinctis, alijsq; omnia supellectile bonisq; relictis, excedere. Quam paulò ante adeò aduersi, accepere legem: insuper additum precibus licere illis herū suum, quò uellent: ad sepeliendum deportare. Excedunt igitur ad 350. sed magna parte uulnerati, sacramento religioneq; non uiolanda obstricti: nec per id bellum, aduersum Cæsarem ullo modo & prætextu stipendia facere ausint. Atq; ita Tokay tertio receptum, præsidio frequenti, necessarijsq; imposito nūc Maximilianus obtinet: ingenti omnium ad usum parandorum ibidem copia reperta, nullas trans Tibiscum minas horret: quòd firmissimum sit propugnaculum, expeditumq; in Transyluaniæ fines commeatum præbens: eaq; loci natura, ut aquarum inundatione, hoc est, Tibiscum Badrogijq; confluente circumplexa: facilè uim insidiasq; externas auertere omnes possit. Nec sane illa unquam antea ita instructa ad resistendum, nec tam ualida oppugnatione, singulari Dei beneficio: primisq; Cæsaris huius belli auspicijs secundissimis, atq; nunc fuit recuperata. Siquidem Zathmarum hostis incursum sibi metuens deseruit: paulò pòst Ertod quoq;, per Georgium Bathoreum uix hostiliter tentatum, ut ijs & aditu impedito receptum est: & progressus, nisi uana spe de pace à Vayda per Stephanum Bathoreum legatione allata, dum ad maiores sese apparatus in nostros confirmarent, facillimi in Transyluaniam patuissent. Huius omnis uictoriæ aliorumq; honor, gratesq; Deo Opt. Max. debentur perpetuæ: quò sine euentus omnes sunt infelices.

HISTORIA SIGETHI, TOTIVS SCLAVONIÆ FORTISSIMI PROPVGNACVLI, QVOD A' SOLYMANNO TVRcarum Imperatore, Anno 1566. captum, Christianisq; ereptum est, ex Croatico sermone in Latinum conuersa, per

M. SAMVELEM BVDINAM Labacensem.



VO animi ardore & qua sæuitia immanissimus Turca, in miseros Christianos debachetur: & quam insatiabili non solum furore, regnandiq; cupiditate, sed etiam uatiniano & immortali odio motus ipsos affligat opprimatq;: ex magnitudine rerum ab ipso gestarum, neminem esse credo, qui non intelligat. Huius rei documentum esse potest, Arcis Sigeth, & arte & natura loci munitissimæ (undequaq; enim paludibus circumdata, & ueluti immersa in finibus Sclauoniæ sita est) expugnatio: quam non ita pridem ipse Turcarum Imperator Solymannus ingenti cum exercitu obsessam & grauiter afflictam, non tamen sine magno suorum clade, cepit, suamq; in potestatem redegit, quemadmodum ex præsenti historia uidere est.

Anno post Christum natum 1566. Comes Nicolaus Serinus, nobili & illustri loco natus, de his ex speculatore quodam certior factus, qui ad eum decimaquinta Iunij uenit, ipsiq; omnium primo bona fide retulit, quomodo Turcici Imperatoris exercitum, qui se ad duo miliaria in longitudinem extendat, propè Saraieuum uiderit, quem ipsemet quoq; à longinquo insecutus sit. Famam uerò spargi, ipsum ad Sigeth uel Egar inuadendum profectionem hanc & expeditionem suscepisse: ad eamq; rem se iam pontem apud petram Vradinensem Danubio iungi curasse. Non multò pòst, alius quidam speculator ex Quinqueecclesiarum urbe uenit, literas ab alio quodam exploratore adferens, in quibus perscribitur, Imperatorem re uera cum copijs egredi: Ignorare autē, quò, uel ad cuius arcis oppugnationem. Hunc è uestigio tertius speculator ab Esseko, quod est ad Drauum flumen oppidum, subsecutus narrat: aduenisse iam eò belli quendam Præfectum, quem Vegum nominant, qui pręmissus est ueluti Prodromus, ut Drauum nauigijs trajciat: cum eo quoq; totam Bosnam Carambeium, hoc est eius loci prælidem & belli ducem appulisse, atq; in Sclauoniæ regione ex alia parte Draui infra Moslauiam consedisse. Quò uerò tendere uelint, id se ignorare affirmat. Posteà quartus etiam explorator accessit, indicans, se propè Essekum fuisse, ibiq; multa nauigia supra ad portum, qui Ottonus appellatur, aduerso Drauo transuehi Sicloufchum uersus uidisse. Eo etiam in loco audiuisse Vegum, qui ex Imperatoris exercitu præmissus est, eius esse animi, ut Drauum nauibus superare, apudq; Sicloufchum conquiescere cogitet. Ibi etiam maiores ipsum copias præstolaturum se certò scire asseuerat. Quò porrò sese recipere uelit, omnes latere. Tandē alius speculator ex Turcarum castris aduenit, pro certo affirmans: exercitum apud Otouum conscensis nauibus Drauum transire, eosq; Turcas, qui transuecti sunt è uestigio Budam contendere apudq; Sicloufchum pernoctare.

His itaq; strenuus & celebris Comes Serinus 17. die Iunij cognitis, & quod Turcæ absq; ulla interposita mora sese ultra Drauum recipiant, atq; foris sub arce Sicloüscho passim in agris nocturno tempore contineant, ibiq; requie-

fcaut: confilium init, & mille pedites cum quingentis equitibus ut fortunam experiantur, ablegat. Quibus tamen antea Dominum Cafparum Alapianum, Nicolaum Cobacum, Petrum Bathfchaftzia, Vuolffgangum Praprutouitfchium, unà cum peditum ductoribus feu præfectis, quos Vaiuodas uocant, præmifit, mandans, ut fortunæ aleam tendent: Et fi quos Turcos inuenerint, prælio decernãt manufq; conferant. Si uerò eos deprehendere nequeant, ut tunc ciuitatem Sicloufchum expugnatione inuadãt aut incendant, omniaq; diripiant, præcipit. Cumq; noftri iam Sicloufcho appropinquaffent: præmittunt ad arcem ducentos pedites & equites centum, his faltem, fi Turcæ fortafsis fub pratis & planitie de equis defcendiffent, ut reliquis quamprimùm fignificarent, omniaquè circumfpicerent, & ad fuos deferrent, iniunctum fuit. Et poftea quàm infra Sicloufchum uentum eft, rectà ad Turcarum caftra feruntur: ubi Mechmetbegus uel præfectus belli ex Tbeari confedit, quem Imperator non multò ante ex aula fua afciuit, ipfiq; Tbeari Sanfakh, id eft pomum aureum, quod uexillo apponi, & ab Imperatore Turcico, belli ducibus, tanquam fignum beneuolentiæ & fummæ in milites poteftatis dari folet prope Byzantium contribuit: utq; exercitum tanquam Prodromus præcederet, Drauumq; traijceret, & in Quinqueccleſiarum tractu immotus confifteret, mandauit: Vbi omnes copiæ congregari, Drauumq; fuperare poffent. Præterea, ne aliò inde fe transferret, donec ea de re Cæfaris mandatum acceperit, fedulò præceptum fuit. Rebus ita conftitutis, impetum noftri in ipfos faciunt, fummoq; mane cædunt & difijciunt, magnumquè Turcarum numerum interficiunt, quorum multi in ipfis paludibus, & loco falebrofo arbuftifq; confito, nudi propemodum & interulis folum cooperti, fuga falutem fibi quæfiuère. Præfectus etiam belli, quem Vegum illi uocant, grauiter uulneratus & fuga dilapfus, in eo lacu feu limofo agro perijt. Ipfius porrò filius, & cum eo tres Turcæ, uiuus in poteftatem & manus noftrorum peruenit. Auri deinde & argenti copiam, tentoria & equos noftri unà cum opimis fpolijs confecuti, incolumes lætiq; arcem Sigeth maximo cum lucro repetebant: Turcicis infuper rebus præftantifsimis & pecunia octo Camelos, fexaginta equos, & quinquaginta mulos, clitellarios unà onuftos adduxerunt: atq; fex plauftra omnis generis fpolijs, quæ à Turcis adepti funt, impleuerunt. Nobiles etiam Sigethani oftro & auro contextis ueftibus, & tunicis martyrum pellibus fuffultis indutis, fummoq; animi gaudio Sigethum reuertebantur. Eripuerunt præterea hoftibus duo rubei coloris ingentia, quæ fecum attulerant, figna: in quorum extremitate feu cacumine, loco ferri, cufpis in pertica ex puro argento, latitudine unius manus & deaurata, affixa fuit. In ipfa quoq; hafta, cui uexillum apponi folet, equina colore tincta, unà cum argenteo globo feu fphæra, pomi inftar, quod Schanfack nominant, pependit. Similem certè uictoriam & fpolia eiufmodi, longo iam tempore, noftri de hoftibus uix reportarunt.

Secunda die Iulij, ipfe Muftafa Bofnenfis Baffa, Baffa Sokolouitfchius, unà cum tota Bofna, & Baffa Carambeio, Drauum Ottoquum uerfus traiecit, & apud Sicloufchum infra Hardanafum confedit. Septima die Iulij aduolat Explorator ex Belgrado feu Alba græca, Turcarumq; caftris perhibens: Cæfarem eò ueniffe, & naues aduerfo Drauo rectà furfum duci, in eoq; loco ipfum propè Sicloufchum, pontem naualem, feu ex fchaphis & lintribus cõfectum, Drauo fuperinfternere, atq; ad expugnandum Sigeth proficifci cogitare: curare quoque pontem illum, quem Danubio iunxerat, rumpere atq; difijcere. Deniq; ex Quinqueccleſiarum urbe aliæ mittuntur literæ, quibus ab ipfo Nafuf Aga, id eft, Capitaneo, qui paucis quibufdam militibus præeft, Comiti Serino perfcribitur. Iam belli quondam infpectorem, feu qui militem cogit, & ducis ipfius copiarum uices aliquando gerit, Tfchaufch ipfi uocant, eò aduenif-

fe, ipfiq;

se, ipsiq; Hamsam Vuego ab Imperatore mandatum attulisse, ut se quamprimùm ad Drauum recipiat, ibiq; pontem instruat: Quod nisi fecerit, curaturum se, ut ante ipsius ædes palo affigatur: Iniunxisse etiam, ut per pagos & passim palus sanguine aspersus circumferatur. Sic itaq; ille non procul ab Ottouo pontem fabricare cœpit, quem quidem iam satis longè & commodè construxerat. Sed aqua cum impetu magnaq; ui nocturno tempore superueniens, omnia disrupit & abstulit: neq; in eo loco eum ulla penitus ratione figere poterat. Hinc ergò longius & infra Drauū aliò progressus, opus rursum prosequitur, quicquid autem bidui spacio parauerat, id omne aqua una nocte disiecit. Quo ex loco in tertium ulterius propè ad Essekum profectus, periculum de ponte fabricando fecit: Sed illic omnem lusit operam, nec propter aquarum uim efficere quicquam potuit. Hac igitur de causa Tschauschum ad Imperatorem ablegat, exponens quomodo inundatione & multitudine aquarum impeditus pontem Drauo super insternere nequeat: se quidem nec conquieuisse hactenus, nec ulli labori ea in re pepercisse. Imperator hoc Hamsam Vuegi nuntio cognito, Tschauschum ipsi cum lintheo seu mantili Turcico, in cuius extremitate aureis literis scriptum erat:

SVLTAN SOLYMAN REMITTIT, PER QVE IPSVM EDICIT, VT PONTEM QVOCVNQVE IN LOCO, ET QVACVNQVE RATIONE POSSIT, CONFESTIM SVPRA DRAVVM IVNGAT, QVI NISI AD IPSIVS VSQVE ADVENTVM EXTRVCTVS, IPSVM EX VNA PARTE PONTIS IN RIPA, ILLO IPSO LINTHEO STRANGVLATVM ATQVE SVSPENSVM IRI.

Hoc ubi Hambsam Vuegus percepit: celerrimè ea ipsa hora ad Drauum denuò infra Essekum contendit, atq; omnia nauigia ad eamq; rem opportuna ligna deduci curauit. Et mox infra Essekum opus strenuè inchoatur: quod ut eò commodius absolueret, omnes uectigales rusticos, qui Turcæ tributum pendunt, seu, qui se ipsi sua sponte subdiderunt, & reliquos omnes, nemine excepto, imo ipsos nobiles, & qui munus & officium aliquod sustinent (Spachias uocant) ad laborem cogit atq; compellit. Hamsam Vuegus etiam ipse nullam omnino nectebat moram, nec interdiu, nec noctu conquieuerat unquam, donec effecto ponte Drauus constratus fuerit: quem per prata, paludes & stagna in longitudinem unius milliaris deduxit, idq; omne decem dierum spacio effecit. Lintheum porrò, quod Hamsam Vuegus ab Imperatore missum acceperat, Nasuf Aga seu Capitaneus, qui Hamsam Vuegi, dum aberat, Quinqueecclesijs locum sustinuit, clàm Domino Comiti Serino Sigethum transportari curauerat.

Vicesima die Iulij, Bosnensis & Carambelus Bassa, Sicloušcho castra mouen', & Quinqueecclesias perueniunt. Inde Budensi Bassæ in subsidium profecti, Albam regalem ueniunt. Hos posteà Hamsambegus stipatus, omnibus Spachijs seu Nobilibus comitatur, & Quinqueecclesijs summo cum incolarū, propter ipsius abitum, mœrore discedit. Eadem die Anatoliæ Vueglierbegus, id est, supremus in Oriente belli dux, primus omnium Draui pontem transit, quem dein' Akai Bassa, hoc est, alius quidam militiæ præfectus, & Vrumeli begierbegus, id est, summus belli Imperator, earumq; regionum præses, quæ ultra mare Aegeum ad nos spectant, insequuntur: inq; planitiem seu agrum Mubatsch considuat, ibiq; Turcico Imperatori tentoria figunt. Post hæc ipsemet Cæsar Sultanus Solymanus superato Drauo illuc peruenit, eoq; in loco castra metatus, consilium de reaggrediunda capit, & aliquot ibi diebus, donec exercitus omnino transiret, læto animo commoratus est.

Prima Augusti die, Turcarum Imperator ex agro Mubatsch se commouit, & ad Sigethum contendit. Tertia autem die non procul infra Sicloušchum appulit.

pulit. Ibi Oroslanum Budæ Bassam capite plectit. Quarta porrò die Quinquecclesias, & quinta ad D. Laurentium, non procul à Sigetho, peruenit, ibique sua castra posuit.

Sub id ferè tempus, Dominus Nicolaus Comes Serinus, inter Nobiles, Equites, & pedites reliquosque milites & strenuos uiros, ut omnia ordine fiant, dispicit & procurat. Cumque iam re uera certior esset factus, Turcicum Imperatorem conari Sigethum obsidione cingere, uidissetque ingentes illius copias appropinquare, in arcem interiorem Capitaneos, copiarum pedestrium ductores, seu Vaiuodas, Nobiles, Equites & pedites, una cū urbis ciuibus cæterisque omnibus, qui tunc temporis in arce & ciuitate Sigetho fuerant, ad se cōuocat, ipsisque exeuntibus, urbis portas occludere iubet: qui, ubi omnes in interiorem arcem conuenissent, ipsemet Dominus Nicolaus Serinus, medius inter ipsos in platea minoris arcis constitit, omnesque hac propemodum ratione allocutus est: Mei fratres, qui sub Cæs. Maiestatis stipendia meretis, uiri strenui, militesque fortissimi: Iam certò uidemus singuli, Turcarum Imperatorem ceruicibus nostris imminere: Quapropter ipsa necessitas exigit, ut nos paremus, & intrepido animo nostrum totiusque Christiani orbis, nominisque hostem præstolemur: qui insolenti animo & temerario ausu, suis uiribus, incredulorumque hominum multitudini fidens, in nos arma sumpsit. Nos autem spem & auxiliū nostrum in Deo collocamus, qui nos nullo negotio defendere, ipsos uerò ratione facillima pessundare atque reprimere potest. Alacriter ergò ipsius aduentus à nobis est expectandus, nec deterrere nos debent uires aut ingentes ipsius copiæ. Nihil enim dubitamus, Deū Opt. Max. si precibus ueris ipsum inuocauerimus, opem nobis subministraturum atque clementer affuturum. Danda autem inprimis est opera, ut unanimes & fideles existamus, ne ulla inter nos simultas uigeat, ne inimicitiæ aut odia alantur, ne alius cōtra alium insurgat: sed omni studio enitendum, ut potius apud nos omnes, honestas locū habeat, & hic summa cum concordia & beneuolentia degamus, quàm diu diuinæ id uisum fuerit uoluntati. Hac itaque de causa, mei fratres, nō abs re, sed summè necessarium esse arbitror, ut inprimis & ante omnia iure iurando nos deuinciamus. Et initio Deo fidem demus, supremo etiam Magistratui nostro, & huic afflictæ Prouinciæ constantiam & integritatem sanctè promittamus. Primò ego iurabo, idem uos post me facturi, ne ego uobis, aut uos mihi, ullum diffidentiæ locum reliquisse uideamini. Iuramentum ergo nunc meum auditote: Ego Nicolaus Comes Serinus promitto Deo Opt. Max. inprimis, dein' Cæs. Mai. Domino & Magistratui nostro summo, & huic miseræ Prouinciæ, postmodum etiam uobis militibus & strenuis uiris, iam hic congregatis, ita me Deus Pater, Filius, & Spiritus sanctus, Sancta Trinitas & Vnicus Deus, me uos nullo unquam tempore deserturum, imò uobiscum uicturum & moriturum, & omnia simul, quæcunque inciderint, seu bona seu mala passurum. Iam etiam ipsa ratio exigit: ut uos idem præstetis erectisque duobus digitis Deo interposito teste promittatis. Post unusquisque uestrūm suo Capitaneo in ipsa porta suam iuramento fidem dabit. Quare, ut ex uobis quilibet hæc, præeunte scriba, clara uoce, eleuatisque duobus digitis dicat, sedulò inspiciemus: atque in eum, qui fortè ista facere aut effari recusabit, grauissimè animaduertemus. Is enim nobiscum ad extremum usque perseuerare minimè cogitat, nec ueri hominis, sed proditoris nomine meritò censendus est. Quem etiam hac de causa è uestigio comprehendi iubebimus. Esto itaque uestrum iuramentum hoc. Nos omnes Ciues, Equites & pedites, militesque stipendiarij Cæs. Mai. iuramus primum Deo Opt. Max. posthac Christiano nostro Magistratui, huicque Prouinciæ, & Domino nostro Nicolao Serino Comiti, sanctèque affirmamus: nos, ut fideles & morigeros decet, obedientiam omnem præstaturos: cūm ipso etiam nos uicturos, mortemque oppetituros,

turos,constanter pollicemur. Audite prætereà,quid uos scire uelim,si fortasse interea temporis mors ingrueret,meq; e medio tolleret, meo loco uobis hunc familiarem meum Dominum Casparum Alapianum constituo,uobisq; impero,ut ipsi pareatis,summumq; honorem tanquã mihi ipsi exhibeatis,& si quæ uobis mandata dederit,ea diligenter optimaq; fide exequamini. Animaduertite porrò in ista capita,si quis equitum aut peditum,Capitaneo suo aut Tribuno obedientiam recusauerit,aut imperium quacunq; tandem ratione detrectauerit,ipsumq; ui aut stricto gladio adoriri conabitur,interficitor. Deinde si Epistolam quis Turcicam acceperit aut legerit,statim occiditor. Qui autem literas per sagittam immissas, aut alio in loco depositas inuenerit: ut Capitaneo suo confestim eas exhibeat,hic porro ut igni tradat,seriò edico. Et quoniam stationes seu loca per Capitaneos,Vaiuodas,& Tribunos quibus quisq; manere excubiasq; agere debeat distribuentur,forte aliquis nobilium aut etiam reliquorum,quicunq; is fuerit,deprehendetur, qui absq; uenia & scitu Capitanei sui,Vaiuodæ,Tribuni uel Decurionis, loco suo discesserit, absensq; fuerit,is sine ullo habito iudicio repente strangulator. Qui uxorem seu matrem habet,huic cibus & potus reliquaq; necessaria, in locum suum ab ipsis transferri & præberi poterit,ipse autem in statione sua immotus maneat. Illi portò cui nec mater,nec uxor est,cibus in mea culina præparabitur: quem ille,ut per Tribunum suum accipiat,commodis & certis horis curabitur. Vini quoq; ijs qui non habent, cuilibet in singulos dies sextarius seu mensuræ quarta pars, cum pane,aceto,& sale dabitur. Istis uerò qui uxorati sunt,& tamen panibus carent, siliginem catnem atq; farinam,ut sibi panes ipsimet conficiant,suppeditabimus. Deniq; si duo occulta quædam cõsilia tractare & mussitare inter se deprehensi fuerint,ambo recta suspenduntor. Etsi talia quis fortè uel audierit uel uiderit, nec familiaritatis causa indicare ea uoluerit,absq; mora eodem supplicij genere cum ipsis mulctator. Postremò qui alteri uel teruncium furto abstulerit,subitò strangulator. Hanc itaq; ob rem maiorisq; obseruãtiæ & timoris gratia, Dominus Comes Serinus,crucem in Sigethi arce maiori,propè portas, poni iussit. Dein' militem quendam pedestrem,eo quod gladium in Vaiuodam strinxerit,eq; uagina eduxerit,in platea magnæ ciuitatis capite mulctauit. Eo quoque in loco Comes Serinus Mahmet Agã,seu Capitaneum propter insignem eius perfidiam & enormia flagitia,quæ in uia Sigethum iter faciens perpetrauerat,pœna capitis affecit. Idq; maioris reuerentiæ & timoris causa ab ipso factum esse,censendum est. His peractis,Comes Serinus omnibus nobilibus,militibusquê pedestribus,degentibus in maiori oppido,imperauit, ut suas ædes demoliantur & diruant,paleamq; exportent,comburantq;: In noua autem urbe habitantibus,ut si tamen tectis eximant,inq; domos transferant: quo ciuitas,que lignis saltem & sepibus cincta fuerat,eò melius cõflagrare posset,mandat. Postea quam Comes Serinus,hac ratione omnes authorasset, militæq; Sacramento obligasset: illic toto cum exercitu & militibus mansit,quorum,qui armis gestandis tractandisq; idonei erant,in uniuersum duo millia,trecenti & alij quidam plures,mulieribus tamen liberisq; exceptis,numerabantur.

Tricesima prima Iulij die,ipse Vrumelibeglerbegus & Akanski Bassa, nonaginta millibus Turcarum aduenium,& prope D. Laurentium uno miliari à Sigetho considunt: Eò se quoq; ex castris centena Turcarum millia conferunt, & e uestigio ea ipsa adhuc luce cum nostris ab exortu diei usque ad meridiem intra septa,uelitario certamine dimicant,rursumq; in castra sub noctem quietis causa reuertuntur.

Prima die Augusti,Vueglerbegus & Akonski Bassa iunctis illis nonaginta millibus Turcarum,totoque exercitu inde soluunt, seq; apud Simelchouum quarta parte unius miliaris ab arce in quodam colle seu monte, non procul à

Sigethi uineis distante demittunt, ipsoq; diluculo ad septa cum nostris dimicatum ueniunt: Cumq; acriter à meridie ad uesperam usq; pugnassent, ex Turcis plurimi tormentis manuarijs interfecti desiderabantur. Hunc ergo in modum singulis diebus ter Turcæ appropinquabant, donec eò ipse quoque Imperator aduenerit.

Quinta die Augusti, Vueglerbegus & Akanski Bassa unà cum exercitu de colle illo, quem Cæsari delegerant, uacuumq; pro eo reliquerant, secedunt, & sua circa arcem castra locant. Eò ipso die Lunæ, in colle, ex quo se Vueglerbegus & Akanski Bassa Simelehouum uersus receperant, Cæsaris tentoria seu papiliones figuntur. Sequenti die Martis, qui fuit sexta Augusti, Cæsar ipse omnibus copijs & tota manu comitatus, subsequitur, ipsumq; collem qui Sigethanis uineis adiacet, occupat, ibiq; cum stationes collocasset, suaq; castra metatus esset, quiescit. Reliquus autem exercitus & milites, arci ita denso agmine imminebant, eamq; circumsedebant, ut tentoria se mutuo attingerent, nec quisquam arcem ingrediens, propter immensam hostium multitudinem conspici poterat. Eadem quoq; die in omnibus septis & mœnibus usq; ad noctem grauiter dimicatum est: Soleq; occidente, Imperator omnes machinas bellicas & bombardas, quas secum aduexerat, displodit atq; emittit: Ianitschari etiam, id est σωματοφύλακες, Turcici Cæsaris, quorum ipse, ut sibi præsto semper sint, aliquot millia in aula sua alit, genus hominum bellicosum atq; sagittandi peritissimum, sua tormenta manuaria eiaculantur; Vnde talis strepitus & fragor exaudiebatur, ut tonitrua quis cœlo descendere arbitraretur. Post hæc magna uoce ingenti clamore in omnibus Turcarum castris cœptum est ter Halla, id est, DEVS, acclamari, idq; in significationem prosperi ad Sigethum Cæsaris aduentus. Christiani è contra in arce Sigeth nomen IESVS exclamabant.

Septima Augusti die, Turcæ ex planitie, & agris, Gerras, seu Cophinos uirgultis contextos terraq; impletos, ad nouam urbem præmittūt, aggerem deinde iaciunt, & uallo fossisq; re muniunt, quibus mox tormenta & bombardas superinducunt occultantq;: Et nostros qui se intra septa iuxta portam nouæ ciuitatis extructa continebant assiduè petunt. Eo tamen die, ipsi propter crebra nostrorum tormentorum fulmina efficere nihil poterant. Ibi etiam Ianitschari, cum prius ad septa seu terminos accessissent, acriter cum nostris dimicant. Atq; ex nostris unus saltem, illorum autem multi in eo conflictu perierunt. Hac ipsa die Comes Serino omnia septa, hortos & arbores comburi atq; amputari, & utriusq; ciuitatis portas, quæ dein' terra repletæ atq; munitæ sunt, secari iusserat. Vespere itaq; eius diei, Iouisq; manè & serò Turcæ aggerem iacere pergunt, Ianitschari se fossis ingerunt, & terra, ut ab iniuria bombardarum tuti esse possunt, cooperiunt atq; occultant.

Octaua Augusti die Iouis, Turcæ summo mane nouam ciuitatem tribus in locis petere atq; concutere incipiunt. Ianitschari etiam suis scloppetis rem tentant, & in utramque urbem sine intermissione iaculantur. Post hæc ipse Aliportuk aggerem iacere munitionemq; nocturno tempore infra arcem interiorem prope regium hortum, rectè in ipsa palude seu fossa arcis moliri, eoq; maiora tormenta statuere pergit.

Nona Augusti die Veneris, ipse diluculo idem Aliportuk, qui Imperatoris terra marisq; bellicarum machinarum & munitionum Præfectus fuit, quinque maioribus tormentis, & aliquot bombardis fulminat, arcemque Sigethi interiorem petit, tantumq; ea die assiduis tormentorum ictibus profecit, ut iam in ea Turrim & æreas campanas concusserit atq; fregerit. Incepit summo mane machinas displodere, nec ad uesperam usq; conquieuit. Et licet aliquantulum destitit tamē paulò pòst iterum perrexit, perq; totam noctem sine intermissione detonuit. Hæc ubi Comes Serinus eadem die Veneris serò uidisset, plurimosq;

mosq́ ex suis interire tormentia cognouisset:nouam urbem sub ipso crepuscu lo incendere,eamq́ue penitus igne delere, ueterem porrò seu maiorem ciuitatem occludere iusit.

Decima Augusti qui fuit dies Saturni,Turcæ uetus maiuaûe oppidum,tribus ex locis maioribus tormentis petunt:Ianitscharí uerò aggerem faciunt, & uallo terraq́ effossa se munientes,propius ad id accedunt. Machinas quoq́ in nouam ciuitatem ,quæ incendio conflagrauit,deduci curant : Quibus deinde eo ex loco ueterem urbem uerberare atq́ concutere pergunt.Eadem die Turcæ & ipsius Aliportuk aggere,ligna,ruderibus & terra cratem seu pontē,quo per palustria loca eò commodius transitum consequi possent,conficiunt. Adhæc ipsi trabes & ligna præferebant,quibus tecti,uiam strauerunt,& de die in diem semper propius ad arcem accesserunt: Omnes autem Turcæ in hoc,ut quàm citissimè cratem illam seu pontem , per loca paludibus referta,construerent,incumbebant,nec eorum ullus labore seu onere illo subleuatus erat , imò cuncti ad gestanda ligna & arbusta compellebantur,operiq́ perficiendo occupabantur.Cameli quoq́,equi clitellarij,& muli,nullo unquàm tempore quiescebant,syiua porrò et agri omnes,Turcis,equis,camelis,& brutis animalibus, pleni refertiq́ conspiciebantur.Erant itaq́ ex duabus partibus Crates à ciuitate arcem uersus confectæ,in quibus utrisque magna lignorum copia deposita erat,cumq́ pontes ruderibus & terra fabricatos strauissent , eosq́ propè mœnia deduxissent:castella quædam & Ianitium tanquam munimen aliquod seu ἐπιτειχισμα ex saccis uellere,& succidiis constipatis imponunt,quo Ianitscharí tecti operiq́ stabant,atq́ inde arcis mœnia ita petebant , ut in ija propter asias duos tormentorum ictus,nemo in posterum ex nostris permanere potuerit.

Decima nona Augusti,die Lunæ,qui D. Bartholomæum præcedit, Turcæ magnam ciuitatem cœperunt,suamq́ in potestatem redegerunt. Ibi multi ex nostris fortes uiri,qui intro in arcem aufugêre, eq́ hostium manibus euadere nequiuerunt,desyderabantur.Turcæ enim ipsos usq́ ad pontem arcis præcurrebant,atq́ ut introitum prohiberent,summa ipsos uelocitate anteuertebant. Quapropter qui matuiè se in arcem recipere non potuerunt foris omnes trucidati sunt.Inter quos erat Martinus Bosniack, Petrus Borosch peditum ductor seu Vaiuoda,aliiq́ complures strenui,& longo rerum usu industrij milites. In ponte etiam decrepitus ille Laurentius,Petrus Batha,Blasius Diak,Georgius Mathiasch , omnes Vaiuodæ,uel copiarum pedestrium ductores , miserè interfecti perierunt.Ibi quoq́ Mathias Sekischudi Vaiuoda, globo percussus, postea ad frugem peruenire uel sanitatem recuperare potuit nunquam. Finierunt insuper in expugnatione urbis uitam Rodouan & Frāciscus Dando Vaiuodæ,aliiq́ magni nominis milites non pauci, quos omnes hîc scripto comprehendere & recensere non fuit integrum. Posteaquàm ciuitas ingenti clade & summa cum iactura amissa est:Multi enim ueteres Vaiuodæ & optimi peritissimiq́ue milites in ea interiêre, maximo mœrore & tristitia affecti, cæteri omnea in arcem sese contulerunt,in eamq́ cum Comite Serino seipsos incluserunt. Turcæ uerò urbem fortissimo præsidio tenebant, iamq́ue in ea morabantur.

Vicesima die Augusti,hostes quatuor in locis fulmina maioribus tormentis arci immittunt,ad eamq́ binas uias ruderibus arbustis & terra præparant. Paludes enim & fossæ tunc aquis destitutæ atq́ exsiccatæ erant,nec ulla penitus aqua in ijs præter limum & lutum continebatur.

Vicesima sexta Augusti die Lunæ post D.Bartholomæum,Turcæ per Crates ex aggere ipsius Aliportuk primum impetum in arcem interiorem faciunt, expugnationemq́ tentant:in qua plurimi Turcæ periêre, nostri autem duo signa ab ipsis consecuti,intro in arcem abstulerunt, & unà Miserakium Bassam

bombardæ

bombardæ ictu interfecêre. Ex eo loco Turcæ summo cum dedecore & ignominia abire atque secedere coacti sunt, quorũ ingens numerus passim sub ipsis mœnibus & muris, cum plurimis palis quibus ad direptionem arcis instructi uenerant, cæsus iacuit.

In hunc ergo modum, Turcæ post diem Lunæ singulis diebus, magis magisque tribus in locis ex Haserdia & duobus propugnaculis seu monimentis, uno propè portas existente alteri monti contiguo, interiorem arcem oppugnant & affligunt.

Secunda die Septemb. Ianitschari incursione facta in arcem irruere cogitabant, sed mutarunt consilium, & nocturno tempore magnum propugnaculum, quod monti conterminum erat, suffodere cœperunt, cumque per tres totos dies strenuè laborarent, tantum inde terrestris materiæ & ruderum extraxerunt, ut Ianitscharus eo in loco pertransire, & ad interiorem sepem, ubi quendam ex nostris in ipso propugnaculo bombarda traiecit, penetrare, nostrosque sub terra contingere potuit. Eò postea magnam exsiccatorum lignorum copiam, asseres, paleam & puluerem nitratum comportarunt.

Quinta autem Septemb. die Iouis, qui D. Mariæ Virginis festum præcedit, Turcæ magnum propugnaculum seu munimen maioris arcis summo diluculo incendunt, quod & per se uehementer arderet, impulsu tamen & flatu Augusti, ignis magis magisque crescebat inque arcem usque deferebatur. Post hæc etiam trabes & ligna, quę illuc ad reparandos in propugnaculis circuitus & ruinas deposita erant, & incendio absumuntur, ex quo deinceps Domini stabula cæteraque in maiori arce ædificia conflagrare cœperunt. In eo propugnaculo atque incendio, omnia Cæsaris magna tormenta ita disposita erant, ut absque respiratione ijs quatuor ex locis detonarent. Adhæc Ianitschari suis tormentis manuarijs seu scloppetis arcem petunt, & crebris densisque ictibus instar pluuię in arcem globos displodunt, atque propugnaculum quod portę contiguum & uicinum erat, grauiter oppugnant. In eo uerò propugnaculo quòd Nadaschgoui appellabatur, irruptionem Turcæ faciunt, maximoque impetu in arcem feruntur. In ista propugnaculi defensione Comes ipse Serinus præsens aderat, & acriter cum Turcis decertauerat, ita, ut hostiles impetus fortissimè propulsaret, eosque bis arce expelleret atque eijceret. Hoc in conflictu & certamine Ioannes Nouakouitsch occubuit. Cum ergo Comes Serinus ignem maximas uires sumere, & iam propè ad puluerem nitratum (cuius ingens copia in magna exteriori arce iuxta portas minoris arcis erat) procedere conspexisset, & quod propter ignis uehementiam Turcarumque immensas copias, iam undiquaque irruentes, in maiori arce longius morari non posset, se una cum reliquis qui supererant militibus, quique elabi & aufugere inde poterant, in arcem interiorem contulit atque recepit, eiusque portas bonus ille Comes in tantas redactus angustias, claudere iussit. Foris autem complures egregij milites trucidati sunt, mulieres & infantes multi, de quibus inter ipsos Turcas maxima contentio & lis extitit, in Turcarum castra captiui abducebantur. Postea Comes Capitaneis & peditum præfectis seu ductoribus, quos Vaiuodas, ut loca quo quisque stare, & excubias agere debeat, distribuant, præcipit. Mœnia namque exterioris arcis, interiorem etiam cum suo muro complectebantur: hicque continuus quasi & ab ipsis contentus conspiciebatur. Ita ut aliquis ex maiori arce in interiorem nullo negotio & absque anfractu progredi potuerit. Interior quippe arx, tantũmmodo in una parte seu angulo magnæ arcis posita, nullum propter exteriorem seu magnam arcem, munimen uel propugnaculum habebat, nec aliud quidpiam, exceptis uno aut altero conclaui, quod ipse Dominus Comes inhabitabat, & domibus aliquot, in quibus puluis nitratus, omnisque generis bombardæ depositæ seruabantur. Cætera ædificia in quibus com-

meatus

Meatus & siliginis farina, auena, hordeū, caro suilla, & fumo maceratí pisces (quorum omnium propè ineffabilis aderat abundantia) seruabantur, in maiori arce singula contenta erant. Remanserunt ibi etiam quinquaginta dolia uino; trecenta aceto, & quinquaginta omnis generis leguminibus referta. Earū denicꝫ rerum quæ ad uictum requiruntur necessaria, omnium insignis aderat copia: quę omnia in maiori arce relicta & igne absumpta sunt, hacꝫ de causa nec nostris, nec hostibus ea usui & bono esse potuerunt. Amissa sunt præterea in arce maiori omnia tormenta, quæ Turcis cesserunt, & quibus deinceps nostros tam diu petierunt, donec interiorem quoqꝫ arcem (sicuti posteà dicetur) ademerunt. In interiori autem arce præter duo magna tormenta, duo mortaria, quę ὀχμοὶ κεραυνόβολοι dicuntur, & quatuordecim bombardas nihil erat reliquum. Cæteris impedimentis & rebus omnibus hostes foris in exteriori arce potiti sunt. De commeatu in interiori nihil propemodum aderat; præterquàm mille modij Tschargoniani triticea farina referti, quos Comes Serinus ex suis prædijs Tschargouianis apportari mandauerat: Magna itaqꝫ penuria, eo tempore, quoad panem & potum, erat, & talis, ut per hoc triduum mulieres & infantes fame sitiqꝫ extinguerentur. In exteriori porrò arce, unusquisꝫ militum, tam pedester qꝫ eques, uictum & cibaria affatim habuit. Nemo aūt quicquam secū in arcem interiorem auferre, nec multū de auro uel argento asportando sollicitus esse potuit. Omnia enim, ut dixi, incendio foris absumpta sunt, tantoqꝫ impetu & celeritate arx illa nostris erepta, & à Turcis expugnata est, ut uix in interiorē arcem elabi atqꝫ aufugere potuerint. Quam posteaqꝫ Turcæ occuparūt, multa uexilla in aggerē seu uallū arcis collocarūt, atqꝫ per duos louia & Veneris dies, illic in maiori arce cōquieuerunt. Nostri uerò in parua seu interiori arce occlusi, & undiquaqꝫ obsessi ac circumuenti hæserunt. Nec Turcarū ad nostros adhuc in arcē interiorem aditus ulli, aut nostrorū inde foras ad eos exitus patuit.

Septemb. die 7. hoc est uesperi D. Marię uirginis festo, & ipso mane circa horam sextam Turcæ coniecto in arcem igne, ædificia, in quibus Comes Serinus habitabat, in interiori arce contenta, incendunt, & ad expugnationem arcis omnes Imperatoris pedestres copiæ, summa cum ui irruunt: Adhæc, classicū canere, tympanis perstrepere, & tubis infinitis ingentem sonitum edere, incipiūt, signaqꝫ innumera in arcem maiorem collocant. Itaqꝫ tanta erat undiquaqꝫ Turcarum multitudo, ut nec prata cerni, nec aquæ, nec arbores ex arce conspici potuerint. Omnia enim plena Turcis & sub ipsis mœnibus referta erant. Interea arx uehementer & supra modum igne deuastabatur. Quod cū Dominus Comes Serinus uidisset, seqꝫ diutius in ea continere non posse cōspexisset, per Cubicularium suum Franciscum Scherenkum uestem holosericam, aliamqꝫ tunicam ex serico non latam (Menten ipsi uocāt) interulā & alia munda sibi adferri iussit, atqꝫ ad omnes, qui tunc secū erant, milites, in hęc uerba locutus est: Nunc non opus habeo uestimentis grauibus, sed leuibus saltem, quibusqꝫ absqꝫ impedimento me cōmodè, & cum agilitate quadam defendere possim. Iniunxit sibi etiam dati galerū ex nigro serico uilloso, auro intextum & ornatū, quem in nuptijs gestare solitus erat. Huic affixum fuit ornamentum quoddam aureum pēculiare, in cuius pala prætiosus lapis adamas præstantissimæ pennæ ab Ardea desumptæ continebantur. Deinde centū aureos nummos seu ducatos Vngaricos, quibus tamen nullus ex Turcica moneta admixtus esse debeat, adferre iussit, quos ubi Cubicularius attulisset, holosericā tunicam scindi; eosqꝫ inter gossipium, quo illa contexta erat, & sericum poni curauit, sic ad suos inquiēs: Hoc ideo me fecisse uos existimare omnino uelim, ne si quis fortè hostium aūt latronum meis me uestibus exuet, dicat, se nihil prædæ aut lucri penitus apud me inuenisse. Præterea Cubiculario, ut sibi redderet arcis claues, quas ille semper, dum arx obsessa fuit, in manu sua & potestate habuerat, mādauit; eas cum

accepisset, statim tunicæ in quam centum ducatos reposuerat ingerit, suos hunc in modum affatus: reuera mihi credite, quod dum manum hanc mouere, & gladio hoc uitam defendere licebit, neminem mihi centum istos ducatos & claues erepturum. Me autem mortuo, quicunque adeptus fuerit, eos sibi habeto. Iuramentum siquidem iam Deo præstiti, uotumque nuncupaui, me per Turcarum castra nequaquam ductum, nec liberis digito demonstratum iri. Deniq; suo antedicto cubiculario præcepit, ut suos curuos & instar falcis enses (quos Sabl uocant) auro & argento decoratos, sibi porrigat, quos cum probasset, ex quatuor gladijs unum, qui adhuc ipsius parentis erat, elegit, dicens: Hic unus est ex ueteribus meis gladijs, hoc gladio ego omnium primo gloriam & honorem promerui, omniaq; quæ habeo acquisiui. Et hoc gladio ego nunc singula, quæ Deus in me iudicio suo decreuerit, perferam. Sic gladium dextra manu accipiens, è conclaui suo se recipit, atque post se parmam seu peltam rotundam gestare iubet. Nullis præterea armis, nec lorica, nec galea se munire uolebat, hoc addens, Deum protectorem defensoremq; ipsius futurum, se etiam ex Sigetho elabi aut aufugere nequaquã conaturum, sed omnia constanti animo, quicquid Deus uoluerit, subiturum atque passurum. Cumque è suo conclaui exijsset, inque cauedium seu plateam interioris arcis uenisset, omnes iam ibi milites, equites & pedites in procinctu stabant, eumque loricis, galeis, & clypeis tecti, euaginatis etiam gladijs, parato præsentique animo expectabant, & ubi arcem incendio, quod restingui amplius nulla ratione poterat, conflagrare penitus uidissent, nec longius in ea propter uim ignis & fumum morari se posse animaduertissent, cœpit ipse Dominus Comes in hanc propè sententiam, ut omnes eum exaudire & percipere facilè possent, in platea arcis loqui. Mei fratres & strenui milites, nunc re ipsa & ante oculos simul cernimus omnes: qua ratione nos Deus igne hodie puniat, igne nos hostes nostri superant & uincunt. Nec tantum eorum nobis potentia & copiæ nocerent, quantum ignis & incendium damni dat, nosque pessum dat. Nihilominus tamen hanc pœnam à Deo Opt. Max. immissam, patienti gratoque animo perferre nos decet: hac enim, non solum ob nostra nos peccata, sed etiam ob prouintiæ huius flagitia punire uoluit. Quapropter, ignorare uos minimè arbitror, quo pacto antea fidem meam uobis dederim, uosque mihi uicissim sanctè & Deo interposito teste, per iusiurandum promiseritis: Nos hic una simul uicturos & morituros esse. Et quidem ad hoc usque tempus (Deo sint gratiæ) nihil mali commissum, nec ulla inter nos proditio depræhensa est: Quod & nunc nulla penitus ratione accidere debet. Iam cuncti in præsentia uidemus, quod hoc in loco longius moram protrahere & perseuerare, etsi uellemus non possumus. Idque tribus de causis, quarum prima est, quod hic flammis & incendio consumimur: altera, quod nostrum admodum pauci sunt: tertia, quod commeatu caremus, uobisque infantes & mulieres fame sitique pereunt. Quapropter, quod igne hic conflagrare uolumus? Sinitote, exeamus foras in exteriorem arcem strenui milites, mediumque digitum hostibus ostendamus, & cum eo fortiter manus conferamus, ut post interitum & mortem quisque nostrûm famam sibi & gloriam comparet sempiternam, qui occubuerit, æuum cum Deo sine omni dubio aget: cui uerò usura uitæ longius concessa fuerit, in eaque superstes manserit, is summis laudibus nunquam non celebrabitur. Atque hac de causa, ego omnium primus esse uolo, uos primo foras præcedere. Et quod ego facturus sum, hoc idem & uos facite. Certo mihi credite fratres dilecti, me uos ad rogum usque non esse derelicturum. Post hæc ter IESVS exclamat, atque Cæs. Mai. uexillũ ipsi Laurentio Iuranitsch, ut id sibi præferat, tradit, portasque arcis aperire iubet. In ipsa aũt porta machina bellica, quæ mortariũ uulgo uocari cõsueuit, ferro in frustra dissecto referta iaciebat, quæ

bat,quæ in Turcas paulo antè displosa atq; emissa fuerat, unde sub ipso fumo Comes Serinus nudo gladio & exigua parma foras progreditur, ipsum Iuranitsch cum signo præcedebat,reliqui porrò milites equites & pedites quicq; ad huc supererant,omnes insequebantur,ibiq; in ipso ponte cum Turcis cōflixerant.Eo in loco Ianitschari D. Nicolaum Comitem Serinū tribus in locis globo percusserūt,ubi etiam ex eo ictu,quem capite excepit,prolapsus in terram concidit. Quo facto,Turcæ confestim ter Halla, id est Deus exclamabant, Nostri autem retro in arcem interiorem profugiebant, cumq; ipsos Turcæ uehementer insequerentur, ipsisq; ingenti furore incumberent, unà cum nostris in arcem summa ui & impetu irruunt atq; feruntur. Iam murus interior & ipsa mœnia Turcis undiquaque plena existebant, unde nostros desuper ruderibus & lignis adusq; internecionem feriunt,& acriter cum nostris militibus pugnant. Hos omnes exceptis his, quos aliqui galeris & pileis Turcicis tectos, autricis opertos,& ueluti personatos abducebant, interfecerunt.Infantes autem & mulieres omnes uiuas seruarunt,captiuasq; secum traxerunt. Hoc autem pleriq; omnes Ianitschari,eorumq; maior pars quàm reliquarum Turcarum fecerunt, cumq; captiuum alicui eripere non potuissent,eum ipsi ui & ignominiose pręmanibus dissecarunt.Eo arcis in loco, nostrorum Turcarumq; cadaueribus ita referta erant omnia,ut aliter quis,quàm per funera mortuorū ire,eaq; calcare & premere arcem ingrediens,aut in ea ambulare uolens, non quiuerit. Tanta etiam in ipsis mœnibus interioris arcis cæsorum interfectorumq; hominū copia passim iacebat,ut sanguinem quis ibi & cruorem haud difficile haurire potuerit.Eductis igitur ex arce omnibus Christianis & Turcis,iam utrasq; arces maiorem & minorem unà cum domibus,mœnibus,plateisq; tenentibus,ignis seu incendium,ad puluerem nitratum,qui in quadam turri interioris arcis,fornici propè terram inclusus erat,peruenit,ueteresq; domos quæ interiorem arcem continebantur à fundamentis euertit atq; disiecit. Eo grassante incendio,quam plurimi Turcæ cemento & puluere interfecti desyderabantur. Et quemadmodum ipsi Turcæ afferunt,eo saltem in loco Turcarum plus minus tria millia partim incendio absumpti, partim ruinis ædificiorum ac lapidibus & tegulis, perierunt. Nam huius cladis causa & calamitatis per totum exercitum summus clamor insignisq; lamentatio peruagata est. Lugebat quippe extinctum suum patrem quidam, alius filij interitum deplorabat,tertius ob fratris mortem uociferabatur. Ea die Ianitscharorum Capitaneus Domino Comiti Serino iam mortuo caput amputari, idq; ad Turcarum Cæsarem perferri iussit. Cæterùm supremus Turcici Imperatoris Mechmet Bassa cum aliquot Visiris tanta calliditate usus est,ut neq; ex inferioribus Bassis aut Vvegis quisquam,neq; Ianitscharij alijsq; milites Solymanni Imperatoris sui mortem, quarta adhuc Septembris post prandium circa horam primam,in loco Siclihouo dicto,quarta parte milliaris à Sigetho distantis,prope uineas Sigethanas extincti: nisi expugnata iam arce Sigetht, & cōmmonefacto hac de re prius per literas Selino Solymanni filio, cognoscere potuerint. Atque ne palàm omnino fieret,alijsq; innotesceret, idem Mechmet Bassa, Doctorem,qui Cæsaris curam egit, nocturno tempore, ne mortem ipsius diuulgaret,clàm trucidauit.Interea etiam mortuo Cæsare per singulos dies clangere,tubis & alijs Musicis instrumentis personare,cibos coquere & apponere,tanquam si Cæsar in uiuis esset,iubebat. Post mortem autem Solymanni statim ingens malum euenit & uehemens tempestas ualidissimusq; uentus exortus est,qui omnia Turcarum Imperatoris tētoria disiecit, & ea,quasi alio secum rapere uellet,euertit. Idem per reliqua omnia Turcarum castra & ad Mechmet Bassæ Sokolouitschij papileones flando progressus,omnem paleam & fœnum quod in castris alicubi reperit, abstulit,secumq;

caput. Eodem ferè tempore mirum quiddam accidit. Nam Danubius inferius propè Tulnā ita turbidus, & arena lutoq; mixtus conspiciebatur, ut tridui spatio purgari, & lucidus reddi, nec (ut ipsi Turcæ & Tulnani ciues referunt) ullus eius usus uel ad coquendum, lauandum, aut bibendum esse potuerit.

Octaua Septemb. die Solis, Mariæ Virgini sacra, caput Comitis Serini inter alia Sigethanorum iam interfectorum multum capita, palo nō tam longè à terra affigitur, & iactu unius lapidis ab Imperatoris tentorio collocatur. Circa etiam undiqueq; signa seu uexilla Sigethana transuersim cuspidibus in terram defixis stabant. Sic ea tota die caput Comitis Serini in illa platea palo affixum conspiciebatur. Nec enim Turcæ unquam conquieuerunt, sed sine intermissione caput illud sæpedictum Comitis Serini, & reliqua Sigethanorum militum, quæ in unum aceruum comportata congestaq; erant capita, spectatū contemplatumq; uenerunt. Singulis etiam Turcis, qui Sigethani militis caput ad Cæsaris uel illius loco Mechmet Bassæ tentorium attulissent, decē aurei nummi seu ducati numerabantur.

Septemb. die nona, Lunæ, summo mane Mechmet Bassa Sokolouitschius Cæsaris gener & supremus Consiliarius, Domini Comitis Serini caput Budā seu Salinū fratri suo Mustafæ Sokolouitschio Budensi Bassæ mittit, quod cum accepisset serico statim inuoluit, subtiliq; lintheo tegit, & per duos rusticos Taurinum, quod ab aliquibus etiam Bregetum dicitur, in castra nostri Imperatoris ablegat. Inde porro per Balthasarum Batschani multis cū lachrymis summoq; mœrore Tschacaturnum delatum, ibiq; monasterio D. Helenæ, in fornice seu Mausoleo, quo Catharina prima ipsius uxor de Frankenpanibus felicis memoria cum filia & duobus filijs inclusa quiescit tandem sepultum, terræq; mandatum est: Cuius animæ DEVS Opt. Max. in regno cœlorum æternam quietem largiri dignetur.

EPITAPHIVM ASSCRIPTVM SEpulturæ in Tschakaturn, eiusdem Illustriss. Comitis Nicolai Zrinij, &c.

Illustrißimo Comiti NICOLAO ZRINIO Torquati ex sorore nepoti, à CAROLO V. post Viennam obsidione solutam, quod in ea adolescens adhuc & Tyro, multa & præclara confecisset, equo auroq; donato: ad Budam & Peschtum pulchra per facinora summa cum laude probato: Croatiæ, Dalmatiæ & Sclauoniæ Bannato, Tauernicorumq; Regalium in Pannonia Magisterio singulari cum prudentia functo: copijs Cæsaris ad dextrum Danubij latus à FERDINANDO primo, & MAXIMILIANO secundo Imperatoribus Præfecto: Victis sæpißimè, fugatis, cœptis, cæsisq; hostibus: Infaustißima postremum funestißimaq; Sigethi expugnatione, cuius arcem contra innumerabilem Solymanni Turcarum Principis exercitum, facta eorum ingenti & memorabili strage, diutius quàm uiribus par fuerat defendit, defuncto ibidem Solymanno, totius orbis flagello, pulcherrimè absumpto, bellicæ gloriæ fortißimo, inuictißimoq; duci, de se publiceq; B. M. P. P.

Vixit annos quadraginta octo, occubuit septimo Septembris, Anno Virginei partus 1566.

ALIVD.

ALIVD.

Hostibus ut uidit diris & cedere fatis
Credita uirtuti mœnia celsa suæ.
Seruatæ à me olim, nunc me seruabitis, inquit
Arces, & pugnans ZRINIVS *occubuit.*
I modo, te iacta quantumuis Roma: Lyburnis
Et sunt quæ mortem pectora despiciunt.

IN EIVSDEM ILLVSTRISS. Comitis Nicolai Zrinij &c. Epicedion Pauli Fabricij Cæs. Mathem. Med. Doct. & ordinarij in Archigymnasio Viennensi Professoris.

Pro patria charam uirtus effundere uitam
Tēpore (cū trucibus premeretur ab hostib.) ullo
Si fuit (sit certè semper fuit) ullius unquam
Inclyta nōn poterit pietas, non inclyta uirtus
Præferri tibi ZERINIAE *Comes inclyte gentes.*
Tantus amor patriæ, fidei tibi tanta Cupido
Præstandæ, tibi tantus erat profligere Turcas
Ardor, ut hunc sola satiares inclyte uita.
Nam neq; mouerunt te uisq; minæq; precesq;
Vrgentis uariè frangentisq; omnia Turcæ
Nec promissa salus, nec desperata salutis
Commoda mouerunt animum, cum cuncta teneret
Eripere & uitam quæ sola superfuit hostis
Debebat ferus ille tuo trux ille potiri
Corpore si uellet tandem. Quæ gloria talem?
Quantus honorq; tuā sequitur Comes inclyte mor-
Virtutis solidæ studium, patriæq; salutis (tem?
Cura tibi mortem, laudem simul illa perennem
Et talem peperit, quali te uincere nullus
Vllius historiæ uictor queat, aspice fastos
Actaq; Romani populi, tibi Curtius istbic
Forsitan est similis facto, sed causa prior est
Fert tua, si sacros reputabimus ordine libros
Forte Machabæo laus est communis Iudæ
Et simili facto tecum: sed quicquid & hoc est
Obticeo, dum quæ restat possessio uitæ
In Christo æternæ tibi debita redditur, Ergò
Hic tua fama tuo summam cum nomine laudem
Promerita est, memoriq; etiā nunquā excidet æuo.
Diceris pius esse Comes, fortißimus Heros,
Non tantum patriæ defensor, & inclytus armis
Miles, magnanimus tutor sed totius orbis
Christiadum. Cœlo tandem fulgente receptus
Heroas inter qui sanguine posteritati
Consulêre suo, quibus est seruare decorum
Sic patriam uisum, caperet ne mœnia turpi
Deditione ferox hostis, qui ruperet omne
Fasq; piumq; bonis cum moribus omne fugaret,
Heroas inter tales Comes inclyte uiuis.
Funestas qui Turcæ acies atq; arma furentis
Sæpè repreßisti aut uicisti, sæpè fugasti.

EPITAPHIVM.

Zeriniæ gentis Comes hic iacet inclytus ille
Pro patria uitam, qui dedit ipse suam.

ALIVD M. CASPARI SITNIR Labacens. Ethices in eodem Archigymnasio Professoris ordinarij.

Qui Machometigenas pulsauit sæpius hostes,
Sæpius & uictis hostibus ibat ouans:
Pro templis, cultuq; pio, pro pace fideq;
Arma ferens Scythicos depopulatus agros
Insignem proprio peperit qui sanguine famam
Fama sequuturis uix imitanda uiris:
Hac nimis angusta ZRINVS *tellure quiescit*
Qui pater armorum præsidiumq; fuit.
Magnanimū merito monstrāt tot ab hoste triumphi
Testantur fidum mors, modus, urna, locus.
Terra Lyburna gemit, dolet Austria, luget adem-
ipsum Europeæ nobile clima plagæ. (ptum

NVMERVS TVRCARVM INTERFECTORVM.

PEriêre autem sub Sigetho (ut Ianitscharorum Capitaneus Budensis ex castris Sigethanis Budam uersus iter faciens in urbe Tulnia retulit) Turcicorum equitum octodecim millia, Ianitscharorum septena millia, quæ omnia computata uiginti quinq; millia efficiunt. Hi saltèm libris inscripti continentur exceptis reliquis leuibus & nullius momenti hominibus, & ijs quorum numerus scripto non est comprehensus. Ex primatibus autē & summi nominis Turcis occubuerunt Miserskius, Bassa Alportuk, Bassa Capitschius, id est, Cæsaris supremus cubicularius, & Bassa Hasnadar, hoc est, Cæsaris Camerarius, seu ærarij & rei nummariæ præfectus. Ex Capitaneis autē, quos Vvegos nominant, plurimi interfecti sunt, quorum certus numerus ignoratur. Eos enim floccipendunt uiliq; æstimant, dicentes, isti tantum sunt Cæsaris serui & captiui. Hoc uerò certò credendum est insignem ibi Turcarum copiam interijsse: dici namq; uix potest, quàm multi asidiuis ictibus Sigethanorum tormentorum cecide-

derint atque in expugnatione trucidati sint. Adhæc infinita cadauera passim in ipsis fossis occisa iacebant, ut inde in arcem usque grauissimus fœtor teterrimusq́ odor dimanauerit.

HIERONYMVS VVOLFIVS COMITI Serino atq; præsidio Sigetcio, Anno 1566.

INuicti heroes, memorandi laude perenni:
Ab ualuisse nihil uota precesq; meas?
Scilicet hoc nostrum scelus & dementia fecit,
Vestra quidem uirtus inuiolata manet.
Corpora fessa iacent: sed fortia corda triumphant:
Nullaq; de uobis Turca trophæa tulit.
Vestra fides non fracta minis, non fracta furore
Hostis ad extremum perstitit usq; diem.
Mortali de stirpe satos cecidisse dolemus.
Sic tamen est ingens occubuisse decus.
At nos Christicolæ uel inani tempora luxu
Perdimus: & paucos, publica damna mouent:
Vel malè ciuili maculamus sanguine dextras
Sanguine Threicio quas rubuisse decet.
Fatalis stupor & furor impia pectora uersat:
Vota licet maneant, spes tamen ægra fugit.

Idem, Præsidio Iulæo.

Hei miseri, qui nos decepit perfidus hostis?
Seruat cum libuit, quam dedit ille fidem.
Bis miseri, quod degeneres cecidistis multi
More boum: nec uos lausúe decusúe manent.
Præstiterat seruasse fidem uitaq; profusa
Sanguine Threicio triste rigasse solum.
At uos Christicolæ memores ne fidite Turcis:
Cedere certa salus, cedere nulla fides.
Mors & in ignauos torquet sua spicula: fortes
Pro patria & uera relligione cadunt.
Non obitus fraudi, sed erit uictoria laudi:
Non Deus hanc nobis, crimina nostra negant.

Idem, In Germaniæ stuporem.

Iam tua res agitur: paries tuus ardet: ab alto
Culmine tota domus collabefacta ruit.
Sigetium perijt: non Iulia castra supersunt:
Extremum metuit mœsta Vienna diem.
Pannonias non esse uides tua mœnia? Turcus
His ruptis, in te Marte furente ruet.
Ardebunt uillæ: succumbent oppida: ferro
Turba cadet diris excruciata modis.
Eripientur opes, libertas, iura: LIBIDO
VICTORIS *sæui iura cruenta dabit.*
Corporis hæc mala sunt & in omnem posteritatē
A semel exorto fonte perennè ruunt.
Sæua quidem, sed fine suo claudenda. Quid istud
Captiuas mentes quòd ferus hostis habet?
Dira salutifero dicit conuicia Christo:
Hunc etiam pubes nescia sæpè negat.
Sæpè senex & anus melioris mentis egentes,
Proh scelus, hoc spreto, te Mahomete, colunt.
Vulgus iners quid enim nisi quæ præsentia, curat?
Arbitrio Domini se putat esse pium.
Non spectas coelos, nisi cum mors atra fenestras
Intrat: & in fouea sus lutulente iaces
Hæc tu non cernis? non curas plumbea? nummis
Dum parcis, uitam prodis iniqua tuam?
Indulges odijs in fratrem: negligis hostem:
Quo nil terra magis, nil mare, triste tulit.
Num tibi Relligio curæ? quis credere possit?
Quæ rixas nulla relligione mouet.
Colatrix culicis, gibbosi terga Cameli
Deglutis: rectum quodlibet, esse putas.
Omnia præceptis facimus contraria Christi:
Ignorant Christum pectora, lingua sonat.
Sed non ignorat nostra impia pectora Christus
Ille dari toties non sibi uerba sinet.
Quid dicam uates infelix? talia Musæ
Carmina non dictant, fata sed atra cient.
Imperij nam cum perituri terminus instat:
Approperantq; truci fata seuera gradu:
Immeritas ne fortè putes excindere gentes
Ardua uel frustra uertere regna Iouem:
Non Deus exitijs non diro fulmine gaudet:
Incolumes potius quoslibet esse cupit.
Namq; bonos firmo semper munimine cingit:
Et uetat hostili clade perire pios.
Ast ubi negligitur pietas, calcatur honestum:
Crimine, cum uitium supplicioq; caret:
Tum DEVS *infesto disturbat perdita uultu*
Regna, nec hæc patitur stare superba diu:
Ille sed ex imo quatiens fundamine terræ:
Fulminea incendit præcipitatq; manu.
Integra staret adhuc (heu iam palus atra) Gomorra
Ni foret incestis mersa libidinibus.
Staret adhuc Constantini pia regia: tantas
Ni regnum discors dilacerasset opes.
Et tu stare queas GERMANIA: *cura salutis*
Si tibi tanta foret, quanta pericla uides.
Si tibi priuatis potior sit publica rebus
Cura, simul pereunt quos uehit una ratis:
Seruanturq; simul qui commoda publica spectant,
Publica priuatis qui sapit, anteferet.
At si desipies GERMANIA. *Plura uolentem*
Destituit calamus, scribere, lingua, loqui.

FINIS.

HISTORICA DESCRIPTIO SVSCEPTÆ A' CÆSAREA MAIESTATE EXECVTIONIS CONTRA S. ROM. IMPERII rebelles, eorumque Receptatorem: & captæ urbis Gothæ, soloque æquati castri Grimmenstein, Anno Domini 1567. 13. Aprilis.



ANNO salutis nostræ millesimo quingentesimo & sexagesimo septimo, Germania bellum habuit, susceptũ decreto, & gestum sumptibus communibus omnium ordinum Imperij, aduersus Grumbachianæ coniurationis Duces, ac horum Receptatores, Duce Illustrissimo Principe Electore Saxoniæ Augusto. Huic enim sententiæ in proscriptos promulgatæ executio, ac tota belli summa ab Imperatore ac cæteris ordinibus uno consensu demandata fuit. Causæ belli & occasiones sic se habent: Guilhelmus Grumbachius, ex nobili quidem stirpe in Orientali Francia natus, sed à uera generosi animi nobilitate alienus, & factiosis consilijs ac molitionibus à prima ætate magis, quàm uirtutum studijs deditus, atque ab his celebris, Vasallus erat Antistitum Vvürceburgensium: Sed ab his, ad Albertum Marchionem Brandeburgensem sese contulit. Cui adolescenti incitato aduersus patruum optimum Principem Georgium Marchionem, consiliorum minimè felicium aut salutareum autorem, & ad pessima quæque, atque ipsi tandem, & familię perniciosa, magistrum & incitatorem sese præbuit. Aliquanto post eundem sumptibus impensis in bella Caroli v. Imperatoris & immodicis alijs profusionibus exhaustum, ac egestate per sese inhiantem uicinorum Antistitum terris & opibus, cùm ad bellum illis inferendum impelleret, idque iam morum, ut Architectus arcanorum consiliorum pręcipuus, magno studio & artibus ac technis mirabilibus instrueret, ac foueret, Vvürceburgensis Feudum illi ademit, quo tamen semetipsum spoliauit uiolatione fidei ac iurisiurandi erga Dominum Feudi. Hac de re Marchione Alberto tandem omni sua ditione exuto, & in exilio mortuo, Antistiti Melchiori è gente Zobela litem ille audacter mouet, & tanquàm nil meritus tale, nec ullius culpæ reus, conatur euincere, sibi huius quicquid fecisset, id facere licuisse integro & incolumi iuramento: propterea, quòd quamprimum offensio nata inter Antistitem Frãcium & Marchionem Albertum, in dissidium primùm, mox in bellum erupisset, ex pacto inter hos conuenisset, Vasallis utrinque militantibus fraudi nõ fore, si pro ijs, quibus seruirent Dominis, arma ferrent cõtra feudi dominos. Quod ipsum tamen per se quidem uerò minimè consentaneum, nullis deinceps documentis comprobare Grumbachius potuit. Re igitur aliter comperta, cùm non statim, nec ita ut uellet, sua reciperet, Antistitem per subornatos sicarios ex urbe Vvürceburgo in arcem per Mœni pontem ascensurum, aliquot sclopetorum ictibus insidiosè interficit. Sicarij euadunt, nec tunc agniti sunt, quòd parricidium uelatis faciebus perpetrassent. Non longo tamen temporis interuallo post, in Lotharingia capitur ex sicarijs unus Christophorus Krecerus, qui seu metu Grumbachij, cui multos annos seruiuerat: seu ex occultis alijs obligationibus erga Grumbachium: seu tribuens hoc beneficijs ab eo acceptis, se authorem parricidij professus, cùm in itinere frequentibus suspirijs ac gemitibus dominum accusasset, uitam sibi ipsi noctu laqueo finiuit: Quòd, ut existima-

tum fuit, tormentorum cruciatus reformidaret & supplicium: uel quòd antè uertere abrupta uita cuperet quæstiones in dominum, ad quas seruari ac duci se non ignorabat.

Succedit Zobelo alius ex Vvirzburgiorum familia: huic litem renouat Grumbachius. Res agitur uelitationibus scriptionum. Antistites ex archiuis bellis tempore interceptis proferunt ac detegũt artes & machinationes Grumbachij. His, etsi Apologias opponit, refertas non tàm refutationibus eorum quæ obijciebantur, quàm anticategorijs: tamen ut erat uir ingenio astuto ac uafro, timidoq; & crudeli, his non confidens, sed alijs præsidijs opus fore cernens, animos Nobilitatis Germanicæ occupat, quærelis atrocibus ac speciose ad fallendos imperitos exaggeratis de iniuria, qua per uim innocens ipse afficiatur ab Antistite Vvürceburgensi, à quo excluderetur auitis possessionibus, nullo suo merito, ut præ se ferebat, per fas nefasq;. Contra hanc si Antistitis Tyrannidem non defendatur, ostendit exemplum nociturum Nobilitati uniuersæ. Impunè enim deinceps Principes ausuros esse quæuis in subiectos ipsis homines: Nobiles, quocunque iuris prætextu, & hos in turpem seruitutem redactos, ceu mancipia rustica oppressuros. Simul autem latebras quærit ac receptus, ubi tutò uersetur, conflataq; occultè coniuratione minime contemnenda, sese & armat munitq; in præsens, & si foret opus, ad rem bello etiam deinceps decernendam instruit. Ex ordine equestri igitur, non exiguum sociorum numerum comparat. Inter hos fuere plerique qui Marchionem Albertum infelicibus latrocinijs Germaniam peruastantem secuti, ea occasione in notitiam & familiaritatem Grumbachij peruenerunt. Ac præcipui quidem, Guilhelmus Steinius, eiusdem apud Antistitem Vvürceburgensem criminis reus, ex eadem causa, Albertus Rosebergius, Ernestus Mandeslauius Saxo, Iodocus Zebicius, & plures alij.

Sed quoàd intelligeret nobilitatem solam nec authoritate, nec uiribus, nec opibus tantæ rei parem futuram, si potentiores Principes aduersarentur: nec protinus omnes ex hoc ordine hęc consilia probaturos atq; à suis Principibus discessuros esse: Deniq; si quid à nonnullis, non uniuersis moueretur, conatus seditionis speciem esse habituros: Idcirco re deliberata dat operam ut ad præsidium Nobilitatis, adiungat patrocinium Principum, gratia, authoritate, affinitatibus potentum. Præfert autem cæteris, Duces Saxoniæ fratres, Ioannem Fridericum secundum, & Ioannem Guilhelmũ, Ioannis Friderici Electoris olim filios, tanquàm proximos uicinos, & suo iudicio huic telæ, quam instituebat pertexendæ accommodatissimos. Eos enim ex collectis adeptisq; per parentem studijs hominum, norat gratia ualere apud promiscuam multitudinem, augente fauorem commiseratione ex memoria cladis perpessæ in bello Germanico, titulo defensæ Religionis. Apud hos ita sese insinuat, ut alterum natu maximum Ioannem Fridericum de suę causæ bonitate persuasum, & maximis fiducijs impletum, gloriosoq; titulo Parentis, Patroni, Protectoris ac Vindicis Nobilitatis Germanicæ infatuatum, facilè sibi deuinxerit: Alterum Ioannem Guilhelmum, quanquàm sæpè ac mirificè tentatum, circumuenire tamen, atq; in suas pertrahere partes nequiuerit. Qua eum de causa Grumbachius cùm non posset non odisse ac metuere, quin uicissim inflammaret fratrem odio illius, & ad minitanda ei ac struenda extrema omnia impelleret, cõtinere se non potuit. Sed Ioannem Fridericum, ut postea res docuit, constat sua uoluntate deceptum esse, uel ijs potius persuasionibus delusum, quas ex promissis amplissimis Grumbachij conceperat immensas, fore scilicet, ut rebus motis restitueretur ipse in paternas & auitas hereditates uniuersas, Electore Saxonię Augusto, uel per sicarios sublato, uel si hac non succederet, per concitatam tota Germania suæ causæ prætextu Nobilitatem, excusso.

Nactus

Nactus igitur Grumbachius patronum,nō tam opibus,quàm factiosorum magna ex parte hominum studijs potentem,nidumq́ oportunum ad quæuis facinora patranda,& fretus Nobilitatis erga se affectione ac promissis, quod scriptionibus partis aduersæ ualde prægrauari sese animaduerteret, ac uideret causæ suæ cognitionem uel lentius idcirco processuram esse, uel tandem exitum habituram alium,quàm sperauerat,decurrit ad alia consilia,suo more fraudi,si finem suum consequeretur,uiolentiam miscens.Semetipsum ergo suę causæ iudicem facit, ac congregatis clam miro astu seditiosæ coniurationis socijs circiter octingentis,solo in loco ea in parte Orientalis Francię,quam Eisfeldiū nominant,ad Vvürceburgum hoc comitatu nocte,maxima festinatione accedit, effractisq́ sub horam tertiam matutinam portis,urbem nihil tale somniantem ingreditur:capit, diripit, Canonicis qui adfuerunt extorquet transactionem diu pręmeditatam atq́ quęsitam,imponit ijsdē cum iuramento ἀμνηστίαν perpetuam parricidij perpetrati, adimens omnem inquirendi de authoribus potestatem:recipit sua uniuersa,& promissum exprimit singrapha sancitum, de grangi pecunia constitutis uicibus soluenda. Hoc peracto facinore, in nidum reuolat suum. Imperator Ferdinandus atrocitate facti grauiter offensus, mandat ut in iudicio publico Camerę, ob usurpatam seditioso conatu in priuata causa incompertam hactenus uiolentiam,reus peragatur uiolatę,nō tantùm fidei erga dominum Feudi insidiosè circumuentum, sed & pacis publicę in Imperio contra leges,pessimo ac perniciosissimo ad omnem posteritatem exemplo.Reum cognitum ac declaratum condemnat ac proscribit,simulq́ue eos omnes,qui hęc perpetrantem adiuuarunt. Non magnifaciunt proscriptionem coniurati,fiducia sui receptus:sed factum excusant,ita tamen, ut non in uindicta se peccasse,sed modum excessisse in uindicando agnoscant, ac culpam hac in parte deprecentur: Transactiones autem ui extortas,uelint ratas esse ac firmas. Fouet,tuetur & excusat eos multò magis ipse Ioannes Fridericus Saxonię Dux,ac ne quid huius à se in contemptum Imperatorię Maiestatis quisquam fieri suspicetur, prętextum comminiscitur minimè probabilem, cur refugia eis prębeat:Nimirum ut plura conatutos reprimat atq́ coherceat. Postulatur interea & ab Electore Saxoniæ,ne Grumbachianę causæ deesse uelit:qui cùm se parricidijs & seditiosis latrocinijs nunquàm patrocinaturū ostenderet, occasionem illis primam præbuit,odia iam olim concepta, sed pressa ac dissimulata hactenus,effundend'. Nec petitum id fuit, quod tale aliquid ab eo expectaretur,sed quòd prætextu insidijs quæreretur. Sapiens Imperator quò hæc spectent,minimè ignorans,perstat in sententia, & indicto conuentu mandat Principibus Imperij,Anno quarto & sexagesimo.ut Vuormatię per legatos consultent,cùm de alijs Imperij negotijs, tùm uerò & de pace publica maiore cura firmanda ac munienda. In eo conuentu decretum fit,de alendo in Germania præsidio equitum mille quingentorum. Horum mille Duci Saxoniæ Electori Augusto,quingenti Duci Iuliacensi attribuūtur,ea lege atq́ conditione,ut sint ceu custodes pacis publicæ in utraq́ Germania, & si quid commoueatur à Grumbachianæ conspirationis socijs, mox inter initia exoriendi incendio ut occurrant, idq́ priusquàm sese diffundat,restringuant. Moritur interea Ferdinandus:succedit filius Maximilianus. Huic causam commendat Vvürceburgensis,flagitans executionem publicatæ à parente sententiæ in hostes suos ac parricidas.

Ab eo tempore Grumbachiani nusquàm satis tuti Gothæ apud Ducem Saxoniæ Ioannem Fridericum sese continent. Conueniunt ibidem crebrius & quidem magno numero socij coniurationis. Conferunt consilia,acuunt odia in Electorem Saxoniæ multis incitationibus,tanquàm is ille sit, qui solus obstet & prohibeat,ne impetret Grumbachius quæ postulat, neúe quæ molitur

 perficiat

perficiat: denicp qui solus nobilitati, eiusćp libertati aduersetur, & grauis sit atque intollerabilis. Nullo enim alio speciosiore commento Nobilitas decipi, & his factionibus implicari poterat. Nec talia occultè sparguntur, sed palam uagantur per ora hominum. Inuitantur ad societatem plurea alij: conciliantur Principi Ioanni Friderico quicunćp rei bellicæ periti, & à clientelis equitum ac peditum instructi habebantur: Conducitur horum opera magnis stipendijs: confluunt inter hos & alij latrocinijs assueti ac dediti: admittuntur, imò cupidè excipiuntur, quibus propter æs alienum, perpetrata latrocinia, & similia scelera, locus aut receptus sub Electore Saxoniæ non conceditur: infestantur inde & terræ Electoris Saxoniæ & uiæ publicæ latrocinijs, ab ijs, quos dulcedo prędæ Vvürceburgensis inescarat, & eæ quidem maximè, quę terras Electoris Saxoniæ attingunt. Ostenditur multis in rebus animus erga hunc planè hostilis: molitiones tamen occultantur. Elector Saxoniæ contra dissimulatis initiò iniurijs, ignarus etiam insidiarum, quibus uitam suam & iugulum peti deinceps cognouit, hortatur, orat, obtestatur patruelem, Ducem factionis seditiosæ cū satellitio uniuerso à se ut dimittat, & sibi ipsi suisćp hac in re ut consulat: commemorat pericula, quæ proposita sint: reuocat in memoriam hæreditaria Ducum Saxonię pacta, quibus disertè cautum sit, hostes publicos aut priuatos, & ab Imperio proscriptos ne pars alterutra hospitio excipiat, aut defendat. Idem faciunt & alij Principes, atćp in primis solicitè & accuratè Fridericus Palatinus Elector ad Rhenum, & Philippus Landgrauius Hassię, socer uterćp Palatinus & de euentu uaticinatur, ni pareat, præsagiens id quod accidit. Et Electorem Saxoniæ Augustum cum Duce Ioanne Guilhelmo hac etiam de causa Lipsiæ conuenit, ut si offensum à genero reperiat, placet. Venerat autem in Thuringiam Palatinus, ut cōpositis dissidijs, quæ inter fratres Grumbachius alterius odio accenderat, & multos annos aluerat, sublatać diffidentia, quæ nata ex minis Ioannis Friderici, & clam structis insidijs, fraternam beneuolentiam ualde languefecerat, confirmata denićp partitione hæreditatis, quam diu Grumbachiana factio presso altero impediuerat, & nuper uix ęgrè Ioannes Guilhelmus obtinuerat, fratres generos inter sese reconciliaret.

Hæc dum hoc modo geruntur, appetit tempus primorū Comitiorum Maximiliani Imperatoris. In his, re in omnem partem accuratè pensitata, cunctis suffragijs renouatur sententia proscriptionis, extensaćp in Receptatores & auxiliatores, ad pœnam parem condemnatos, solenniter publicatur, proclamante eam Heroldo Imperij ex præscripto, post datum tubis signum & tympanis. Duci Electori uerò Saxonię Augusto demandatur ab Impetatore ac cęteris Ordinibus decreta in proscriptos & Receptatores, ni pareant, executio, & imperantur auxilia quatuor Germaniæ prouincijs, Thuringię uicinioribus, utrique Saxoniæ, superiori & inferiori, Franciæ Orientali & Vvestphalię. Fit & decretum, ut missa legatione iubeatur Ioannes Fridericus tradere proscriptos in manus Imperatoris, aut uinctos, ubi ille uelit, sistere. Id nisi faciat, in pari eū tanquam Receptatorem cum ipsis culpa & condemnatione indubitato futurum. Idćp denunciari ei palam ac disertè proscriptionis formula, quæ ex decreto Imperij antea promulgata fuit, contra proscriptos, & eorum Receptatores.

Priusquam ex Comitijs domum redijt Dux Elector Saxoniæ, comprehenditur non procul à Dresda ob furtum quidam natus prope Fribergum Misnię Ioannes Bœm. Hic Dresdam adductus ex sese sponte, non interrogatus, enunciat, conductum se esse à Grumbachio, ut Electorem incautius ac ferè sine satellitio uagantem in syluis, aut feras insectantem, globo traijciat, & ad eam cædem se sclopeto instructum esse. Idem post tormentis examinatus repetit. Capitur & alius grassator insignis, Erphordiensium hostis, Philippus Plasa, qui inter alia confitetur, sibi quoque à Grumbachio, si insidias, quæ parentur Electori,

ctori, adiuuare uellt, præmia proposita esse. Sed assentiri se noluisse. Nec dissimilia his testimonia alia deferuntur ad Electorē ab inclytis & nobilibus uiris, Guntero Comite Schuuartzeburgico, & Christophoro Zebicio, ex ore Grūbachij excepta. De his Elector Saxoniæ edocet patruelē Ioan. Fridericū amanter eum cōmonefaciens, & propinquæ necessitudinis & pactorum, conuentorūq; iureiurando non semel firmatorū, quibus expressè cauetur, ne refugia aut receptus ullus præbeat, aut ferat auxilia alterius hostibus, inimicis, obtrectatoribus, publicis grassatoribus, transfugis: Se hortari eū, ne retineat secum, quos ex indicijs cæterorū hominum didicerit, & suæ uitę, & suorum subditorū, aliorumq; qui cōmerciorum causa regiones suas adire ac frequentare consueuissent, fortunis & facultatibus insidiari. Ioannes Fridericus è diuerso, & Legatis ab Imperio missis corā ac scripto, & Electori Saxonię literis insolentius in eam sententiā respondet, ut de authoritate Imperatoris & Senatusconsulto publico detrahendo iteratam proscriptionē non obscurè damnet, tāquam in sui odium & oppressionē paucorum suorum inimicorū artibus extortā, & Grumbachiū atq; cōplices audacter excusando collaudandoq;, & ab omni culpa uindicando, suosq; fideles consiliarios uocando, Imperatorem inconstantiæ arguat, tanquam contraria ijs decernentē, quibus sibi per se & alios antea potestatem fecerit Grumbachianos retinendi: Electorem uerò Saxoniæ non obscurè amplius aut ambiguè, sed ex proposito, disertè & acerbè notet, & falsò atq; iniquè traducat. Intexuntur scripto Grumbachianæ epistolæ, obiectum de conductis & emissis sicarijs crimen diluentes, excusatione prorsus inter se discrepāte. Quod enim initio inficiatur imprudenter, & deriuat à se in alios, id ad extremum ita confitetur, priora prodens: ut nisi Elector desinat oppugnare ipsum, non defuturos minitetur, qui eum quoquo modo tollant.

Etsi aūt Ioan. Fridericus simulatè tandē præ se fert, se proscriptos dimissurū, perseuerat tamē in proposito, ac pertinaciter illis retentis, nihil nō conari pergit & moliri, cōfirmatus magis de ijs quas Grumbachius ostenderat pollicitationibus, belli Turcici apparatibus, & secutis deinceps cladib. ex Sigethi & Iuliæ expugnatione: Quo nuncio nihil illis lætius, nihil optabilius accidit. Eam tam obstinatā pertinaciam Ducis Ioan. Friderici, & Grumbachianorū molitiones tam perniciosas, cùm propinqui Principes in bellū certū erupturas, & Principi exitiū allaturas esse cernerent, redeunt ad priora consilia, instant & urgent apud Ioan. Fridericū monendo & obtestando, ut sententiæ Imperij parcat, nec sua sibi peruicacia temerè periculū creet & attrahat, quod sit multò maius sua opinione futurū. Non mouet̄ his Ioan. Fridericus, sed bellū manifestius moliri, cōparare ad urbē muniendam necessaria sollicitare ad coniurationis societatem Principes alios, & auxilia quęrere incipit, missoq; legato Schuuinfurtum, quod in Francis oppidū est Imperij liberū, Octobri mense, Nobilitatē Franciam, quæ conuenerat deliberatura de suppetijs ferendis Imp. aduersus Turcas: Hanc ergo instigat ut se duce Grumbachianæ causæ atq; coniurationis defensionē suscipiant, & cōmunis belli socij sint. Ea res & Imp. superbo atq; cōtumelioso responso prius exacerbatum grauius irritauit, & propinquis Principibus metū ac solicitudinē auxit. Nulli ergo operę, nullis sumptibus parcunt Elector Palatinus ad Rhenū, & Landgrauius Hassiæ, cūq; his Guilhelmus Iuliacensis auunculus. Iterū per legatos Duci Ioan. Friderico inculcāt, & obedientiā Imp. debitam, & pericula in ipsum redundatura si nō obtemperet. Offerunt se arbitros earū controuersiarū, quæ Electori Saxonię & Ioanni Friderico intercesserant. Elector Saxoniæ respōdet, nihil sibi pace gratius esse, nihil se quicquā armis ciuilibus peius abominari ac detestari, idq; se non obscurè ostendisse ac docuisse hactenus, demonstrat exēplis innumeris patientiæ penè nimiæ. Idcirco, ac nunc quidē sese suo loco pace publicę & cōcordiæ inter se & agnatū patruelem

lem defuturũ. Posse se arbitros illos ac disceptatores ferre priuatarũ controuer
siarum & iniuriarũ, quibus sit affectus multiplicibus à Ioanne Friderico, salua
tamen sua dignitate. Causam uerò proscriptioni anon suam esse priuatam, sed
Imperij publicam. Alter & tractationes & conditiones omnes insolenter recu-
sat. Imperator autem & quò tendant, & quorsum euasuræ sint hæ Ioannis Fri-
derici ac proscriptorum machinationes, ni maturè reprimãtur, prospiciens, nec
cunctandũ ratus, manifestè iam inclinatis animis multorũ ex ordine Equestri
ad seditionẽ, & res nouas ac motus nouos penè palàm spirantibus, Electorem
Saxoniæ mãdari dudũ ab Imperio accepti admonere, & impellere atq; urgere
nõ desinit, ut obsidionem Gothæ acceleret, festinatione & occultatione tanta,
quãta omnino fieri posit. Ostẽdit quantũ in mora periculi sit futurũ, si coactis,
quę cõcitare atq; excire nõ desinãt auxilijs, armari suas experiri molitiones in-
cipiãt. Destinat Electori Saxoniæ legatos seu Cõmissarios, Comitem Ottonẽ
Ebersteiniũ, Fabianum Schoneichiũ, & Christophorũ Carolouuitiũ, equites
auratos, quotũ consilio & authoritate Elector uteretur. Hoc publici magis q̃
priuati periculi respectu Elector Saxoniæ permotus, quãquam abhorreret ab
hoc bello propter patriã, propter cognati sanguinis iura, ꝑpter familiæ nomẽ,
& alias causas. Quod tamẽ detrectare authoritatem Imperij nõ liceret, seriò in
deliberationem de concludendis intra urbẽ & obsidendis cũ Receptatore suo
proscriptis incumbit. Ac rem omnẽ celeri arcanoq; cõsilio ad eum modũ insti-
tuit: media & aspera hyeme, ut ante urbẽ proscripti prius armatas acies conspe
xerint, et bellicorũ tormentorũ exaudierint fragores, q̃ hostiles apparatus som
niarint, securi nimis Imp. Vngarico bello distenti occupationibus, et cõtemptu
non Electoris tantùm Saxonię, sed & uniuersi Imperij Romani. Hac celeritate
obsessis facultas tutò elabendi, colligendiq; auxilia idonea ac sufficientia, & a-
lios cõcitandi, adempta fuit. Primæ in conspectũ urbis equitũ turmæ peditũq;
cohortes educuntur pridie Natalis Domini. Præmittitur ab Imp. quidem per
Caduceatorem denũciatio, qua subditi absoluti à iuramento Ioanni Friderico
præstito, iubẽt illo deserto agnoscere & sequi Ioan. Guilhelmum. Ab Electo-
re uerò Saxoniæ, tanq; designato belli Duce, cautio demandati officij rationẽ,
& parandi necessitatem in iusta ac legitima causa exponens. Sed quòd adhuc
pauciores numero essent equites & milites, quàm quot intercludendis itineri-
bus undiq;, cõmeatuiq; interuertendo, & auxiliaribus copijs arcendis satis es-
sent: factũ est, ut obsessi ex uicinis oppidis delectorũ ciuiũ multitudinem me-
diocrem, sed magna ex parte imbellem, intra urbem cõpulerint: ex direptis pa
gis uerò non exiguam rerũ fruendarum copiã in arcem importarint. Crescente
paulatim ad urbem exercitu, ex concursu militũ & accessionibus sociorum au
xiliorum, cùm bellum minimè ex sentẽtia Ducis absentis administraretur, nec
quicquam tãtis dignum copijs gereretur, plęrisq; in rapinas magis ac prædam
quàm obsidionem intentis, ipse eo proficiscitur Elector Saxoniæ, decimaquar
ta ab obsidione die. Et quod belli leges postulant, cum patruele Duce Ioanne
Guilhelmo, dispositis in ordinem, aciei forma, ac circumductis propinquo in-
teruallo copijs uniuersis, deditionum fieri flagitat, qua denegata, non multorũ
dierum spacio, mira arte ac festinatione, distributis operis, noctè dieq; instãs &
urgens, omnẽ circumcirca urbẽ & arcem fossis, aggeribus, & castellis circum-
dat, fossis atq; aggeribus tam propè ad urbẽ perductis, militeq; cõpletis, ut oc-
casio esset & facultas militi utriq;, obsidenti & obsesso inter se colloquẽdi. Nec
impediri hæ operę ullis quãtumuis in solitis displosorũ assiduè magno nume-
ro immaniũ tormentorũ fragoribus, emissorũq; globorũ ceu procellis poterãt.
Dum hæc opera ad urbẽ parantur, à nocturnis excubijs dejciuntur internun-
cij ex arce missi cum literis & auro signato ad Ernestũ Mandeslauium, Aureo-
rum erant quater mille pondere Rhenanis leuiores, auro pares, notati insigni-
bus

bus Electoralibus decussatim secantium sese binorū gladiorum, & inscriptione uendicante dignitatē Electoralem Ioanni Friderico à natalibus. Literæ characteribus exaratæ erant inusitatis. Hi agniti & arcanas obsessorum machinationes, & magistros equitum, militumq́ tribunos, socios atq; complices cõiurationis omnes patefaciunt, quorum multi sui purgandi causa, ad Electorē Saxoniæ & legatos Imperatoris literas scribunt. Nonnulli in castra deinceps ueniunt, aliqui malè sibi conscij fuga salutem quærunt. Paulò pòst diuersis, dignisq́ fide indicibus planè cognoscitur, Receptatori & proscriptis constitutum fuisse sub initium Veris equitū cogere millia octo, peditū legiones quatuor, duabus diuersis in partibus Germaniæ, in Vuestphalia ad Rhenum usq;, & in Marchia ac finitima huic Pomeraniā.

Vuestphalicis id negocij datum esse, ut per Episcoporum ditiones ad Rhenum, impetu in Franconiā facto in hac quæ Antistitū sint, ac deinceps in Thuringia quæ Electoris Saxoniæ sint, ut subigerēt ac depopularentur, urbea Malhusium, Northusium & Erphordiam grandi pecunia ut mulctarent: Erphordienses omnibus extra urbē fundis, prædijs, pagis & oppidis ut exuerent: Marchicis uerò & Pomeranicis, ut oppresso Electore Saxoniæ, occupataq́ ac direpta passim ditione, munitiores urbes, seu ui, seu deditione caperent. His perfectis crearetur Princeps Ioan. Fridericus ad Vuitebergam Elector Saxoniæ, & ubi coijssent exercitus ambo, idē salutaretur exemplo Romano ueteri ab uniuerso milite Romanus Imperator: Redigerentur in ordinē Principes cæteri: tollerentur sese submittere recusantes: Equestris ordo subtractus Imperio Principum, assereretur in libertatem, & soli subijceretur Imperatori: Noua institueretur forma Imperij. Comprobarunt hæc deinceps archiua à deditione in arce reperta, & indicijs atque confessionibus Principis Ioannis Friderici, Grumbachij, & cæterorum patefacta consilia. In literis uerò interceptis hæc uerba inerant: Imperatorem Maximilianum publicatione renouatæ proscriptionis uiolasse fidem ac religionem iurisiurandi, atque hoc periurio semetipsum exutum Maiestate Imperatoria de fastigio Imperij deiecisse.

Fuit omnino coniuratio hæc in eum modū instructa, ut longè perniciosior Imperio Romano ꝙ Catilinaria olim urbi Romæ fuerit, futura si erupisset. Ac planè dubium non est, nō industria humana patefactam, nec ulla humana potentia repressam, sed diuinitùs elisam esse. Præstat aūt sopiri seditiosas atq; cruentas molitiones ꝙ euulgari, Præsertim cùm arcanorum consiliorū conscij fuerint non nisi antesignani, qui ad silentium & occultationem peculiari sese iuramento obstrinxerant. In hāc conspirationē ita consensit Dux Ioan. Fridericus, ut de suo stipendia Ducibus decreuerit, & uictoribus, si rem perficerēt, præmia proposuerit, ex præda parta & occupatis terris, liberalissima. Constitutum fuit inter eos biennio antè de innouanda insigniū Electoralium forma, deq; typis peculiaribus monetæ imprimendis, cum arrogantis, minimeq́ decentis tituli, ubi ad arma deuentum esset, inscriptione. Comparata iam & instructa fuerunt prela ad excudenda publicæ fidei diplomata, quibus caueretur saluti eorum, quos seruatos cuperēt. De colligēdis belli neruis rationes initæ: petita mutuò à quibusdam Germaniæ Principibus ingens pecuniæ uis: fœdus cū Rege Sueciæ non solùm expetitum & tentatum est, sed & missis hinc inde legatis initum contractumque fuisset, nisi interceptus quidam in mari consilia omnia aperuisset. Quas minas, quæ opprobria in cognatos Principes, & machinationes quàm hostiles aduersus eosdem, mandata illa continuerint, id instructionum, ut uocant, formulæ postea repertæ restari feruntur. Nulla ibi Imperatoris, nulla cognati sanguinis, iurarorumq́ pactorum ratio habita est. Est inter alios libellos repertus etiā, qui continet belli denunciationē directā ad Imperij Ordines, multò antè compositam, & manu propria Ducis Ioan. Friderici plæ-

tisq;

risq; in locis correctam & auctam. Ita ut nihil illis ad classicum canendũ euertendamq; patriam defuerit, quam loculi auro referti, & prætextus aliquis speciosus. Eum sese accepturos arbitrati sunt, si Elector Saxoniæ, quem uarijs calumnijs apud Nobilitatem sibi addictã deformarant ac prægrauarant, decreto Imperij aut Cęsaris iussu, executionis faciendæ causa, arma sumeret. Missę sunt & ad Regem Galliæ literæ, grauissimas aduersus Imperatorẽ & statua Imperij, ob publicatum proscriptionis decretũ, querelas continentes, & petita à Rege auxilia. Sed hoc maximè triste & deplorandum est, quod ad artes minimè conuenientes homini Christiano confugere ueriti non sint. Per puerũ enim rustici filium uel magicis pręceptis imbutum, uel ab incantatoribus fascinatum, uel à Grumbachio ad eas imposturas assuefactum: per hunc ergo Princeps in cõclaue suum, & arcanissimam consuetudinem receptum, responsa est angelis sciscitari, & de futuris quid euenturũ esset, explorare est solitus, nunc de successibus uictorijsq; ipsius Ducis: nunc de Cæsaris & Electoris Saxonię interitu: necnõ de thesauris effodiendis, alijsq; id genus similibus euentibus. His cùm à diuini uerbi præconibus uehementius contradiceretur, grauia illis supplicia, ni tacerent, indicta sunt. Et suscepit magi patrocinium ipse Princeps tanto studio, tantoq; feruore, ut Theologos hanc consulendi Diabolum cõsuetudinem acriter reprehendentes, mordacibus & contumeliosis scriptis, quæ extant, repelleret, nec ulla pia, rectaq; & salutaria monita admitteret. Porrò miseræ plebeculæ, quæ ex oppido in urbem defensionis causa contracta erat, persuasum fuit ab ipso Duce Ioanne Friderico, concione ad populum habita, bellum Religionis extirpãdæ causa, conspiratione Imperatoris, Electoris Saxoniæ, & Antistuum Germaniæ susceptũ esse. Nam ad hanc magno silentio occultatũ fuit, quid fieret & gereretur, & quę causæ prętenderentur, quidúe ab Imp. atq; ijs, qui ad urbem cum exercitu erãt, postularetur. Inuita igitur militabat, ignara operum & impatiens onerum militiæ, etsi à milite conductio nonnihil animaretur, & paulatim bellicis operis assuefieret. Pręterea, crescebat in urbe difficultas omnium reiũ. Fiscus Principis exhaustus erat. Priuatis ereptum erat quicquid reliquũ fuerat pecuniæ numeratæ. Deficiebant commeatus, nulla supererat uestibus materia, extenuabatur paulatim & euanescebat spes omnis auxilij externi. Cętera onera augebantur. Diruebantur ciuium domus, ut propugnaculis extruendis aut reficiendis, si cõcuterentur, materia suppeteret, & fama percrebuerat, cõsultari de milite idoneo intra arcem recipiendo, deq; urbe incendenda. Sed omni imbelle multitudine prius extrusa. Extra urbem aũt absolutis aggeribus & castellis ad oppugnationem seriam instructa omnia oculis obuersabantur, quę iã antè de salute sua anxię plebi terrorem augebãt, quod aduersus ictus bombardarum non tegerentur amplius altitudine ualli, tota interiore urbe hostiũ conspectui exposita, propter ea castella, quæ arte excitata aut tumulis imposita supra urbem eminebant. Hæc ubi concurrerent, & obsessi ex milite hoste inter quotidiana colloquia discernerent, bellũ propter proscriptos & rebellionẽ Receptatoris eorũ Ducis Ioan. Friderici motũ esse, quos cõcordibus sententijs Imperij cõdemnatos, atq; ad pœnã expetitos tueri ipsi atq; defendere non desinerent, cõtra interdicta seuerissima legitimi magistratus cum discrimine uitæ, fortunarum, existimationis suæ, imò cum iactura uitæ & salutis æternæ: Cõsilium capiunt, quo se & Principem suum ex bello tam difficili ac periculoso absq; insigni rerum suarum detrimento explicent. Coniungunt ergo se præcipui ex ordine equestri, aulicis, senatu, militaribus copijs & plebe, ac rem ad Principem literis supplicibus deferunt (ad colloquium enim non admittebantur, arcentibus eos Grumbachianis) Orant ne seipsum & subditos proscriptorum causa perdat, sed communi cum ipsis deliberatione, se quomodo seruet ac liberet, constituat. Cùm non tantùm non obtinerẽt quicquam, sed acciperent minaciter, nec

minas

minas has irritas fore animaduerterent, si in proposito persisterent: cõmuni fa- mo nõnullis ex ijs, qui præcipui erant iam supplicio capitis destinatis, id agūt, ut de ijsdẽ rescíscat miles præsidiarius cui intra arcis claustra uelut carcerib. cõ cluso excubiarũ ac defensionis causa, alioqui egredi inde & consilia cum oppi dano præsidio cõmunicare non licebat. Auget ciuiũ & rusticorũ in urbem coa- ctorũ indignationẽ casus, qui præcessit pridie Paschatos. Præcipuus enim Ca pitaneus ciuiũ, idemq; ciuis, ob fortitudinẽ & rei militaris usum omnib. carus Ioannes Hoffman, nõ ex urbe, sed arce (contra militum inter se pacta, quæ erãt, ut arcẽ præsidia istuc collocata, urbẽ uerò ciues defenderẽt) ad oppugnandum hostiũ castellum proximũ, erumpere cogitur. Vbi pugnans fortiter, cũ aliquot gregarijs militibus interficitur. Quod ergo seruari potuisset, si auxilia, qui cõue nerat inter eos, submissa fuissent, incipit in urbe de tribuni militũ Brandenstei- nij perfidia populus grauiter queri, q non tantùm honestũ fortemq; ciuẽ præ- senti periculo obiecisset, sed & uiriliter dimicantẽ turpiter deseruisset. Exoritur ergo fremitus & indignatio in urbe, cuius cùm præsidiarius miles è claustris in aream arcis 4. die Aprilis eductus, ad Sacramentũ militiæ de nouo præstãdum non ignarus esset, iurare recusat: uel quòd desperaret de defensione arcis, uel q amplius militare nollet, causam improbãs, uel q pertæsus esset latebrarũ, squa loris & egestatis, quã pertulerat. Stipendia enim nulla nisi unius mẽsis, & uictũ tenuẽ ac sordidũ per id tempus acceperat. Vrgente præfecto Hieronymo Bran denstenio & nil proficiente, nec obtestationibus nec minis, accurrit Princeps ipse. Sed & eo nihilo plus cõcitatò militi persuadente, exauditur hic clamor in urbe: fit mox concursus ad arcem: portæ ui recluduntur: cõiungit se miles cum oppidano præsidio. Comprehenditur tribunus militũ Brãdensteinius: proscri pti deposcũtur: qui cum metu sese abdidissent, inquiruntur, per arcẽ reseratis cõ clau bus inuenti capiuntur: uincti abripiuntur in urbẽ, atq; in curiã deducunť, ubi diuersis in locis custodiuntur. Comprehensi sunt hi: caput factiosæ coniu- rationis & proscriptorũ princeps ipse Guilhelmus Grũbachius cũ socio Guil- helmo Steinio, Doctor Christianus Bruck cancellarius, Brandensteinius de quo dixi, & Ioan. Beierus, qui sub Elect. Saxoniæ quæstor præfecturæ Monta- næ in Schellenberg, cùm soluendo non esset, deserta ac prodita fide erga domi- num, ad hostẽ transfugerat, & consilia de opprimendo et excutiendo Electore adiuuerat. Zebicius uerò cũ nonnullis alijs ea uespera elapsus, postridie sum- mo mane per portã arcis emittitur, ubi deceptis excubijs fossam, qua angustis- sima erat, concitato equo transiliens euadit. Is est aũt Zebicius, qui suo se sclo- peto Zobelũ Antistitem Vvürceburgensem traiecisse profiteri fuit ausus cum Pichtio Luneburgico. In urbe quid actũ sit, mox una cõmuni Epistola signifi- catur Electori Saxoniæ Augusto, Duci Ioanni Guilhelmo, & legatis Imp. à nõ bilibus, aulicis, centurionibus & senatu: peciturq; de consensu Ducis Ioan. Fri derici, ut dies dicatur sub fide publica tractationibus de pace, se paratos dede- re proscriptos & urbẽ, si æquis conditionibus pacẽ impetrent. Adiungit suas li teras Ioan. Fridericus, nõ inscriptas Principibus, sed legatis Imp. Nec idẽ agit, sed quasi sese & suã causam seiungens, inducias cõcedi postulat dierũ quatuor decim, quib. ad deliberationẽ de suis rebus & pacis cõditionibus accersat Prin cipes bos: Palatinum Fridericum Electorẽ, Guilhelmum Iuliacensem Ducẽ, et Philippũ Landgrauium Hassiæ, qui paulò antè è uiuis excesserat. Aberat tunc ab exercitu Elector Saxoniæ, profectus Cassellas, ut cohonestaret deductionẽ funeris Landgrauij. Legati Imperatoris interea respondent, bene pollicentur, iubent diligenter muniri captiuos usq; ad reditũ Electoris Saxoniæ. Eo reuer- so, obsessi quod petunt impetrant, Ioan. Fridericus non impetrat. Dicitur dies congressui, cõuenitur, proponuntur cõditiones, de quibus, qui exierãt, referũt ad Principem suũ & cæteros. Reuersi ijdem in castra, à Principe nulla, à cæteris mandatẽ

mandata adferunt, ut simul pro Principe intercedāt ac laborent. Quo se suosq;
negligente ac destituente, fastúne an alijs de causis, quód inops esset consilij, ni-
hil obtinetur. Tandem biduo ultrà citraq; tractationibus his atq; consultatio-
nibus cõsumpto, in hæc consentitur capita ab utrisq;, cõscio Duce Ioanne Fri-
derico, ut Princeps sese, arcem & urbem cum apparatu bellico uniuerso, com-
meatu, cancellaria, fisco, dedat Imperatori sine ulla cõditione. Vt proscripti &
horum socij atq; patroni, grassatores itidē publici prædones, & preter hos ua-
salli, qui non renunciata obligatione sua contra Electorem militarunt, tradant
in manus Electoris. Vt militares homines omnes cuiuscūq; ordinis urbe exce
dant armati sine tympanis intra quatuor horarū spaciū, & uexilla cõuoluta tra
dant: ut subditi ex omni ordine, & ciuis in primis urbis Gothanæ, uitam, fortu
nas, iura, immunitates suas retineāt illæsas, ut portis patefactis, intra urbē & ar
cem recipiatur præsidiū, claues exhibeantur Electori, captiui dimittātur sine ly
tris. Ciues Gothani per delectos octo ex toto numero fiant supplices Impera-
tori, uel ipsius loco Electori Saxonię. Vtriq; ciues & milites iurent, se nullis un
quā bellis contra Imperiū, Imperatorem & Electorē motis, interfuturos: ut Du
ci Ioanni Guilhelmo nouo sese homagio obstringant, excluso ab omni iure suc
cessionis fratre, & natis ex illo filijs: his cõditionibus, ut si contingat absq; hęre
de masculo Ioan. Guilhelmū decedere, succedat Elector Saxoniæ, atq; huius fi
lij: il & hi, deuoluatur successio in Landgrauios Hassiæ. Literis de his capitib.
cõfectis & obsignatis ultrò citroq;, Elector Saxoniæ Augustus, comitantibus
ducibus Ioanne Guilhelmo Saxoniæ, & Adolpho Holsato, ipse inter utrūq;
medius urbē primum, deinde arcē ingreditur, pręcedēte maxima equitatus par
te, & ante ipsum proximè magno numero Comitū. Factū id est die 13. Aprilis,
hora circiter sexta uespertina. Incidit illa dies in Dominicā Misericordias Dñi,
hoc ex Ecclesiastico Calendario nomine notā, qua ante annos 20. à Carolo V.
Imp. pater Ioan. Fridericus senior acie uictus & captus est, penè eadē hora; Di-
screpantibus tamen dieb. mensis politici, cùm ante 20 annos eadem Dominica
in 24. Aprilis inciderit: sed 13. Aprilis quæ Antistiti Vvürceburgensi Zobelo
fraudē Grumbachij perempto, uitā: Eadem admirando iustitiæ ac uindictæ di
uinæ testimonio ipsi Grumbachio tūc primum redacto in hostiū potestatem,
annis octo post spem uitæ eripuit. Principi Ioanni Friderico custodię ponunt:
postridie tradit ipse se in manus & potestatē Imp. deditione legatis factà, Otto-
ni Comiti in Eberstein: Fabiano Schoneichio, & Christophoro Carolouitio ex
ordine equestri, uiribus nobilibus, & equitibus auratis, petēs ne abducatur in
Austriā, sed relinquatur apud Elect. Saxoniæ. Tertio à deditione die abducitur
captiuus: proscripti & captiui tormentis subijciūtur 16. Aprilis die, digressa in-
de coniuge Ioan. Friderici permissu Principū cum supellectile copiosa, fiunt iu
dicia de captiuis: pronunciatur de capitibus eorū ex singulorū confessione &
archiuis repertis: die 18. suppliciū de ijsdem sumitur: pari cū Grumbachio sup-
plicio afficitur cancellarius, dissectione corporis in partes quatuor, ob lęsæ Ma
iestatis crimen cõmissum, in eo quod obiecit & intentauit Imp. falsò periuriū:
elisit atq; proiecit contumeliosè sententiā proscriptionis: cõprobauit & excusa
uit ausus factionis Grumbachianæ, adiuuit cõsultationes de perturbanda sedi
tiosis motibus Germania, abrògando Cæsari Imperio, Principibus nobilitati
exęquandis: acerbè & ignominiosè exagitauit uoce & scriptis Imperatorē, Du
ces Saxonię Electorē & Ioan. Guilhelmū dominos suos: reticuit et adiuuit insi
dias ac molitiones, quæ Electori & Ioanni Guilhelmo structę fuerunt, contra fi
delitatis iuramentum utriq; pręstitum. Grumbachij & Steinij crimina comme
morata sunt: sed quod Steinium Grumbachius excusaret, tanquā à se seductū,
minùs ille punitur. capite enim truncatur, postea truncus quadrifariā scinditur.
Beierus suspenditr. Capite truncatr et Brādensteinius arcis pręfectus qui nō tan

tum

tum sciens uolensq́ proscriptis, sese contra Cæsareæ Maiestatis interdicta socium adiunxerat: sed & in diripienda urbe Vuirceburgensi opem illis gnauiter præstiterat, ciuesq́ in urbe Gotha ita afflixerat, ut gladijs illum suis interfecturi fuerint, nisi iustum de eo supplicium magistratus sumpsisset. Plectitur & capite Dauid Bomgartnerus liber Baro Sueuiæ, Augusta oriundus. Qui propter æs alienum patria profugus, Grumbachianæ se factioni adiunxit, & ad seditiosa consilia, quæ de nobilitate in libertatem uindicanda, unicó Imperatori asserenda, principibus excussis, Grumbachius cuderat ac descripserat, ministrum se præbuit. Cuius instituti formula nomine Bomgartneri circūfertur. Euadere hic potuisset, si lacero squalidóq; habitu inter gregarios milites cum egrederentur, latere, quam in ferociente & superbo equo plumatus conspici maluisset. His indicijs enim sciscitante Electore Saxoniæ agnitus regredi, & machinula equestri bene pulsatus deijci ex equo acuinciri iubetur. Laqueo punitur & puer magus. His peractis diuiduntur machinæ bellicæ centū sexaginta. Nouem insigniores Elector Saxoniæ sibi uendicat: reliquas cum Duce Iohanne Guilhelmo ex æquo partitur: octó grandiores machinæ Cæsari dono mittuntur. Exercitus omnis dimittitur, munitio diruitur ac solo æquatur: Dux Ioannes Fridericus captiuus Viennam ducitur.

F I N I S.

DE REBVS IN ORBE GESTIS SVB IMPERATORE MAXIMILIANO SECVNDO, Annó M. D. LXV.



Hoc ipso Anno ineunte, tāta fuit hyemis asperitas & sæuitia, ut multis locis, uites ad solum usq; plane interierint, & grandes quoq; arbores succo naturali radicum frigore extincto, exaruerint, nauigabilia quoq; & maxima Germaniæ flumina, Rhenus, Danubius, Albis, Visurgis, Mœnus, Neccarus, (quod rarissimè fieri cōsueuit) ita conglaciata fuerint, ut currus onusti ea equis transirent. Atq; eo frigore durante, tanta niuis copia ex aërea regione decidit, ut multis in locis profundissimæ ualles ea completæ ferè complanarentur. Ea ergo calore liquefacta, mira aquarum inundatio secuta est, quæ locis non paucis, præsertim Danubio & Rheno propinquis, incredibilem agris & ædificijs cladem intulit, omnesq́ ferè pontes, quibus strati fuêre, interrupit atq; disiecit. 1565.

Vndecima Februarij munitissima arx Tokay, octauo postq̃ à Cæsareis copijs duce Lazaro Schuuendio obsideri cœpta fuisset, die, Nemethio præfecto arcis oppugnatione præcedentis diei sclopeti uulnere, secundum tempora, confecto, in Cæsaris Maximiliani potestatem redigitur: propugnatoribus, qui eius præsidio impositi fuerant, solo gladio accinctis, alijsq́ bonis omnibus ibi relictis inde excedentibus. Eorum uerò circiter quinquaginta & trecentos fuêre, sed magna parte uulnerati. Ac ita Maximilianus, nō solum firmissimum propugnaculum tertiò recepit, sed & uiam sibi ad maiora acquirenda patefecit. Siquidem Zathamarum hostis sibi metuens deseruit, paulò post Ertod quoq; uix hostiliter tentatum uijs & aditu impedito receptū est, & progressus

Anno 1565 facillimi in Transsyluaniam patuêre. Cæte. ũm de hac expugnatione, bellique
moti caulis Sambucus acuratiora conscriplit, quæ publicè exrant.
Carneualibus festis huius anni Annibal Comes Altempsius, quē Pontifex
Ecclesiasticæ militiæ magistrum crearat, patruelis sui Cardinalis Bonormei so
rorem in uxorem ducit. In earũm nuptiarum lætícia, in Theatro Vaticano ha-
stiludia facta, quibus nobilissimi quiq; Romanæ iuuentutis iuuenes concurre
runt. Ei celebritati Pontifex, Cardinales, & Populus Romanus inrerfuêre.
Aprilis die 30. apud Burdegalenses publicè Regis Galliæ edictum, quod à
Martio Martiale nominarunt de religione propositum est.
Maij mensis die 18. Melita Insula à Turcica classe obsidione cingitur. Sulta-
nus etenim Solymannus, Christiani nominis, & presertim ordinis Rhodij acer
rimus hostis, nõ cõtentus, Rhodios clarissima Insula Rhodo, arceq; Tripolita-
na, fortunisq; pene omnib. iam expoliasse: nõ aliud cogitans, nisi qua ratione
Rhodios antè alios penitus delere atq; extinguere posset, classem in structissi-
mam & numerosissimã aduersus Rhodios parari iussitq; Bizantio 11. Calē-
das Aprilis soluens, 15 Calend. Iunij Melitã appulit. Cõstabat ea classis ex tri-
remibus, biremibus, alijsq; nauigijs fermè 250. Hostium numerus pugnato-
rum, ueritati propior fuit plus minusue quadraginta milliũ. Præfectus exerci-
tus terrestris, Mustapha Bassa: classis uerò, Pyali Bassa, qui paucis diebus trãsa-
ctis, in exonerandis in littus cõmeatibus, & speculãdis locis, figendis tētorijs,
alijsq; (ut fieri solet) ordinãdis, arcē sancti Elmi, quę in faucibus portus sita est,
magno impetu, maximaq; tormentorũ ui in primis oppugnare cœperũt. Idq;
cũ plures labore dies non intermisso fecissent, ac magnã murorũ partē aperuis-
sent, omnisq; missiliũ telorũ genere impugnassent: uirtute tamen & industria
Rhodiorũ equitũ, aliorũ q; militũ, 25 dies propugnata ac protecta est, magna cũ
clade & cæde hostiũ: licet arx ipsa, iudicio multorũ, ad paucos dies contra tan-
tam uim defendi posse uideretur. Tandem 8. Calēd. Iulij, cum Rhodij multitu-
dinem & imperum inimicorum sustinere non possent, terra mariq; circundata
ac interclusa, omniq; auxilio destituta, paucis Rhodijs qui supererant trucida-
tis, à Turcis arx ipsa capta est. Qua uictoria elati, arcē & oppidum S. Michaëlis,
& nouã ciuitatem, pręsertim ad propugnaculum Castellæ & Lusitaniæ, oppu
gnare ceperunt: pluribusq; locis magna diligentia, maioriq; machinarum &
tormentorum bellicorũ impetu, & numero more suo mœnia quatere & deijce
re aggressi sunt. Quã oppugnationem horrendam & stupendam eijecerunt in
primis, Turcarum exercitus terra mariq; apprimè tremendus: mox ingētia nul
libiq; locorũ tam horrendę molis furibũdiq; impetus tormēta, globos ferreos
saxeosq; quinq; sepiemq; palmorum rotunditatis interdiu noctuq; iacentia:
quib. non crassissima mœnia dirui, sed etiam mõtes subuerti possent, quorum
ui mœnia ipsa plurimis in locis adeò corruerunt, ut facilè plano pede ascendi
posset: quã cum barbari ipsi sæpius magno impetu & clamore ingredi tentas-
sent, toties magna cum strage & ignominia, permultis eorum occisis ac uulne-
ratis, repulsi & reiecti sunt. pręfecti aũt tàm maris, quàm terrę, postquam tot lo
cis, omnibus copijs obsidione oppugnationeq; fermè quadrimestri, summa ui
frustra oppugnassent & maiorem partē suorũ ueteranorũ militum amisissent,
hyeme præsertim iam instante. quo omnia bella iure gentium conquiescere de
bent, nihil aliud præter recessum, seu potiùs fugã meditati sunt, quã maturare
coēgit aduentus Garziæ à Toledo, Siciliæ proregis, ac præfecti classis Regis
Hispaniarum, cum subsidio & auxilio decem millium militum & selectorum
uirorum, inter quos erant ad minus ducenti & quatuordecim equites Rhodij,
ac plures alij nobiles ac generosi uiri: qui sola Christiana pietate cõmoti, uolũ-
tariè ex diuersis mundi partibus concurrerunt, opem & auxilium Rhodijs alla
turi. Hinc factum ut Turcæ ea Insula 30000. hominum amissis turpiter eiecti
sunt,

ſint, egregia præſertim Iohãnis Valetæ magiſtri & militũ uirtute, qui pertinaci
animo acerrimã obſidionẽ pertulêre ad 250. equites & præcipui quiq; eo bel- 1565
lo deſiderati. Cæterũ quia huius belli hiſtoria à duob. doctiſsimis uiris Hiero
nymo comite Alexãdrino, & Celio ſecũdo Curione accuratè deſcripta extat,
nos hiſce cõtenti, ad eos ulterioris belli huius cognitionis cupidum lectorem
remittimus.

Viceſimo ſexto die Maij, Georgius Sigiſmundus Seldius Auguſtanus, Im
peratorum Romanorum Caroli V. & Ferdinãdi fratrum Vicecancellarius, &
Maximiliani II. intimus cõſiliarius, dum ex prædio, quo animi gratia ſeceſſe-
rat, unà cum Iohãne Vdalrico Zaſio, Cæſ. Maieſt. Vicecancellario, Viennã ci-
ſio redire properat, eo dum Pſalmis legendis uacaret, inter eundũ excuſſus, ca
pite ad ſaxum illiſo, magno Cæſaris Maximiliani dolore, omniũq; bonorum
luctu uitã miſerabiliter finit: Zaſio ex altera ciſij parte deſiliente ſaluo: Eũ iu-
uenem adhuc excellẽtia ingenij, prudẽtia pro ætate maior, doctrinæ uariæ &
admirabilis copia, ornamẽta uirtutũ, eloquẽtiæ eximiæ facultas, linguarũ plu
rimarũ & omnis antiquitatis atq; hiſtoriarũ peritia: primo Henrico Palatino
Epiſcopo Friſingẽſi, mox Ludouico Duci Bauariæ ita cõmendarant, ut hi eũ
cõſiliarium aſciſcerent. Deinde Carolus V. Iohãne Nauio Vicecancellario an
nõ 1546. eius in numerũ conſiliariorum cooptati induſtria & Vicecancellarij
opera uteretur, eumq; in honore ac pretio habitum ad gubernatiõis ampliſsi
me atq; occupatiſsime ſumma & difficillima negotia adhiberet. Adhæc cum
acceſsiſſet ætas grãdior, uſus rerum atq; exercitatio, maturitas exculti perpoli
tiq; iudicij, documenta induſtriæ, ſolertiæ, ſapiẽtiæ, iuſtitiæ, moderationis, in-
tegritatis, conſtantiæ, fidei, candoris, humanitatis: in eam uenit ad Imperato-
rem Ferdinandum opinionem & admirationem ut de Seldij conſilio atq; ſen
tentia ille in Imperio ſuſceperit atq; adminiſtrarit plæraq; ex ijs, quibus Ger-
maniæ poſt difficilia & longa bella ex perturbatiſsimo rerum ſtatu reddita eſt
atq; reſtituta ſalutaris trãquillitas. E rebus uerò humanis Ferdinando exẽpto
cum nõ minori in autoritate ac exiſtimatiõe apud Maximilianũ Imperatorẽ,
quàm patrẽ Ferdinandũ fuiſſet, ſexto pòſt menſe, modo, quò diximus, extin-
guitur uir Neſtoreis annis & omnium bonorũ prædicatione digniſsimus. Na
tus Auguſtæ anno 1521. patre Georgio Seldio, & matre Priſcilla Schalterin,
quæ ad nuptias ſecundas tranſiens Iohãnem Hegenmillerũ ſecundo cõiugi
peperit, Iuris utriuſq; Doctorẽ, Ducis Bauariæ Alberti cõſiliarium initio, de-
inde Aſſeſſorem Iudicij Cameræ Imperialis, poſtea ob præclaras animi dotes
cõſiliarium Cæſareum factum, inq; eo officio adhuc cum ſingulari ſolertiæ ac
integritatis laude uerſantem, uxorem Seldius habuit Bauaricam Cancellarij
Landshutenſis filiam, ex qua ſobole nulla ſuſcepta, fratrẽ uterinum quem di-
ximus Hegenmillerum hæredem habuit. Prẹter alia poſt ſe relinquens hiſto
riam rerum à Carolo V. geſtarum, & Genealogias Principũ Germaniæ, cum
inſtructiſsima omnium librorum copia. Excitetur uerò tanti uiri caſu piorum
mentes ad cogitationẽ rerũ humanarũ, quarũ ea eſt incertitudo & fragilitas,
ut nulla ſit tanta calamitas, quæ non cuilibet euenire poſſet.

Iunij die primo in pagis Thuringicis Tũdorpio, Neuuẽdorpio, Meckelfel-
dio & Klebacho, imber tãlõgus effundit, ut quidã eã nubis fragmẽ fuiſſe exi
ſtimarint. Nã nõ ſolũ in ijs domus, impetu aquarũ dirutæ, ſegetes in cãpis cor-
ruptæ, ſed & ſepulchra mortuorũ in cœmiterijs deducta atq; patefacta fuêre:
ita, ut cadauera è monumentis eruta, atq; in agris natantia reperta, denuò re-
condenda fuerint. Oſtendit hoc ipſo Deus quàm facilè ac cito ira ſua accenſa,
homines ea ratione punire poſsit, ut nulli pœnam auertere uel effugere lice-
at, niſi ſolis credentibus per ſuas preces.

Iulij ſequentis die 21. hora ſecunda pomeridiana in Annæ mõte eiq; uicinis

1565 pagis Vualtersdorpio, Scleta Bucholtio, Dorffelo, Hermersdorpio, Tānebergo, & Scönfeldio similiter tāta aquarū tēpestas exorta est, ut diluuio par cēseretur. Nam nō solū eius ui ædes ita disiectæ, ut ne uestigia quidē earum cōspecta, pōtes lapidei deturbati, aggeres interrupti, pecora submersa, horrea cum segete abrepta, sed & saxa ingentia, molis infixa, auulsā, asportataq́ fuerint.

Augusti die quarto, Turcæ, arcē Erdeud, quam à Cæsarianis recuperatā, circiter principiū Iunij diuturnissimè obsederāt, atq; oppugnarant, propugnatoribus fame atq; labore cōfectis, in suā potestatē redigunt. Et capitaneis Vuelsero & Philippo Huetstocker, in propugnatione cæsis, Laubenbergerum qui supererat captum, Budam & inde Constantinopolim ablegant, qui tamē postea ob insignem fortitudinem, qua in arce defendenda usus fuerat, permutatione septem Turcarum, liberatus est.

Mense Septembri, Elector Saxoniæ Augustus, cum Imperatorē bello premi intellexisset, ei ductore Henrico Glasenthaler 1026. equites selectissimos, suis impēsis ad quinq; menses subsidio mittit, quib. trecēti & quinquaginta alij uoluntarij accessēre, magna ex parte nobiles, quorum obediētia ac uirtus maximè laudata fuit.

Duodecimo Octobris Eccius comes Salmēsis, ac supremus Iaurīēsis capitaneus, machinatione cum Iudice Albæ regalis octo milliaribus à Iaurio distantis inita, inde cum suis rectà cōtendit, manè pecoribus ex urbe egredientibus, ac porta patefacta, Turcis nihil tale metuētes oppressurus. At Cæsar qui ad Turcam Zorzi Hossutotum de pace tractāda misisset, ac eo facto pacis spē prætescindi iudicaret, nuncio ad Salmēsem celeriter misso, eum ab incepto desistere iussit. Paruit quidem ille, sed illibenter, quod uictoriā quasi è manib. sibi excuti doleret: Turcæ uerò hac machinatione detecta, quadraginta incolas palis affixēre, Iudice Palotam, inde uerò Viennā cum misera familia se recipiente, ac opem Imperatoris submisse implorante.

Decimonono Octobris Iohānes Albertus Megalopolensis, Rostochiū ex improuiso obsidet. Nam cum ea ciuitas à Iohāne Rege Daniæ, fratre Erici, circiter annum Dñi 1325. Megalopolēsibus principib. uendita, ac ab his successu temporis multis priuilegijs donata, deniq; deductione scholæ publicæ, anno 1419 ornata fuisset, & immunitatis cōcessione freta nō solum maiorib. Iohannis Alberti fratrisq; Vdalrici subinde plus quàm par esset sese opposuisset, sed & fratrum ductorum iussa aspernaretur sæpius de ijs perdomandis cogitationes susceptæ fuēre. Nō tamē maiores principū Iohānis & Vdalrici quidq; aduersus eam, memorabile attētarunt, nec uterq; eorum aduersus ciuitatē uallo, fossa, murisq; munitissimā, quidq; tentare ausi fuissent, nisi omniū Resp. ub. ac ciuitatū extrema pernicies, inter magistratū ac plebē dissensio incidisset, orta ex redditione rationū pecuniarum, tam ad ciuitatē, quàm Ecclesias in ea sitas, pertinentiū. Quarū administratio magistratui cōcessa, plebi suspecta uidebatur: Ob rationes aūt plebi denegatas dissensione magis magisq; gliscēte, atq; uires eundo acquirēte, cum Duces pro sua prudentia, quò res tādem euasura esset, perspicerēt: Ferdinādum Imperatorē de ea certiorē reddidēre. Is, q nihil magis expeteret, q̄ pacē in Imperio cōseruari, uiā exteris monarchis inuadendæ Germaniæ præcludi, quorū Sueco Rostochienses adhærere dicebātur, Iohāni Alberto Duci Megalopolēsi iniungit, ut hasce cōtrouersias per legitimas uias ac rationes cōponat. Hic ergo disceptationē causæ suscepta, ac aliquoties ut dissensio cōponatur, partib. cōuocatis, nulli diligentiæ parcit. Cæterū, interea Ferdinādo Imperatore uita defuncto, ac priore mādato per successorē Maximilianū II. reuocato, cū Ioānes Albertus ex priorib. actionibus animaduertisset, parū æquitate profici, ubi obstinātia locū occuparit, ad rebelles & dissentientes in ordinē redigēdos, quo fieri potest silētio copias cōscribit, atq; ijs ita conflu-

confluentibus,ut quo tenderent,nemo sciret.

Decimonono Octobris Rostochiēses ex improuiso obruit. Erant illi non 1565
solum à rebus ad bellum necessarijs minimè instructi, sed ita quoque à peste, quæ aliquot millia absumpserat, afflicti, & per discessum ciuium qui salutis causa, aliò se contulissent, auxilijsq; denudati, ut ui hostis omnia uicina ciuitati loca diripientis ac deuastantis, minimè resistere possent, maximè portu Vuarnemunda occupato: Itaq; illi legatione ad Principem missa, post multos tractatus, cōsensêre, ut is urbem ingrederetur, hic ciuibus supplicibus priuilegia concessa à maioribus inuiolata relinqueret, nullum professorum Academiæ, uel ciuium cōtra ius læderet, controuersiā inter magistratū & ciues uigore Cæsarei mādati cōponeret. Verùm enimuero princeps, quū multa in ciuibus desideraret, urbē ingressus, initiò claues portarū à magistratu extortas, ad manus suas recipit, milīē in urbē introducit, eum in ædes ciuiū distribuit, sexaginta millibus thalerorum mulctat, ac inter eos suspectis arma adimit & duos eorum seditionē molientes, capite plectit. Hoc exemplū omnes liberæ ciuitates ob oculos sibi ponant, ne nimia libertate insolescant, ac quantū fieri potest concordiæ studeant, dissensione tanquam præsentissima libertatis peste, ex Repub. sua, omni studio profligata.

Vltimo Octobris die, Iohannes Fridericus, Iohannes Friderici Constantis Electoris filius, minimus, natus anno 1548. perpetua ualetudine aduersa infirmus, animi constantia, in uera religione defendēda patri similis, cum dogma Euangelij pristinæ luci restitui, ac proscriptos à Cæsarea Maiestate, à fratre seniore è ducatu pelli cuperet, ac cōcordiam fraternā urgeret, Ienæ, quò ad ualetudinem curandam sese contulerat, circiter decimam horā noctis in Christo Iesu piè & placidè obdormiuit. Nam cùm legi sibi fecisset caput 11. Iohannis, in quó dulcissima historia de resuscitato Lazaro cōtinetur: eo capite absoluto, petijt addi quoq; lectionē capitis sequentis. Ac simulatq; dum lector protulit uerba illa, Amen Amen dico uobis, nisi granum frumenti deiectum in terrā mortuum fuerit, ipsum solū manet, &c. æger Princeps extremo morbi impetu correptus est. Tendens itaq; in lecto uersus cœlū palmas, & suprema uoce Latinè recitatis his uerbis, Domine IESV, in manibus tuas cōmendo spiritum meum, quia redemisti me: piè & placidè animam Redemptori suo reddidit, in meditatiōe dicti de grano tritici & gloriosæ resurrectionis corporū. Cadauer inclytus frater Iohānes Vilhelmus inde ad monumentum patris Vinariam deduxit, idq; non sine luctu sepeliri curauit, animo præsagiens, eripi ac colligi iustos, ne uideant imminentia mala quæ & mox subsecuta fuêre.

Octauo die Decembris, & ægritudinis eodē, hora noctis secūda. Pius IIII. pontifex sacramentis Ecclesiæ, à sororis filio Carolo Cardinale Borromeo, (quod nulli Pōtificū cōtigisse existimatur) susceptis, in Paleoti & Syrleti Cardinalium præsentia, nullo dè more patrū cœtu cōgregato, hęc uerba proferēs: Nūc dimittis seruū tuum Domine, secundū uerbum tuum in pace, &c. rebus humanis eximitur, ætatis anno 66. mense 8, die 9. Pōtificatus uerò 5: mēse 11. die 15. Corpus basilicæ uaticanæ illatum, lateritio ad tēpus extructo solio conditum est. Vacauit sedes Romana dies 29. Eo pōtifice Italiæ pax, urbi & prouincijs ecclesiasticis à bello quies, rerū quæ uictui humano necessariæ sunt copia, publica incōmoda uel pauca, uel nulla fuêre. Statura fuit iusta, frōte lata, oculis cæruleis, aspecto obliquo, uaso eminēti & rubido, barba mediocri, habitudine corporis pinguiore, prospera ualetudine, manib. pedibusq; articulari morbo debilitatis: sed non in facie, aut in incessu dignitas, in risum magis, q̄ tanti magistratus gradus exposceret, aliquādo pronus. Morū ei diuersa tēpora. Egregius uita famaq; fuit, quoad priuatus, uel in magistratib. prioribus sub pontificibus uixit. Pōtifex creatus dum Tridentinū Concilium uiguit, multa optimi, præclariq; pōtificis documenta dedit. Concilio absoluto suo ingenio

1565 liberè utens in multa, quæ non ita ab omnibus probabãtur, prorupit. Erat pa
làm iracundus, occultè inuidus, ad audiendũ impatiens & difficilis, in respon
sis aliquando acerb. cuiuslibet rei quæ ignorari sua intererat simulator, ac dis-
simulator. Patres, & eos præsertim, quorũ opera põtificatũ, & alios honores
obtinuerat, nõnihil neglexit. Pecuniæ ac auri studiosus, ad seruandũ uerò pa-
rum cautus. Nam quæ excepit, cuncta penè liberalissimè exposuit. Ferunt au
tem eo Pontifice H S bis millies haustũ. Amicitias nõ omnino ex re, sed etiã
cõmodo æstimabat. In propinquorum amore uarius, nam sororũ filijs minis
indulsit: fratrẽ uerè Augustum Marchionẽ Meneleniani, cui ex priuatis odijs
infensus erat, non admodum dilexit, ita ut eximias eius uirtutes non medio-
cres defectus obseruare uiderentur.

Duodecimo Decemb. Iohannes Ranzouius nobilis Holsatus moritur, qui
post susceptũ balthei militaris decus, & perlustratos remotissimarũ gẽtium ac
prouincias, quãtum pacis belliq; artibus omnibusq; corporis atq; animi exi-
mijs bonis eniti potuit, id omne secundũ pietatẽ in Deũ, uni patriæ, eiusq; lau
datissimis principibus, Friderico I. Christiano III. & Friderico II. Danorũ ex
ordine Regibus, huiusq; patruis, Iohãni & Adolpho Holsatiæ Ducib. impen
dit, felicissimo euẽtu, utpote summus cum iusto Imperio Dux, exortis subin-
de bellis destinatus, semper uictor, q præter copias deditasq; urbes atq; arces,
pfligatos eiectosq; procul Cymbricis & Holsaticis finib, hostes, in ordinem
redactos sacrorũ seditiosos antistites, rebelliumq; Thietmarsorũ contusam &
fractam armis contumaciam, octies patentibus in campis, diuersis prælijs, su
peratas hostiles acies, uel ab ipsius indulgentia, uel à fœda fuga uitam coegit
impetrare, uixit annos 73. & mensem unum, obijt anno 1565. die supradicto
mensis Decembris, omnibus animi sensibus integris ac in charissimæ cõiugis
filiorum atq; nepotum cõplexu, æterno numini Spiritum, à quo acceperat, fir
ma in Christum fide, & certa resurrectionis spe, confirmatus reddidit.

Eodem die duodecimo calamitoso ac uerè tragico exitu uitam finiuit Ioa
chimus à Neuhausen, Baro Bohemicus, regni eiusdem Cancellarius, ordinis
aurei uelleris eques, ac Ferdinandi & Maximiliani Imperatorum intimus cõ
siliarius. Cum enim uenia suos inuisendi ab Imperatore impetrata, manè cisi-
um conscendisset, comitatus sex equitibus, atque in medio ferè Danubij pon
te Viennæ esset, accidit, ut hoc incuruato ac rupto, ipse cum cisio & ijs, qui
eò ueherentur, in Danubium præcipitatus, submergeretur, cisiario uno ena-
tante ac alijs equitibus præcedentibus saluis. Interitus hic tanto tristior Im-
peratori, alijsq; omnibus aulicis extitit, quantò uiri humanitate atq; pruden-
tia clarissimi uirtus excellentior erat.

Vicesimoseptimo huius mensis generosus Baro dominus Iohannes Vn-
gnadius à Sonneck, in arce sororij Ioachimi Schlickij Vuintricia, ætate confe
ctus, piè in Domino obdormiuit, ac cum in ducatu Vuirtenbergico se sepeli-
ri iussisset, Christophoro Duce id ita uolente, Tubingã translatus, ibidẽ pro-
pe monumentũ Ducis Vdalrici Vuirtenbergici 17 Iunij, anni subsequentis:
magnificè humatur uir rebus gestis, ac syncerè religionis studio clarissimus.
Nam cum sub Ferdinando Imperatore Styriæ, atq; Carinthiæ præfuisset, salu
tem animæ atq; honorem filij Dei mundanis opibus atq; honoribus præfe-
rens, patria relicta Vuitebergẽsem scholam adijt uicinasq; ecclesias, ut in reli-
gionis perceptæ doctrina, piorum Doctorum conseruatione, cõfirmaretur,
inde uerò sibi hospitio à Duce Vuirtenbergensi Christophoro ob præclaras
uirtutes oblato, Vraci per aliquot annos substitit, atq; magnis impensis in lin-
guam Turcicam atq; Croaticam, Biblia sacra multaq; alia utilia recentiorum
Theologorum scripta conuerti, & ad gentes earum linguarum peritas, ut ue-
ra religione imbuerentur, transferri curauit. Vtinam hoc studium Christianæ
religionis propagandæ, Reges ac principes maioribus opibus subnixi imita-
rentur.

rentur, Ecclesiæ Christi pomeria multo longius latiusq; prolata, ac ipsi æditio 1565
res in cœlis quàm terris conspicerentur.

Vltimo Decemb. Vdalricus princeps Megapolensis, frater Iohannis Alberti, qui occupatione Rostochij intellecta, non minus iuris in ciuitatem Rostochiensem, quàm hic prætenderet, & ipse Rostochiũ cum legatis Electoris Saxoniæ, & copijs instructis ingreditur. Res uerò tandem per legatos Cæsareos qui eò quoq; uenerant, deducitur: ut fratres dissentientes reconcilientur, ac utriq; eorum discessus ex urbe iniungatur. Assensit Vdalrichus Cæsareis legatis, ciuitate gratiã petente, & sexaginta millia florenorũ pro satisfactione offerẽte. Cum uerò alia in sequentẽ annum acciderint, ea suo loco reseruabimus.

DE REBVS GESTIS ANNO M.D.LXVI.



IAnuarij Idnum septimo, interregni die 29. Frater Michaël Gillerius 1566
ex oppido Boschi, Alexandrinæ Diœcesis Lombardus Insuber ordinis prædicatorum, Officij hæreticæ inquisitionis cõmissarius ex Episcopo Sutrino & Nepesino præsbyter Cardinalis tituli sanctæ Mariæ super Mineruã, & summus inquisitor à Paulo IIII. Papa factus, postea Episcopus Montis Regalis in subalpinis & tituli sanctæ Sabinæ, demum iterum tituli S. Mariæ super Mineruam à Pio IIII. creatus, præter omnium expectationẽ, de repente conflato Cardinalium cõsensu Pontifex declaratur. Eius suffragationis principes extitêre Farnesius & Bocromæus Cardinales ac huius & Columnæ Cardinalis precibus cõcedens, Pij V nomen accipit Festo Diui Antonij ac natali suo die, hoc est 17. Ianuarij, annum iniens 62. ante uaticanam basilicam ab Vrbinate Cardinale more maiorum sacratyara coronatur. Hic paulo pòst Carafios proximo põtifice eiectos, benignissimè reuocauit.

Ad decimum quartum huius Cæsar Maximilianus superiore anno primã sua comitia Augustam indixerat. Etsi uerò ordines ac status seriò monuisset, ut præfixo tempore certo cõparerent, tamen propter absentiam plærorumq;, usq; ad uicesimum primum diem tractatio negotiorum dilata fuit.

Vicesimo Februarij huius anni, Iohãnes Albertus, qui superiore anno (ut diximus) Rostochiũ occuparat, ad portum urbis, quẽ Vuarnauu uocant, arcẽ in fundo ciuium mira celeritate construere incipit, atq; ea ita exædificata, ut inde ciues tumultuaturi, coherceri atq; repelli possent.

Mense Martio sequenti, tormẽta bellica ciuitatis cum necessario apparatu, puluere intrato, sulphure, omnibusq; alijs in eam transfert, non citra summũ ciuium dolorem, id contra immunitatẽ ciuitatis, ac transactionem cum eo factam esse conquerentium.

Die tertio mensis Martij, in regno Scotiæ, nobilis Pedemontanus, Reginæ cubicularius, in præsentia Regis atq; Reginę prãdentium occiditur: quæ cædes, quoniã maximæ mutationi regni occasionẽ præbuit, atq; ostendit, quam ex uno delicto satanas longum horribilem telam scelerum & pœnarum texere & accumulare soleat, eius narrationem ut ab alijs prodita est literis, breuiter subijciemus. Nupserat Regina Maria post discessum Francisci secundi Regis Galliarum, cuidam Comiti Scotico Heinrico de Arli, filio comitis de Lines, uiginti annorum iuueni, quod non solum animi corporisq; dotibus ornatissimus, sed & sanguine regio prognatus esset, ex eoq; filium masculum, magno cum gaudio totius regni sustulerat, in eius possessione haud dubiè mansura, nisi furiæ infernales quieti publicæ infestæ, ueneno malignitatis siue sparso, discordias excitassent. Habebat Regina in aula nobilẽ Pedemontanũ, quem diximus, nomine Dauidem, cuius ut cubicularij seruitio dum in Gallijs adhuc esset, usa fuerat: Is præterq; quod literis excultus esset, & forma adeò uenusta erat, ut aspectu complures in amorẽ sui pelliceret, utebatur uerò consue

1566 tudine plus quàm familiari puellæ in gynæceo natæ ex familia Doglea, co-
gnatæ regi. Re uerò detecta, parẽs puellæ cũ filiæ amaſio, in præſentia Regis
atq; Reginæ iurgarus eum, puellæ ꝓmiſſum matrimoniũ, pro delicti emenda
tione auerſantem, Regina intercedẽte, Rege uerò diſsimulante, multis uulne
ribus inflictis cõfodit. Neq; uerò hæc Dauidis cubicularij libido ſolum eius
cæde punita eſt, ſed & maximarum calamitatum atq; malorum lernam, toti-
usq; regni murationem ſecũ traxit. Nam Regina quæ cædem cubicularij in ſu
um contemptum factam interpretaretur, ea ſummoperê cõmouebatur, ac ſu-
ſpicabatur Regem ad eam cõniuere, non tãtum ob puellam uitiatã, ſed quod
Dauidem odiſſet, cognito, eum Reginæ diſſuaſiſſe, ne maritũ Regem inaugu
rari pateretur, id quod fieri ipſe ſummopere deſideraſſet, & plærięq; regni pro-
ceres optaſſent: Nihilominus tamen nullo inditio indignationis commonſtrato, dolorem conceptum alto corde premit. Poſtea uerò Rege non ob-
ſcure ſe à Regina in negocijs religionis diſſentire demonſtrante: illa, Calui-
niſmo profligato, religionem Catholicam reſtituêre conante, res eo uſq; per-
uenit, ut neuter alteri fideret, ſed omnis amor in odium cõuerteretur. Auctus
porrò eſt Reginæ rancor, tanto magis, quod circiter idẽ tempus Regi ex qua
dam puella nobile filiolus naſcererur, unde ipſa zelotypia accenſa, omne cõ
ſortium Regis reſpuit, priuatam uitam agens. Sed Rex, qui optimè animum
Reginæ blandis uerbis demulcere atque lenire noſſet, ſe ægrotum ſimulat;
ut hac ratione ei occaſio ſe inuiſendi, mutuoq; reconciliandi detur, ut & ac-
cidit. Nam longinquitate temporis ardore indignationis teſtincto, uel illa,
ut euentus oſtendit, reſtinctum ſimulante, Rex cum illa, ſe accedẽte, ita huma
niter & ſuauiter ſermones commutat, ut reconciliatæ annulum daret, hoc pa-
cto, ut illa ſe in lectum coniugalem infra duos dies admitteret. Erant in aula,
quibus hac reconciliatio non admodum placeret, & qui haud dubiè largitio-
nibus corrupti, hanc offenſionem placari minimè uellent, unde priuſquã Rex
uoti compos fieret, eum è medio tollere conſtituerunt, uel propter priuatum
emolumentum, uel de cauſa quam diximus. Itaq; ignibus artificioſè conſtru-
ctis, ac puluere nitrato Regem è lecto eleuare, eiusq; ui in aërem abreptum,
necare tentant: fraude autem per puerum quendam detecta, eo momenro,
quo in effectum deduci debebat, Rex è lecto in camiſia proſilit, & tumultu
in palatio cognito, cum puero per uiam occultã, quo ſaluus euaderet, in tectũ
ſcandulare cõfugit, ibiq; ſeſe, quo ad tumultus ceſſaret, occultat: nihilominus
uerò coniuratis cuſtodiam agentibus, ne Rex effugeret. Hic puerũ mittit ui-
dendum, num tutus ſit exitus? Is ergo à coniuratis conſpectus, comprehen-
ditur, ſtrepituq; facto, cum Rex quid fieret deſuper proſpiceret, & ipſe à con
iuratis capitur, & manicis propriæ camiſiæ ſtrangulatur, mortuusq; illic unà
cum puero relinquitur. Ea nex Regis Heinrici nobilibus regni ſummopere
diſplicebat, maximè quod inſidijs comitis Boduel, unius ex regni Baroni-
bus, ei illata eſſet, cuius amore ſeſe flagrare, Regina iam pridem oſtenderat:
quique, quo Reginæ nuptijs potiretur, recens uxorem ſuam repudiarat. Re-
ge itaque ſic trucidato, proceres regni, inter hos maximè Dux Schiattelus
de Roy, & Iacobus Stuardus frater naturalis Reginæ, & Comes Morenſis bel
li pacisque artibus clarus, filiolum Reginæ atque regis necati, ad ſe recipiũt
& quò melius educaretur, tutiusq; cuſtodiretur, eum Comiti Morenſi com-
mendant. Interiectis uerò aliquot diebus, regina comitata quadraginta equi-
tibus, eò ſe confert, filiolum uiſum, inde ſecum abductura. Cæterùm Morenſi
dicente, proceres pupillum cuſtodituros, nec in eius manus tradituros: per-
miſſuros tamen, ut quando uellet, remoto alio ſodalitio duabus nobilibus
mulieribus eum uideret. Ea, ad hoc reſponſum indignata, ſtatim, nec uiſo fi-
liolo diſcedit, nec longè inde digreſſa, in comitem Boduel quadringẽtis equi-
tibus ex compoſito ad ipſam uenientem incidit. eiq; aſſociata, paulo pòſt con
nubio

nubio iungitur. Id uerò nõ minus proceribus regni, quàm necem regis Hein-
rici improbantibus, ipsi, qui hanc arte comitis Boduelij factam iam plenius 1568
cognouissent, sex mille peditum & mille equitum ad eum regno deijcien-
dum conscribunt, populo eorum institutum approbante, qui signum pedi-
sum Edenburgum misit, in quo sub arbore depicta, Rex & puer mortui erãt,
cum pupillo Rege in genu procumbente, atque in capite coronam porrigen
tem libellum supplicem, gestante, quo peteret, patris necem uindicari. Regni
ergo proceres uiso, unumquemq; tremere ac uociferari, duobus legatis ad re-
ginam missis, ei significant, quod cùm certissimè cognouerint, Boduelliũ Re
gis uitæ insidias struxisse, eiusq; iussu regem strangulatum, nolle se, ut tantum
facinus impunitum relinqueretur, sed, ut ob id ipsis traderetur, una cum con-
iurationis socijs ac complicibus. Boduelius eo cognito, statim armis cor-
reptis, ac congregatis tribus peditum millibus & trecentis equitibus, in cam-
pum contra inimicos descendit. Verùm ut numero, sic & ratione hostibus
inferior: manu conserta uincitur ac profligatur, maxima suorum parte in
hostium castra concedente. Quapropter cum se in manifesto uitæ discrimi-
ne constitutum uideret, in arcem Dombarensem confugit, indeq; nauibus
conscensis, uentis, uelisq; sese suaq; committit. Proceres deinde reginam ca-
ptam atque adactam ut iuri ad regnum Scotiæ prætenso renunciaret, idque
pupillo solenniter coronato, cederet, in insulam Lokliuin quadraginta mil-
liaribus Edenburgo distantem relegant, eamque diligentissima custodia
cingunt. Galliæ Rex, & Angliæ Regina, Scotici regni miserijs cognitis, per
legatos aliquoties pupilli tutelam sibi committi petiêre. Eo uerò non succe-
dente, quod proceres regem, in suis manibus esse se uelle responderent, com-
pellandæ captiuæ reginæ facultate petita, idem, quod in priori, retulêre. Et-
si uerò arctissima custodia Scotica custodiretur, factum tamen est, ut fauo-
re quorundam ex ea elapsa, Gallias repeteret. Cæterùm fortuna aduersante,
ab Angliæ Regina intercepta, rursus custodiæ in castello Ponfre uersus Sco-
tiam sito, traditur, in qua adhuc hodierno die seruati dicitur: memorabili e-
xemplo, ne reges atque potentes nimium suis cupiditatibus freti; ac man-
datorum Dei obliti insolescant, sed Deum ac leges reuereantur, cum, ut cer-
nere licet Dei proprium sit, sæpius homines extollere eosque animis con-
ceptis elatos, propriaque libidine omnia agentes, deprimere, prout post ma-
trem saluatoris etiam Ethnici dixêre. Atque inter hos Aesopus interrogatus,
quid Deus in cœlo faceret, respondit eum alta deprimere, humilia è contra
exaltare. Et hæc breuiter de Scoticis rebus dixisse sufficiat, quæ lectorem
de multis rebus commonefacere possunt, maximè de uagis libidinibus ac in-
iustis cædibus uitandis, quæ plerunq; regnorum ruinam attrahere consueue
re, ut rectissimè poëta dixerit.

—Nam cætera regna
Luxuries uitijs, odijsq; superbia uertit

Decimo die Martij dum Cæsar Maximilianus conuentum Augustæ agit,
ad concilianda sibi contra Turcam & Transyluaniam Vuayuodam auxilia;
nec hic suo officio deest: nam literis publicatis, Thordã omnes proceres Hun
gariæ euocat, quò etiam tres nationes Transyluaniæ sint uenturæ: proceres
dulcissimis uerbis illectans, ut deliberationi concernenti omnium salutem
atque commoda intersint, uel ad eam legatos prudentia & grauitate insig-
nes, cum sufficiente mandato mittant, Turca cui deditus sit, omnem bene-
uolentiam ipsis promittente. Cæterùm his literis per Vngariam sparsis,
Schuuendius, qui ab Imperatore administrationi rerum Hungaricarũ præfe-
ctus esset, quarto Martij contrarium mandatum ad Hungaros dirigit, in quo
significat, sibi ex multis partibus literas Trãsyluani refectas falsis coloribus &
manifestis dolis ac circumuentionibus transmissas esse, quibus Cæs. Maiest.

1566 fideles subditos, prætextu beneuolentiæ Turcicæ seducere conetur: quasi uero Turca de Hungariæ salute & conseruatione sollicitus sit, qui centū & pluribus annis nihil aliud quæsiuerit, quàm ruinam & interitum regni Hungarici, tàm ciuilis dissensionis cōcitatione, quàm armis atq; bellis illatis. Ac, etsi nullatenus dubitet, ipsos, pro sua prudētia & imminentis periculi magnitudine, clarè ac manifestè perspicere, quib. artibus atq; dolis petentur, nihilominus tamē sui putasse officij esse, eos literis cōmonefacere, ijsq; significare, à Cæsarea Mai. nihil maiori diligentia & desyderio quæsitum, quàm pacem cum Turca & Transyluano: uerùm eam calumnijs & stimulis Transyluani impeditā. Ne itaq; quidq; de fidelitate remittāt, eos se adhortari, & cum bellū hoc iustū pro libertate ac religione susceptū sit, eos non debere de auxilio Dei diffidere. Ad extremum uerò nomine Cæsareæ Maiest. expresse uetat, prohibet atq; interdicit, ne quidq; negotij cum Trāsyluano habeāt, uel legatos ad cōuentus ab ipso indictos mittant, sub pœna rebellionis, ac præmij debiti transgressoribus expectatione.

Vicesimoprimo Martij, tandē per Albertū Bauariç ducē, nomine Imperatoris capita deliberationis futuræ Augustæ ꝓponuntur, nimirū pacē religioni datam seruandā, ac de rationib. quib. exortæ nōnullæ sectæ, ne pace religionis cōprehensæ tollātur, cogitandū: Deinde quomodo cōstitutio de pace publica, iam ante multos annos ꝓmulgata, emendāda, & uiolenta inuasio ac occupatio ciuitatis Herbipolensis, cōtra eam superiorib. annis facta, cum debita proscriptionis executione sit uindicāda: Adhæc, quomodo lites in Imperio, æquabili iuris administratione ac celeriori cursu sint dirimendæ. Præcipuè uerò & ante omnia, qua ratiōe Turcæ hæreditario Christiani nominis hosti, ualido ac firmo auxilio occurri pośsit. Ac statim quadraginta millia peditum & octo millia equitū ad 8. menses: lis uerò exactis, dimidia pars ad 6. annos loco durabilis subsidij ꝓ defensione Christiani sanguinis ab Imperatore petuntur.

Martij die 23. hora noctis 11. Vuolffgāgus Princeps Anhaltinus, natus patre Voldemaro, & Margarita Schuuartzburgica, anno 1492. cum ditionē auitā, quam 54. annos rexerat, agnatis Anhaldinis gubernandam tradidisset, Seruestæ, febri in Christo placidè moritur, atque ibidem in æde D. Bartholomæi, mensis eiusdem, die 27. hora decima sepelitur, nullis liberis ex se relictis, cum toto uitæ tempore cœlebs mansisset: sorores uerò habuit duas, quarum Barbara Heinrico Duci Plauuensi: Margarita Iohanni Electori Saxoniæ nupsit, cuius affinitatis nomine etiam Saxoniæ ducibus gratissimus fuit.

Mensis Aprilis initio, toto Belgico introductionē inquisitionis Hispanicæ auersante ac ad mutationē religiōis respiciēte, plerig; ꝓceres ac nobiles, quos ea res fœdere iūxerat, numero circiter 40. Bruxellas confluunt, ac audientia à gubernatrice Margarita Parmēse impetrata, in præsentia cōsilij, præsidū prouinciarum, & equitū aurei uelleris, quinto dicti mensis die, oratore Heinrico Bredenrodio, duce ipsorum sese de diffamatione cōiurationis cū exteris Gallis & Germanis principibus initæ purgant, id unq; sibi in mentē uenisse pernegātes, simulq; orātes, ut delatores & diffamatores honestissimæ societatis nominentur & manifestentur, ac in exemplum aliorum & euitationem maiorum motuum debita pœna afficiantur: Eaq; oratione finita, nomine totius societatis Ducissæ libellum supplicem exhibet, petens: eum in præsentia eorum quos cōsilio adhibuisset, prælegi. Eius summa hæc erat: Fidelitatē & obedientiam populi Belgici erga magistratū, semper & adhuc per totā Christianitatē summopere celebratā: nobilitatē uerò primas semper in hoc tulisse partes, q̄ nec uitæ, nec bonis pepercerit, ꝓ cōsternatione & incremēto suorū dominorum, id quod & ipsi humillimi Regiæ Maiestatis seruitiores sint cōtinuaturi; ita, ut die noctuq; parati sint ad omnia submissisima seruitia ei præstanda:

Quareq;

Quare, cum præsentem rerum statum considerarint, maluisse se offensiuncu-
lam incurrere, quàm Ducissam celare, res quæ in posterum Regiæ Maiestati 1566
graui præiudicio cedere, & successu temporis tranquillitatē ac ocium Belgici
perturbare, bona spe euentū rerum ostesurum, inter alia officia, quæ fecerint,
uel in futurū Regiæ Maiestati præstare possint, hoc inter præcipua & notatu
dignissima reputādum, nec à Ducissa in aliam, quàm optimam partē accipien
dum. Etsi itaq; non dubitent, quin id quod Regia Maiestas ratione inquisi-
tionis & arctissimæ obseruationis placitorum de religione præterito tempo
re constituerit, & iam renouarit, iusto titulo ac certis rationibus nitatur, maxi-
mè ad cōtinuanda ea, quæ inclytæ memoriæ Carolus V. bona intentione sta-
tuerit: tamen uideri, quod temporis diuersitas atq; mutatio, secū quoq; reme
diorum uarietatē adferat, & quoniam aliquot annis, placita non obstante eo-
rum executione pluribus incommodis occasionem dederint. Sanè ultimum
Maiestatis eius responsum, quo non solum uetet placitorum moderationem,
sed expresse præcipiat inquisitionē, & seueram placitorum obseruationem,
ipsis dare sufficientē & iustam causam metuendi, ne dicta incōmoda & mala
solum augeantur, sed tandem etiam motus atq; seditio generalis exoriatur,
quæ in miserabilem ruinam atq; interitum totius Belgij tendat, prout manife
sta indicia mutationis populi ubiq; apparentia, id ad oculum quasi demon-
strent. Quare animaduersa magnitudine periculi imminētis, se, hactenus bo
na spe fuisse, fore, ut aut proceres, aut status Ducissam commonefacerēt, quò
ea mature hisce occurreret causa & origine mali sublata: uerùm cum uiderint,
id ob causas sibi incognitas prætermissum, & indies mala crescere ita, ut peri-
culum seditionis & defectionis generalis pro foribus sit se suo officij putasse,
cum ob iuramentum fidelitatis & homagij tùm propensionem erga Regiam
Mai. & cōmunē patriā, non amplius cunctari, sed præ alijs debitum præstare,
idq; tantò liberius, quò maiorē causam sperandi habeant, Regiam Maiest. hāc
cōmonefactionem in optimam partem accepturam, attēto: quod hæc res nul
lum magis tāgat, quā ipsos, qui calamitatibus, quæ ex huiusmodi motib. oriri
cōsueuerunt, maiore parte suorum bonorū ac domiciliorū in agris sitam, plus
alij expositi sint. Hoc ergo ad animū reuocato, sibi necessitatē impositam du-
cissæ supplicādi, ut & præsentibus hisce ei supplicent, quo malis remediū adhi
bere uelit, & rei magnitudine id exigēte, quam citissimè quendā ex interiori-
bus ad Regiam Ma. ablegare, qui eam de hoc certiorē reddat, ac nomine ipso
rum humilimè roget, ut nūc, & in futurū his incōmodis medeat: id uerò fieri
posse placitorū rigore remisso (qui radix atq; origo multorum malorū sit) &
ratione instituta, de eorū abolitione, q̄ omnino sit necessaria, ad auertendā rui
nam atq; interitū Belgio imminentē: & ne occasionem habeat cogitādi ipsos,
qui nihil aliud quàm submississimā obedientiā polliceantur, Regiæ Maiestati
uel frenum inijcere, uel modū regendi præscribere uelle (ut non dubitent, ad-
uersarios eorum id sinistrè interpretaturos) relinquere se Regiæ Maiestatis ar
bitrio, ut alias constitutiones consilio & consensu generalium statuum faciat,
quo conuenientibus & periculo tam euidenti carētibus rationib. malis com-
memoratis cōsulatur: humilimè posthæc se Ducissam rogare, ut interea dum
ipsorum petitio, ad Regiā Maiest. deferatur, eaq; quod iustum fuerit statuet,
illa periculis relatis generali suspensione tàm inquisitionis quàm executionis
placitorum occurrat, cum expressa protestatione, se hac præsenti commonefa
ctione, officio suo defunctos, ita ut corā Deo & hominibus culpæ exempti
esse uelint, & si ulla incōmoda, seditio, rebellio, atq; effusio sanguinis in poste
rū oriantur, ob debitorū remediorū defectū insimulari nolint, quasi incōmo-
dū tàm euidēs celarint. In testimoniū eius rei Deū, Regē, Ducissam & cōsilia-
rios eius, atq; propriā cōscientiā adhibētes, q̄d egerint, ut bonos seruitores, &
fideles

1566 fideles uasallos deceat. Ducissa libello supplice accepto, ac re cum suis cōmunicata, respōdet, se cōtenta supplicatiōis intellexisse ac cōstituisse, eā ad Maiestatē Regiam trāsmittere, seq; facturā omnia, quæ cōducere existimet, ad persuadendā Regiam Maiestatē, quo petitioni supplicū annuat, qui interea nihil aliud sperare debeāt, quā res dignas atq; cōformes solitæ atq; innatæ Clementiæ Regiæ, se ante supplicātium aduentum de sententia Gubernatorum prouinciæ, Equitum aurei uelleris & consilij laborasse, de cōcipienda formula moderationis placitorū, de religione, quā Regiæ Maiestati offerret quā ipsa speret talem fore, ut quilibet ratione recte subducta, ei sit acquieturus. Et quandoquidem ipsius autoritās, ut supplicantib. optimè cōstet, eò usq; extēdat, ut inquisitionem & placita suspēdere ausit, nec regionē, ratione religionis absq; lege relinqui conueniat, se confidere, supplicantes contentos fore eo, quod ad Regiam Maiestatem hoc negotium deferat, interea uerò dum responsum adferatur se prouisuram, ut tam inquisitores, quàm Officiales in munere commisso, discretè atq; modestè procedant, ita ne quisquam conquerendi causam habeat: similiter quoq; se confidere supplicantes ita sese in omnibus gesturos ne aliæ uiæ suscipiendæ sint, ac sua diligenti intercessione apud Regiam Maiestatem se rem eò deducturam, ut alij, apud quos inquisitio introducta sit, ea liberentur, prout id ex eo animaduerti queat, quod ciuilibus ciuitatibus Brabantiæ, id petentibus iam indultum sit: seq; tanto maiore fiducia omnem diligentiam in hoc adhibituram apud Regiam Maiestatem, quod pro certissimo habeat, supplicantibus statutum ac fixum animo esse, nihil in antiqua religione hactenus in istis terris obseruata innouare, sed eam pro uirili defendere atque tueri uelle. Socij hoc Ducissæ responso audito, quo minimè ipsorum uoluntati satisfiebat, rursus quidem acrius instabāt, sed semper simile ferè responsum referentes, ei acquiescunt, ac omni modestia in suis actionibus promissa, inde discedunt. Hoc ante discessum inter se constituto, ut omnes confœderati ad demonstrationē societatis initæ portarēt nomisma, à collo depēdens, cui effigiē Regis ab altera parte cōtinenti, inscriptū erat literis Gallicis: FIDELES REGIS: in altera uerò mendici perula duplex, sustētata à duab. manibus, hæc uerba: VSQVE AD PORTANDVM BISACCIVM. Bisacciū nominantes lingua populari perā mendici, q̄ humeris imposita, à parte anteriori & posteriori dependet: Symbolo autem commonstrare uolentes, se Fideles Regis subditos esse & paratos, omnia impendere in eius seruitia, etiam ad mēdicitatem & extremam inopiam usq;: habitum etiam coloris cinericei assumpsēre, quē tamen ditiores atq; honoratiores limbis aureis circumdedērunt, & ut peregrinantes ad loca sacra, pileis cocleas appendere consueuerunt, ut hoc modo melius ipsi personam mēdicorum quos Gueusios uocāt, referrēt, uestib. suis scutellas accōmodarunt. Hæc ob id eò libentius faciebāt, quod cum primum palatium Bruxellæ ingressi, atq; à Barlamontio ipsorum religioni summopere contrario cōspecti fuissent, is sermone ad asidentem conuerso, lingua populari dixerit: Ecce, egregios meos Gueusios. Hoc itaq; ad nobiles delato, illi hac occasione nomen hoc uoluntariè retinuerunt: atq; ut Hugenotti in Gallijs, sic in Belgico postea pontificiam religionem auersantes Gueusi dicti fuēre Ea uerò uoce non saltem mēdicitas proprietate linguæ Belgicæ, sed & contemptus & ignominia quædam exprimitur cum prouerbio dicatur, uiginti quatuor furciferos unum Gueusiū constituere. Atq; hæc uera nominis Gueusiorum origo fuit, de Hugonotorum uerò superius à nobis dictum est.

Vndecimo die Aprilis in Hungaria, maximè Posonij, tēpore meridiano per aliquot dies stella lucida cōspicit Solē sequēs, ac ab oriēte ad occidentē ꝓgressa tandē euanescit. Hanc, rerum naturaliū periti, stellam Veneris esse existimarunt: eamq; Georgius Purkirrher Posonij, medicinæ Doctor, Turcæ aduentū portendi

portendi dixit, qui ab Oriente uersus Occidētem ueniret, ibiq; moriturus esset, non secus ac stella post solem occidisset. 1566

Aprilis die 23. durantib. Augustanis comitijs, Augustus Elector Saxoniæ sub aperto dio Electoralis dignitatis & aliorū ducatuum inuestiturā à nouo Imperatore in habitu Electorali maxima pōpa suscipit. Nam duodecim dominiorum uexilla à duodecim comitibus equis insidentib. atq; serica ueste indutis ferebantur & Augusto sex principes, ad hunc actum peculiariter rogati, inseruiebant, Vuolffgāgus Palatinus Rheni, Georgius Fridericus Marchio Brādenburgicus, Christophorus Vuirtenbergicus, Ioānes iunior dux Holsatiæ, Ioachimus Ernestus Anhaldinus, Heinricus Lignicius Silesius. Inter hos autem Vuolffgangus Palatinus, pro more, ad Cæsarē uerba faciens, Augustū præstito iuramento in fidē recipi, elegāti oratiōe petebat: Cæsari in tabulato ad hoc peculiariter cōstructo, præter Electores quatuor Albertus Bauariæ Dux, Vilhelmus Iuliacensis, Electoris Palatini duo filij, Marchio Ioāne Georgius Brādenburgicus, & Iohannes Fridericus Pomeraniæ dux cum multis alijs Comitibus atq; Baronibus, ministrabāt. Comitatus in Augustum præter Principes ac comites sequebatur, circiteruiginti alis equitum constabat.

Eodem hoc die Maximilianus Cæsar qui paulo ante Vngarorū prōpta auxilia in Possoniensi cōuentu obtinuisset, per Carolū fratrem, Viennæ etiā Austria corum suorum in tāta belli imminentis necessitate agit, petens è qualibet domo florenti solutionem à nobile centum florenorum reditus habente equi sustentationē. Ad hæc ut fossores pro cōstructione propugnaculi Viennensis mitterentur, nullus ministrum. Vitæ ante actæ testimonio prioris Dñi, careitem reciperet, & ut ex qualibet domo, quintus, decimus, & tricesimus, militatum iret. Postremò ne quis alio in militiā proficisceretur, & de commeatu annuo quisq; sibi prospiceret, qui id non posset, abeundi licentiam esse, &c.

Maij nono D. Georgius illustris ordinis Theutonici per Borussiā administrator generalis, eiusdemq; per Germaniā & Italiā supremus magister, ꝓ ordinis sui honore, & ipse sub aperto dio, inuestiturā regaliū Imperij, tāta pōpa suscipit, ut ea nō minus quam Augusti Saxoniæ Electoris digna publica diuulgatione uisa fuerit.

Decimotertio deinde eiusdem mensis, Vuilhelmus à Grūbach cum socijs conspirationis, quos Herbipolim diripuisse ac pacem in Franconia anno 63. perturbasse diximus, noua proscriptione, omnium statuum consensu aggrauantur. Miserat eò Iohannes Fridericus Dux Saxoniæ suos legatos inter hos præcipuum Henricum Husanum, Iuris utriusq; Doctorem, per quam facundum qui negotium ipsorum apud status ageret, & pro prioris proscriptionis annulatione sollicitaret: Sed, is partim alijs dissuadentibus, partim magnitudine negocij deterritus, principi, ut proscriptos dimitteret literis consuluit, eumq; Dei & hominum salutares admonitiones spernentem deserens, ad eos trāsijt, quorū admonitione ipsum à cōcepta pertinacia abduci posse censeret.

Mense Maio grauioribus rebus consultatis atq; duplici hosteditiarum Romanarum ut uocant, auxilio approbato duces belli ad conscribendas copias pedestres atq; equestres, easq; Viennam quam maturrimè deducendas ablegantur, Philippus Marchio Badensis, Guntherus Schuuartzburgicus, Georgius Helfensteinius, Burchardus Barbiensis, Bernhardus Hardeckius, Ludouicus Vngnadius comites, alijq; Duces nobiles, Nicolaus de Hatstatt Alsatus, Vilhelmus Vuallerthumb Treuirensis, sed Saxonicis ciuitatibus militās, Iacobus Schulenburgicus Saxo, Christophorus Schellendorff, Georgius Praun, Christophorus Liechtenstein, Zacharias Grumberg, & Alphonsus Castaldus.

Neq; uerò tantū de negotijs, quæ ꝓposita ad deliberandū fuisse cōmemorauimus

1566 tauimus actum,sed & alijs. Nam pręter principũ inuestituras illic susceptas,legatione missa subditis Ducis Finatiẽsis,qui ad arma cõsurrexerãt,cõtra dominum,obediẽtia iniuncta est. Et de pace,inter Reges Daniæ & Sueciæ belligerantes,cõstituenda,rationes susceptæ fuere. Electori quoq; Palatino Friderico,qui religionẽ nõ approbatã fouere,& Episcopi Vuormatiẽsis ditionis nõ nulla occupasse accusaretur,negotium exhibitũ,sed ita,ut quã aduersarij sperarant,ipse uictoriã retulerit,bona occupata cum religione retinẽs. Porrò præter Imperij Electores Moguntinũ Danielem,Iohãnem Treuirensem. Fridericum Coloniensem,Fridericũ Palatinum,Augustũ Saxonẽ,aliosq; spirituales atq; seculares Principes cõplures etiã illic cum duobus Cardinalibus Germanis Marco Sittichio Cõstantiensi & Ottone Augustano Episcopis, pontificius legatus Cõmendonius adfuit,cuius opera Cõcilij Tridentini decreta Catholicis Germanis oblata acceptaq; fuere. Ad finem uerò Maij solutis comitijs Cæsar in insula Danubij,nauibus conscensis Ratisbonam pergit, ac ciuibus in fidem receptis,Viennam contendit.

Iunij die sexto,cum quarto antè Imperator ex comitijs Viennã appulisset, Bassa Budẽsis Palotam octo Millibus peditum obsidet,eiusq; muros per Octiduum uiginti quinq; tormentis bellicis ita concutit,ut ad terrã collaberentur,& propugnatores in extremo periculo uersarẽtur. Præerat defensioni Georgius Thuuri eius loci Capitaneus Cæsareus,uir bellicosus,qui, dũ inspiciendo partes muri collapsas,quantumuis lethaliter circa ilia uulneratus esset, officio tamen suo atq; fidei non defuit,ac Turcis arcem assilientibus,& ita tormentorum bellicorũ fulmine ferientibus,ut in ea ultra sexcentæ pilæ tormentariæ inuenirentur,fortiter tamen eò usq; ipsis restitit,donec quod die decimotertio ex insperato duodecim signis peditum Germanicorum Georgius Helffensteynius aduenit. Eius itaq; aduentu Bassa Turcicus per exploratores cognito,obsidione soluta,atq; tentorijs cum aliquot uasis pulueris relictis,discessit,atq; prope Albam Regalem castra posuit. Interea uerò alij,quas cõscribere iussi erant pedestres legiones,quanta celeritate potuêre, etiam adduxerunt,quarum primæ Romerus,secũdæ Vallerthumus,tertiæ Hatstatus,quartæ Helffensteinius,quintæ Poluilerus præfuit.

Iunij die ultimo,quod 29 eiusdẽ obsederãt Cæsariani Vesprinium oppidũ cum arce,expugnatione capiunt. Id uerò ita accidit,cum Palotã obsidione liberassent,atq; refectã Præsidio & cõmeatu muniissent. Eccius Salmẽsis & Georgius Helffensteinius,copijs coniunctis,quæ circiter uiginti duorũ millium erant,ad obsidendum id ire inter se constituto,Maiorem Vualandum,unum ex præfectis Georgij Thuuri cum aliquot leuis armaturæ equitibus præmittunt. Hic ergo Tatã,quæ Germanis Totis dicitur,iturus,in septẽ prædatores Turcas incidẽs,quinq; eorum occisis,duos secum captiuos in castrã abducit. Itaq; hi pro more militari examinati,confitentur se à Gubernatore Vesprinensi,quem illi Begum uocant,speculandi gratia emissos,eum præcedẽti die trecentis equitibus Turcicis leuis armaturæ in insulam quandam prope Albam Regalem Bassa Budensi pertinẽtem,ad carpendos Cæsarianos secessisse Vesprini ultra trecentos non relictis,cum cõfessione sanctè asseuerantes, si Cæsariani ante reditum oppidum obsideant,hos illo potituros. Hoc itaq; cognito supremi duces eò cõtendunt,cum aliquot cursoribus speculãdi gratia, Eccio Salmẽsi præcedẽte. Eo ergo cõspecto,Turcæ qui præsidio Vesprini relicti fuissent,duo maiora tormẽta bellica tãta uehemẽtia displodunt, ut muri in quibus starent,ad terrã conciderent. Id Salmensis pro sui ingenij acumine felicissimi ominis loco accipiens,ad exercitum mittit,& ut mox subsequatur admonet,Deo locum ad hostes inuadendos aperientẽ. Eò circiter noctẽ appropinquãte,nihil agi potuit,sed in diẽ sequẽtẽ res tota dilata fuit Turcæ uerò noctis benefi-

beneficio usi, nihil sibi ad reficiendos muros reliqui fecere. Nihilominus tamen Salmensis, prima luce adueniente, scalis muro appositis suos ascendere iubet, ignem tectis ædium inijciens, ac portis oppidi accensis, in oppidum irrumpens, obuios omnes trucidat. Turcarum præcipui, hoc consternati in munitissimum locum conuolantes, ac extremam necessitatem ob oculos ponentes, deditioni se offerebant, sed arce nihilominus occupata, omnes præter quinque occisi fuere. Tale exemplum ideò in ipsos statutum, quod paulò antè captiuorum magnum numerum crudeliter necassent, uiuus illic cum quinque alijs captus est gubernator Albæ regalis, qui in custodiam Possonium est ablegatus. Hac ergo uictoria obtenta, Salmensis Vesprinij præsidio relinquit, Georgium Thuuri, qui Palotæ defensionis præfectus fuisset, & ipse cum suis copijs Giauarinum se recipit, Palotæ defensionem Germanis committens. Anno 1566.

Secundo Iulij Bassa Pertauus, & Vezirius (id est, Turcici Imperatoris consiliarius) Iulam Ciuitatem quinque millibus Turcarum obsidione cingit, mox se ipsi coniungente cum copijs Tartaricis & alijs, Bassa Temesuuariensi, ita ut, obsidentium numerus ad triginta sex millia ascenderet. Præpositus erat Iulæ Ladislaus Keretschinius Hungarus, quòd longo tempore antea eam tenuisset. Cæterùm hoc tam periculoso tempore præter alia necessaria, duobus uexillis militum, quibus Gorgêrus ex Austriaca, & Hoppenradius è Marchitica nobilibus familijs nati, præfuère, firmioris præsidij gratia auctus. Is Turcis ciuitatem, quæ semper munitissima habita fuit, incessanter tormentorum displosione uerberantibus, ad quintum absque diem restitit. Cùm autem de eius defensione desperaret, ciuitate incensa, in anteriorem arcis partem quam Hungaricè Huzzaruuer uocant, se cum suis recipit.

Iulij duodecimo Iohannes Fridericus Dux Saxoniæ quem superius proscriptis in comitijs Augustanis fauisse diximus, admonitus per legatos Electorum, aliorumque propinquorum Principum, qui ipsius commodis studerent, ut proscriptos, quos receptasset, dimitteret: Legatis prolixè respondet, ac Grumbachij egregijs facinoribus à prima pueritia repertis, quam bene non tantum de Marchionibus Brandenburgicis, sed & Carolo V. ac Diœcesi Vuirtzburgica meritus sit, commemorat, ipsius sociorumque in diripienda urbe Herbipolensi factum excusans, quamplurimis exemplis allegatis, ac inhumanitatem aduersariorum Grumbachij exaggerans, qui nulli iuri uel transactioni locum dare uoluerint. A' Ferdinando inclytæ memoriæ, & Maximiliano Imperatoribus, eorumque Vicecancellarijs Seldio & Zasio optimam compositionis spem proscriptis, si tranquillè degerent ostensam, se itaque pacis publicæ conseruandæ studio, & in honorem Imperatoris, eos in fidem suam recepisse, uerùm spem conceptam de compositione delationibus euersam. Verumenimuerò etsi fidem proscriptis datam inuiolatam, ut Principem Germanum decear, seruare cogitet, tamen se eos ulterius non detenturum, sed dimissionem ipsorum primo quoque tempore promoturum esse, modo, quàm ipse pacem coluerit, hac sibi quoque gaudere liceat. Et hæc quidem legatis pro responso dabantur, intereà uerò Grumbachius consiliarius fouetur. Idque ipsum ita coloribus ornatur, ut apud uulgus, incredibilem applausum mereretur. Verùm prudentiores re diligentius ad trutinam reuocata, ac periculis Principi imminentibus consideratis, uicem eius deplorabant, qui unius atque alterius proscripti, maximè Grumbachij, maiorem quàm salutarium propinquorum admoni-

Anno 1566 monitionum rationem haberet, cum ab illo in bello Schmalcaldico, Carolo Quinto Imperatori militante, parentis Iohannis Friderici Electoris partibus grauissimum damnum illatum recordarentur, eius opera non saltem equitio comiti Burano hinc inde conscriptis, sed & uia transeundi Rhenũ, in confœderatorum exitium, commonstrata.

Vicesimo primo die Iulij Eccius Salmensis cum suis copijs, denuò Gíaurino egressus, Tatam inde quinq; milliaribus Germanicis & Cumaro duobus distantem, contendit firmissimo proposito, se non prius inde discessurũ quàm eam expugnasset, quod ex ea stipendiarijs Cæsareis, in uicinis arcib. degentibus, plurimum detrimenti inferretur. Itaq; eò ueniẽs, atq; colloquio cum præsidiarijs de deditione habito, cum hi ad tempus præfinitum nihil responderent, ipse cum exercitu arci appropinquans, in loco cõmodo sex tormẽtis bellicis dispositis, tanto impetu muros ferit, ut pars muri prosterneret, ac etsi præsidiarij tanta promptitudine eã reficerent, ut locus irrupturis præcluderetur: nihilominus tamen Vuilhelmo Vualerthumio Duci imperat, ut sua cum legione irruptionem tentet. Verùm magnitudine negotij atq; periculi conspecta mox aliud consilium init. Nam ad sinistram partem arcis, mille sclopetarijs in fossam cum scalis dimissis, mille uerò alijs è regione muri diruti collocatis, ipse cum duobus millib. ad portam castelli progreditur, quò cum uenisset, omnibus signum oppugnationis præbuit. Turcis itaq; ad defensionem muri collapsi, & ad repellendos hostes à parte sinistra murum conscensuros concurrentibus. Ipse cum suis duobus millibus tanto impetu portam castelli inuadit, ut ea perfracta, ui irrumperet. Itaq; Turcæ omnes resistentes frustatim cõcisi sunt, præter quinquaginta, qui cum in turrim quandam se recipissent, certis cònditionibus deinde se dedidère: Inter hos fuère gubernator Tatensis, & Vesprinensis, ac propinquus Bassæ Budensis, uiri apud suos maximæ dignitatis, qui Viennam ablegati fuère. Imperator hoc nuncio expugnatæ Tatæ uicesimo secũdo Iulij accepto, nec risum, nec aliud lætitiæ signum edidit, sed Deo collaudato gratias egit. Duces uerò minime hac uictoria contenti, castellum GESTER petunt, Turcæ autem aduentantes conspicati, munitione relicta, inde aufugiunt: Porrò incolæ Vethæm, Ischoki, & aliorum castellorum, Casarianos præda frustraturi, cũ eos appropinquare cognouissent, munitionibus crematis, fuga Strigonium euadunt. Duces his locis per quam commodis, ad inuadendum Strigonium occupatis, inter se de obsidendo eò conuenerant. Verùm re ad Imperatoris deliberationem transmissa, minimè consultum est uisum, ciuitatem tam potentem atq; munitam, tam exiguo exercitu tentare. Quare, cum Tata procul à Danubio distet ut eò cõmeatus facilè apportari nequeat, Salmensi Comiti Imperator mandat, ut inde se ad Insulam Comarri recipiat, ibiq; subsistat, donec quod uel se ipsi coniungat, uel aliud statuar. Neq; etenim Imperator quod copiæ uniuersę nondum conuenissent & de Solymanni Turcę, (qui Belgradum appulisset.) instituto, quicquam certi ac explorati constaret. Vienna ad huc mouerat, sed aduentantes sollicite in horam expectabat. Et quidem illæ quo poterant studio accelerantes, sub finem huius mensis atq; initio sequentis uarijs ex partibus confluxère. Nam non solum Germani conscripti, sed exteri complures sacræ militiæ studio, exciti, suis sumptibus comparuère.

Inter hos Albertus à Lasko Baro quidã Polonus, attamẽ multorũ castellorum in Vngaria dominus, duodecim cisijs accurrit paulò pòst trib millibus Polonorum eum subsequẽtibus, quos habitu Hungarico uestierat, ne Regi suo, qui pacẽ cũ Turca pactus fuerat, incõmodi quid generaret: Dux quoq;

Sabaudiæ Philibertus Emanuel, quadringentos equites sclopetarios, comite Camerano duce misit. Fuêre & ex Anglica nobilitate, qui suis sumptibus hāc militiam sequerentur, inter hos Richardus Greyueulle, Henricus Ciamberuo nus, Philippus Budshall, Thomas Cotton, Guilhelmus Georgius Capitaneus, non contemnendi nominis cum suo comitatu. 1566.

Duodecimo Augusti, maiore copiarum parte congregata, atq; rebus Viennæ constitutis, officijsq; militaribus distributis, ita ut Dux totius exercitus Ferdinandus frater Imperatoris, Guntherus Comes Schuuartzburgicus eius legatus, Ioannes Fridericus Dux Pomeraniæ aquilifer, Paulus de Zara munitionū præfectus essent: Imperator pro gloria Christi ac salute & libertate patriæ defendenda, cum suis Vienna mouet Altemburgum, ulcum duobus miliaribus Giaurino distantem, quo uniuersis copijs conuentio indicta fuerat. Posonij uerò, quod inde circiter tria miliaria distat, eius aduentum operiebantur Bohemorum auxilia, septem signa equitum constituentia, cum alijs è Silesia, Morauia & finitimis regionibus euocatis atque conductis, à Comite Gunthero Schuuartzburgico & Teufello equitum præfectis. Interea autem dum Altenburgi exercitus hæret, eò quamplurimi uoluntariè militaturi ueniunt. Atq; inter eos quidem ex Gallis Dux Guisius, Francisci Guisij filius, Brisacus & Lansacus Comites, Philippus Strozza alijq; nobiles quàm plurimi, qui Melitensibus opitulaturi, cùm cognouissent, Turcas retrocedere, Italia perlustrata, in Hungariam contenderunt, ut huic bello interessent. Deinde quoque eodem applicuit Dux Ferrariensis, secum adducens circiter quadringentos nobiles & trecentos bombardarios, perquàm egregiè instructos. Similiter quoq; ibidem sese exercitui coniunxêre Vuolffgangus & Richardus Palatini agnati, sexcentis equitibus instructissimis, uoluntariam militiā secuti, cum secundo genito Bauariæ filio, quadringentos equites adducente, alijsq; quàm plurimis ex uarijs locis eò confluentibus. Congregatis itaq; copijs, Imperator se cum Salmensibus coniungit, atq; Comarum usq; ad reprimendam hæreditarij Christiani nominis hostis potentiam progreditur.

Decimoquarto & cæteris subsequentibus diebus, Hispani cum iam pridem Belgij in ordinem redigendi, ac Pontificij suæ potentiæ amplificandæ intenti, nouis Episcopatibus erectis, Hispanicam inquisitionem, introducere satagissent, nobilitate & plebe, quo hæc machina tenderet, animaduertētibus, ac supliciter deprecantibus, ne quid contra statuta ac priuilegia à prædecessoribus indulta atq; concessa attentaretur, & nihil præter oppresiones obtinentibus, patientia in furorem uersa, arma non quidem contra Magistratum, sed imagines sumpta fuêre, idq; non in uno loco, sed (ut in seditione fieri consueuit) motu, totum ferè Belgium peruagante. Nam & imagines Bosleduci, Brèdæ, & Bergis, mox quoq; Gandaui, Iperi, Vdenarij, fractæ: deinde quoq; Vltraiecti, Ambsterodami, Harlemi, Leideni, Delphi, eodem hoc mense deiectæ fuêre. Requireret rerum quę hanc iconiachiam subsecutę fuêre magnitudo, & de inquisitionis Hispanicæ origine, & nouorum Episcopatuum in Belgio fundatione, simulq; uarijs actionibus subditorum ad impedienda ea susceptis, prolixiorem commemorationem: uerùm quia hæc ab alijs antea peculiaribus libris exposita, leui quasi brachio ea nobis attigisse sufficit. Porrò hac iconiachia Antuerpiæ patrata, mercatores grauissimè perculsi, eam non nisi pro inditio atque initio maioris facinoris, quod homines nequam molirentur, interpretabātur, nimirùm ut prima quoq; commoditate, tabernas ipsorum & aliorum incolarum inuaderent atq; diriperent: metuentes, ne his minimè contenti, ad cædes & effusionem sanguinis descenderent, licet id hactenus minimè factum fuisset: unde generalis intermissio negociationis exportatio mobilium atq; emigratio multorum mercatorum subsecuta est.

1566. Vicesimo septimo Augusti Schuendius, qui cum suis copijs in superioris Hungariæ partibus, quæ uulgò Zipsium nominantur, esset, nec cum Cæsareis se coniunxisset, Tartaris congressus, eorũ circiter decem millia fundit fugatq́;, Begorum Turcicorum altero interfecto, altero uerò lethaliter sauciato. Deinde tres arces Georgij Bebeck à fide Imperatoria deficientis, Turcisq́; adhærentis expugnatas capit, quarum nomina Sobata, Gambazor & Polsorat.

Secundo Septembris arx Iula, quam secundo Iulij à Bassa, Pertauo, Vezirio, obsidione cinctam diximus eidem se dedit. Cùm etenim anterioris arcis munitionibus, ui tormentorum hostilium disiectis, præsidiarij ex ea incensa in interiorem arcem ponte intermedio rupto, confugissent, Turcæ statim nocte sequenti in anteriore arce tormentis collocatis tria arcis propugnacula ac turrim pro ueteri ædificio Romanorum habitam, sine intermissione tanto impetu concutiunt, ut nullus resistendi ex ipsis propugnatoribus locus esset. Mox quoque fontes fossarum, mira arte per canales aliò deriuantes, aquarum usum obsessis adimunt, & tumulum propè portam arcis excitant, tantæ altitudinis, ut uallo arcis par esset, inq́; eo ædificia lignea tam artificiosè cõstruunt, ut ea ab omni ignis iniuria tuta essent. Iis ergo ita peractis, tertio Augusti à prima luce usque ad meridiem ualidissimo impetu arcem oppugnant, sed frustro fortiter obsessis, hostes repellentibus, eorumq́; quamplurimos prosternentibus, inter hos Bassa Temesuuariensi grauiter uulnerato. Turcæ itaq́; hoc conatu deiecti, cum obsessis adhuc mediocre uallum defensioni aptum superesset, id cuniculis actis euertere arcemq́; totis uiribus oppugnare aggrediuntur. Eò Keretschinius animaduerso, qui extrema experiri nollet, epistolam sagittæ alligatam in hostium castra eiaculatur. Quare literis manè repertis statim Turca ad portas arcis accedens, altissima uoce eum bono animo esse hortatur, hodierno die bonum responsum habiturum. Hæc uox Germanis incognita erat. Duo uerò Capitanei Hungarici ea intellecta, Keretschinium accedentes, eum fidei Imperatori datæ grauissimè admonent: Ille uerò nihil aliud se scripsisse respondet, quàm ut quidam suorum affinium, gratia & autoritate apud Transyluanos pollens (is uerò erat Georgius Bebeck) secum in colloquium descendat, ac tandem eo ueniente, ac cum Keretschinio colloquente, hic Bassæ Turcico munera mittit, ijsdemq́; ab ipso remuneratur. Aditu ergo ad amicitiam Bassæ sibi per affinẽ conciliato, conuocatis præsidiarijs, qua in necessitate res sint constitutæ, exponit cum commemoratione Bassam Pertauum, uadibus dandis liberum ac saluum discessum, uniuersis promisisse, hortari itaq́; se eos, ut uita salua, deditionem faciant, Begos uades quos Bassa daturus sit nominans, ac literas sigillis Begorũ munitas ostentans. Etsi uerò maxima pars Hungarorum & Germanorum deditionem initio, detrectarent, asserentes promissis Turcicis nõ esse fidendum, nec contra fidem Imperatori datam, arcem, quæ etiam cum uitæ discrimine sit defendenda, hosti turpiter tradendam, tamen tam coloratis ac ad persuadendũ appositis argumentis est usus, ut non saltem deditionis consensum, sed & ab omnibus tam Hungaris, quàm Germanis, qui officijs militaribus præfuissent, eiusdem quasi sponte factæ, confessionem manu cuiusq́; subscriptam extorqueret. Cæterùm antequam miserrimè proditi milites ex arce egrederentur, Bassa Pertauus quendam suorum ad Keretschinium mittit, ei significãs, ut pro maiori securitate militum exitum parantium, Agæ, id est duci Ianitscharorum menstruum stipendium mittat, quo eo ad pacta seruãda Ianitschari promptiores reddantur. Keretschinius itaq́; quatuor millia thalerorum Agæ mittit, cum petitione ut Bassa Pertauus Ianitscharos ex omnibus derelictis Iulæ ciuitatis locis extra ciuitatem abduci curet antequam milites arce excedant: At ille hoc se facturum denegat, prætendens id minimè sibi conuenire, ut sui domini machinas bellicas præsidio exercitus destitutas relinquat. Hoc ergo Keretschinius

nius responso accepto, statim se ad fideiussorum dationem offert, nihil damni machinis bellicis tempore discessus metuendum. Eaq; conditione à Bassa Pertano acceptata, è Iula discessus, non minori cum tristitia quàm ignominia, secundo Septembris suscipitur. Nam circiter meridiem, milites fame & morbo confecti, cum populo qui ex uicinis oppidis ac pagis eò confluxerat, primò arce exiêre, ijsq; ita tardè progredientibus, ut Sol ad occasum uergeret, eoa Germani, hos deinde Hungari, postremò uerò Keretschinius cum duobus suis Begis, subsecuti fuêre, Vvaiuodicis cōsiliarijs ac ministris ductoribus. Postquàm uerò iam ad aliquot millia passuum progressi fuissent, tum duo Begi, qui uades dati fuerant Keretschinio, autores sunt, ut is cum Bassa Pertano, cui eum cō monstrarant, notitiam ineat, eumq; unà cum Vvaiuodæ consiliarijs ad ipsum deducunt: Interea uerò dum Keretschinius excipitur, Turcæ itinere Christianis præcluso, eos furioso impetu adoriuntur: Etsi uerò initio hi fortiter sese perfidis Mahometicis opponerent, tamē duobus millibus Ianitscharorum ex improuiso accurrentibus, ac Husarones in fugam compellentibus, maxima eorum pars multitudine hostium superata miserrimè concisa fuit, pauca tenebris noctis ingruentibus, in arundineto uicino sese occultantibus, atq; noctis beneficio hostium tyrannidem euadentibus. Inter hos erat Bernbardus Rotenau Capitaneus Germanus, qui ad Imperatorem confugiens, Keretschinium tanquam perfidum & proditorem accusabat, conquerens, omnes ab ipso proditos, deditione citra consensum aliorum ab ipso facta. Verùm mox alio quodam Hungaro ueniente, cognitum fuit, Keretschinium de deditione cum Germanis contulisse, ac hos quidem initiò eam recusasse, sed postea persuasionibus Capitanei, & promissis Turcicis uictos, ipsi consensisse. Keretschinius deinde Constantinopolim abductus, finem uitæ miserrimū sortitus est: etsi enim permutatione Sangiaci (de quo paulò pôst audiemus) se liberatum iri, fiducia optima esset, ijs maximè pro se intercedentibus, quorum in aula Cæsarea affinitatis spes ei facta fuerat, tamen fortunæ iniquitate ea excidit. Cum etenim multi apud Selimum ipsius iniurias ac crudelitatem contra Turcas exercitam exaggerarent, quod hos nasis, illos auribus, quosdam uerò labijs oris, alios uerò alijs membris inhumanissimè mutilasset, Selimus ut pro arbitrio in eum statuerent, accusatoribus permisit. Hi itaque uase undiq; acutissimis clauis perforato, atq; in acumen montis portato, eum incluserunt, & in præcipitium deuolutum hoc crudelissimo supplicij genere necarunt: Exemplo omnibus proposito, ne Turcicis promissis fidem adhibeant. Multi deditionem Iulæ recusantes, similia illi exempla fidei uiolatæ alijs in locis, ut Budæ Temesuuari & Erdeudi allegarant: Verùm unius perfidi Pertani promissa plus quàm aliorum exempla apud dementatum ualuerant. Pauci itaq; qui interitum eius deplorarint, fuere. Quo utinam alij admoneantur, ne temerè contra iusiurandum Dominia datum, hostium prom issis seducti, officium deserant, Deo et hominibus proditiones & perfidiam execrante.

Tertio Septembris, cum Iconomachia Antuuerpiana omnium animi consternati essent, ac negociationes & mercaturæ intermitterentur, quò omni seditioni in posterum occurreretur, & negociationes conquiescentes rursus excitarentur, simulq; harum exercitationem cum religionis confessione cuilibet liberam esse constaret, Senatus Antuuerpiensis autoritate Auraici, tanquam Rectoris à Maiestate Regia constituti, decretum promulgat. Initiò, ne quisquàm, cuiuscunq; conditionis, ministerium Ecclesiarum, monasteriorum, antiquæ religionis turbare, molestare, uel quicquàm eius rei gratia, uel re, uel uerbis, uel quocunq; alio modo iniuria afficere præsumat, sub pœnæ corporis ac uitæ, & mulcta arbitraria pro qualitate & conditione causæ, alijs in exemplum. Econtrario ne quis impedimentum uel turbationē, religioni alteri, præsenti tempore

 adhuc

1566. adhuc in urbe concessæ inferat, aut re sllue uerbis, sub eadem pœna ei cõuicietur: Vlterius declarantes ac promulgãtes, quod omnes urbis incolas, nullo uel catholicæ, uel alterius religionis discrimine habito, ordine dicto, in protectionem Auraici recepterent, ea tamen conditione, ut omnes in pace atq; tranquillitate uiuant, magistratui in omnibus rebus politicis obediant, nec alterutra pars religionis ergo alteram molestet. Insuper, ut omnes incolæ, cuiuscunq; religionis sint, ita res suas instruant, quò in casu necessitatis ac temerariæ uiolentiæ etiam alterius religionis addicto adsint & opitulentur, prout id, ad concordiam & tranquillitatem urbis, & securitatem incolarum, à magistratu sancitum, & à nouæ religionis sectatoribus eius obseruatio promissa fuerit. Auraico huic decreto hanc clausulam adijciente, omniã seruanda, secundum ordinationem prædictam, quoad à Regia Mai. consilio generalium statuum, aliud statuatur.

Quinto Septemb. die, cum Turcarũ circiter uiginti millia prope Albam regalem castra metati, excursiones subinde in nostros facerent, horum quidã selecti, quid rerum in ipsorum castris ageretur, exploratum eunt: progressi itaq; in excubitores incidunt, eosq; satis benè armatos uident. Redeuntes ergo atq; ducibus uisa referentes, hi statim eò contendunt, hostibusq; in fugam compulsis, carrucarios Turcicos pabulantes, interficiunt. Quo in castris cognito Hungari & Austriaci erumpentes, Turcas fugientes insequuntur, eorumq; quosdã occidunt, quosdam uerò capiunt. Georgius autem Turci, cuius superius meminimus, uidens inter ipsos Sangiaccum Albæ regalis, intimũ Solymanni consiliarium, quem, dũ Palotæ præesset, optimè tanq; uicinum cògnorat, sæpiusq; ut eum comprehenderet insectatus fuerat, nunc denuo eo oblato, è medio omnium prouectus, tanto impetu in eũ fertur, ut quantumuis ei ex equo ab hostibus interfecto, in alium conscendendũ fuerit, non prius ab insequendo destiterit, quàm uiuũ caperet, atq; Imperatori in castra adduceret, qui statim ipsum ob tam egregium & magnanimum facinus, catena aurea donatum equitẽ inauratum creauit. Erat in exercitu Imperatoris Hispanus, qui Constantinopoli ex hoc Sangiacco audierat, se solum uelle & posse uincere Regem Germaniæ: fertur q; Hispanum coràm Imperatore hanc uocem illi in memoriã reuocasse, eum uerò respondisse, hanc belli fortunam esse, seq; iam seruum nihil præstare posse. Interrogatus deinde qua fretus audacia, castra tam potentis Imperatoris inuasisset: respondit, sibi obediendum iussis sui domini, ut quendam caperet, ex quo cõsilia hostium cognosceret, sed id sibi malè successisse: Habebatur honorificè, uiuens ex mensa Imperatoris, & ut perhibebãt, ducenta & uiginti millia ducatorum pro redemptione offerebat, uerum Viennam postea transportatus atq; Harrachio aulæ Cæsareæ magistro donatus, solutis quinquaginta ducatorum millibus, magno suorum gaudio atque applausu dimissus est, frustra Keretschinio permutationem sui, cum eo sollicitante.

Septimo Septemb. Solymannus Turcarum Cæsar, Zigethum munitissimũ nòn saltem Hungariæ, sed & totius Christiani orbis propugnaculum, interfecto fortissimo Heroë Nicolao Zerinio non absq; cruenta suorum cæde expugnat, ac superstites propugnatores eius, partim in miserrimã seruitutem cum uxoribus & liberis abducit, partim crudelissimè necat, ac die sequẽti, quo Mariam Virginem, Christi Saluatoris matrem natã tradunt, Zerinij inter multorũ aliorum Christianorum, qui Zigethi occisi fuerant, caput palo affixum non citrà stuporem per totum diem exercitui cõtemplandum relinquit. Verum cum huius rei narratio in peculiari libello ex idiomate Croatico conuerso extet, ad eam lectorem uirtutis Comitis Zerinij cognoscendæ cupidum superius remittimus, ne nos alijs, fucorum instar, laborum suorum laudem ac fructum præripere uelle uideamur. Est uerò Zigethum situm in Hungaria ad fines Croatiæ in medio paludum & aquarum, quæ id ultra miliare circumdant, nec terrã nisi

ab una parte respicit, quæ defenditur duobus propugnaculis ex aggere con-
gestis, & lignis concathenatis in modum munitionum Gallicarum. Locus ue- 1566.
rò in tres partes separatus est, arcem nimirùm, quæ ædificata est forma quadra-
ta, & duo oppida, intra quæ sunt fossæ largæ, profundæ, plenæq; aqua proflu-
ente. Duo uerò fortissima propugnacula eadem septimana perdita, nimirum
Iulam & Zigethum dolendum, ac Deus rogandus erit, ut nostrorum peccato-
rum misertus, nobis meliora consilia, ac fortia pectora suggerat, & Ecclesiam
Filij sui periclitantem respiciat.

Itaq; Zigetho expugnato Turcæ arcem Babotscham uiginti millibus obsi-
dere, eamq; cum circumiacentibus castellis ac pagis Sacka & Schorgo in pote
statem suam redigere parant. Etsi uerò nostri deditione flagitata, eam facere re-
nuerent, tamen cum arx tantæ potentiæ sustinendæ non sufficeret, ipsi eam in-
censam deserunt, eorumq; exemplum incolæ dictorum locorum imitantur.
Quo Turcæ cognito, omnibus uiribus Stririã inuadere, eamq; depopulari con
stituunt. Ceterùm cum Carolus Archidux Austriæ non contemnendis copijs
ad flumen Drauum consedisset, quo hostiles excursiones deprimeret, Stririam
relinquunt, nihilominus tamen prædando, uastando, comburendo, ac in serui-
tutem homines abducendo omnia uicina loca infestantes, ita, ut Sabariam us-
que duobus miliaribus à castris Imperatoris dissitam grassarentur. Eę uerò ex-
cursiones à Bassis non solũ ob penuriam qua laboratum fuit in obsidione Zi-
gethi exercitui permittebantur, sed & quod Mahmet Bassa alijq; Viziri eum
mortis Solymanni ignarum dum præda occuparetur tanto commodius in of-
ficio retineri posse putarent, quoad Selimus regni possessionem adeptus ad-
ueniret. Nam haud dubiè morte Solymanni in exercitu, antè Zigethi expu-
gnationem diuulgata, hæc maximo cum nostro commodo prætermissa, & no
stris ad clarissimam uictoriam contra Selimum obtinendam, seditione atq; tu-
multu castrensi, insignis occasio oblata fuisset. Verùm irato numine Turcarum
industriæ atq; solertiæ fauente, non solum tumultus occasiones præcisę, sed &
mors Solymanni ita nostros celata est, ut non nisi post sex hebdomadas de ea
Imperator Maximilianus per Venetos certior redditus esse tradatur.

Vigesimo tertio Septemb. Selimus, qui, nuncio de patris morte Chiefteli, lo
co trium dierum itinere Constantinopoli distante, accepto, omnia ad ingres-
sum regium necessaria per Scander Bassam gubernatorem & locũ tenentem
Solymanni, præparari iussisset, Cõstantinopolim ingreditur, atq; per Bostangi
Bassam, hortulanorum atq; palatij Regij prefectum, in cubiculum ab antiquo
Regibus Constantinopolitanis designatum, atq; preciosissimis gemmis orna
tum, introducitur inq; solio regali, soli Ottomannorum sedi destinato, impo-
nitur. Eo facto, per totam urbem proclamationem (ut uocant) huius tenoris
publicat. Salutarem Paradisum teneat, & in perpetua gloria, anima Sultani So
lymanni quiescat, & multos annos uiuat, inq; continuo incremento prosperi
status maneat rex Sultanus Selimus. Ac nulla mora interposita eadem procla-
matio per totum Imperium Turcicum mittitur, ita ut nõ prius mors Solyman-
ni, quàm coronatio Selimi cognita fuerit.

Die insequenti, qui erat uicesimus quartus Septembris, ex palatio progres-
sus, per ciuitatem se ostentat populo, iter conferens ad sepulturam Giobi, qui
est locus mœnibus annexus, ubi Reges & magni proceres sacra immolatione
castratorum aliorumq; animalium facere consueuêre, quæ postea pauperibus
in remunerationẽ gratię à Deo collatæ, distribuuntur ac magna pecuniæ sum-
ma data precibusq; factis ingenti pompa & plausu in palatium reuertitur. An
tequam autem hæc peragerentur gubernator Scander Bassa, gener Selimi
quo foret tanto tutius, quietius atq; tranquillius throni Solymanni patris pos-
sessionem adipisceretur, omnes Ianitscharos quotquot ibi in præsidijs fuerant,

1566. in oppidum duobus miliaribus Constantinopoli dissitum, sub hoc prætextu educit, quasi decem millibus Ianitscharorũ, in expugnatione Zigethi amissis, ipsos stipendio soluto, illuc missurus sit. Qua spe illis suspensis ac promissioni factæ acquiescentibus, interim Scander Bassa, Solymanni morte Constantinopoli publicata, socerum in thronum patris collocari curat. Atq; deinde statim ad Ianitscharos proficiscens, ipsis Solymanni morte indicata, militiam Hungaricam renunciat, cum significatione, quandoquidem Selimus eius filius tanq; legitimus Imperij successor, Cõstantinopolim appulsus, possessionem regni occuparit se habere in mandatis, ut ipsis centum millia ducatorum pro usitata thesauri regij in obitu Imp. Ottomannici direptione soluat, eosq; auctoratos nouo stipendio conducat. Iis itaq; oblata acceptantibus, hac tamẽ inter cætera conditione, ut militantibus stipendij accessio fieret, & equitandi usu Constantinopoli Christianis interdiceretur. Scander Bassa re benè gesta ad socerum reuertitur. Is ergo Ianitscharis sibi sacramento obligatis, uicesimo septimo Constantinopoli discedens, magnis itineribus, ita ut nullibi morã traheret, Belgradum contendit. Omnia uerò ita clam atq; celeriter fiebant, ut populus admiraretur illum uidens, nec sciens causam ipsius aduentus priusquàm abiret, id quod ualde tumultus in omnibus locis impedijt. Itinere duorũ dierũ Belgrado profectus, ad literas Machmet Bassę, eum, ut incommoditates itineris uitaret, illicq; subsisteret, admonentis, eò redit, maximè cũ exercitus adhuc quietus esset. Belgradi itaq; exercitũ cadauer parentis in curru benè cooperto, deducentẽ expectat, omnibus putãtibus eum adhuc uiuere, quod in ætate senili, cum podagra laboraret, hac ratione iter facere soleret. Die quo cadauer Belgrado inferri debebat, Selimus capiti pileolo, quem ipsi turbantem uocant, imposito, ac decenti habitu uestitus cũ cappa pulla, eques cadaueri usq; ad portam obuiã procedit, uexillis explicatis & tubicinibus, ac ingenti pompa, instar triumphantis comitatus: ibiq; leuato currus operculo, Selimus equo descendens mortuum patrem luget, & cum ipso statim omnes Bassæ & Cadilischieri, id est Iudices, seu Iustitiæ administratores, alijq; proceres, pileolis capiti impositis. Inde in signũ mœstitiæ, uexilla omnia inuersa cuspide in terram defiguntur ad quartam horę partem, omnibus altum silentium agentibus. Quo facto regis capiti turbantẽ, id est pileum candidissimum, multis pretiosis gemmis ornatũ imposuère, eiq; splendidissimo habitu ornato alium equum tribuunt. Deinde curru quo cadauer uehebatũ, rursus tecto, alia uexilla noui Regis erigunt, ac nomine eius inclamato, magna pompa in palatium ipsum deducunt, quo regni legati secundum cuiusq; dignitatis gradum ei manus osculatum uenère. Posthæc iudices cõstituit, & Ianitscharis solitum donatiuũ donat, ac ut cadauer patris Constantinopolim in Mausoleum (quod ipse uiuus longè splendidissimum sibi construxerat) deduci ordinat, mandans Haamet Bassæ, qui neptem eius in uxorem habebat, & Ferast Capi Agæ, ut id satis ualida Ianitscharorum custodia, & alijs dignitate conspicuis uiris atq; uexillo regio comitentur, ipse cum reliquo exercitu Belgradi remanens, commodum abeundi tempus expectans.

Circiter finem Septemb. anni huius Sigismundus Archiepisc. Magdeburgensis, primas Germanię, cum ad nouemdecim hebdomadas grauissimo morbo luctatus fuisset, relicta hac terrena atq; caduca uita, ad cœlestẽ melioremq; migrat: Princeps bonus, humanus, literatorũ amans, ac ueræ religionis studiosus. Nã errores religionis huc usq; in Salinis Saxonicis relictos, sustulit, Ecclesias diœceseos suæ per uiros pios uisitari curauit, ac fidei suę confessionẽ à consiliarijs ad comitia Augustana hoc anno missis, edi postulauit: reformationem insignem, si uita superfuisset longior, aggressurus. Verùm antequà quæ cõstituisset, efficeret, Deo id ita uolente, rebus humanis eximitur. Natus fuit patre Ioachimo II. Electore Brandenburgico, matre Heduuige Regis Poloniæ filia,

anno

anno 1538.die 2.Decemb.septima uespertina: In Archiepiscopatu fratri Fri- 1566.
derico successit,morienti anno 1552.Octob.die 3. Ab Electione diœcesi ità præfuit,ut subditis gratus,ac uicinis honoratus fuerit: Successorem uerò habuit Ioachimum Fridericum,ex fratre Ioanne Georgio nepotem,qui coniugè legitima ducta Archiepiscopatus administrationi etiamnum præest.

Vltimo die Septemb. Gauarinum,cum illic uniuersus exercitus Imp. esset, ex incendio magnam iacturam patitur. Nam cum incendium in diuersorio cuiusdam Hungari,negligentia coci exortum esset, id paulatim serpẽs, aquilona uehementer sufflante,ita creuit,ut,cum ædificia illic pro usu incolarum, ex materia cremabili constructa sint,nulla domus ab incendio tuta fuerit,excepto palatio atq; templo,quæ sola cum octodecim casulis & lapidibus cõstabant. Dei uerò beneficio singulari fiebat,ne incendium ad templum in quo ferè uniuersus apparatus bellicus erat,penetraret: Veruntamen id quod ab incendio saluum intactũq; manebat,prædæ auaris atq; insatiabilis militibus cedebat, qui, quo occasionẽ diripiendi haberent,multis domibus ipsi ignes inijciebãt. Hæc iactura dolore incredibili non tantum Imperatorem, sed alios multos affecit, cum,quod hunc locum tanq; receptaculum sui exercitus sibi reseruasset, tum quod eò finitimis ex locis,pretiosissima quæq; tanq; tutissimam custodiã confecta essent. Quamobrem Imp. Maximilianus postea oppidũ magno sumptu refici curat. Cumq; hyberno tẽpore appropinquante, Turcas discedere cognouisset,præsidio ualido Giauarini relicto,exercitum dimittit,gratijs principibus actis,qui tanta promptitudine sibi in auxilium uenissent, atq; Viennam rediens,illuc conuentum suorum indicit,quo in tempore,de rebus ad bellum futuro anno necessarijs,consultaret.

Octobr. die 28. qui Apostolis Simoni & Iudæ sacer est, in Borussiæ Regiomonte,tres concionatores eruditione & autoritate excellentes, Ioannes Funcius,Matthias Horstius,& Ioannes Schnellius,q̃d ob Osiandrismi abrogationẽ,contra Principẽ Albertum optimè de ipsis meritũ, conspirationẽ inijssent, capite truncantur,dies & annus supplicij de ipsis sumpti,hoc cõtinetur uersu:

Simonis Iudæ, Snel, Funck, Horst interiêre.

Hoc eodem mense ut & insequenti, Tartari adiuncto Turcarũ ualidissimo munitissimoq; exercitu,non saltem Hungariam,sed & Transyluaniam miserrimè depopulãtur. Nam etsi Turca Hungaria discessisset, Ioannes tamen Transyluanus in cuius auxiliũ Bassa Pertanus cũ innumeris Tartaris relictus erat, bellum continuabat. Ac hi ut multitudine sic crudelitate alios superantes, nulli neq; sexui,neq; ætati parcebant,pueros dissectos,assantes,atq; ad satiandam infandam ingluuiem contra humanum morem deuorantes. Cum itaq; Transyluanus Tokaium,cum magna munitionum copia, sibi superiore annò ereptum doleret,id recuperaturus Turcis & Tartaris circumuenit: Verùm cũ per octiduum id obsedisset,ac Iacobus Ramingerus arcis capitaneus, uir militari disciplina atq; fide conspicuus inuicta animi fortitudine defenderet, nuncius Transyluano affertur,ditionem suam decem millibus Tartarorum ab exercitu separatis igne ferroq; deuastari: Vndè ipse obsidione relicta,primo eos admonet,ut quieti & sine maleficio abeant,uerùm cum more suo pergerent,ipse indignatione motus,ex improuiso eos adoritur,& circiter sex millia eorum trucidat. Tartari itaq; comitati non exiguò Turcarum numero hãc cladem ulturi, ipsum Varadini loco non satis firmo obsident,haud dubiè in potestatem redacturi,si aliquot machinis bellicis instructi fuissent. Verùm Transyluanus consilijs eorum elusis,clàm Varadino egreditur,seq; in loca munitione suæ ditioni recipit,ibiq; satis ualido exercitu contracto eos rursus maxima clade affecit ul tra sauciatos,quorũ magnus numerus fuit circiter uiginti millibus eorum interfectis,multisq; captiuis,quos secum abducebant,ex miserabili seruitute ereptis:

1566. ptia. Post hāc stragem reliqui cum Turcis atq; Valachis, primò in Russiā, inde in Podoliam regiones iuris Polonici excurrentes, ac omni crudelitatis genere grassantes, cùm Palatinum Russiæ in arce obsidere molirentur, ab ipso ualidis copijs erumpente, ad unum omnes duodecim tormentis bellicis amissis, internecione occisi fuere. Notatu digna Principibus hęc Tartarorū perfidia atq; crudelitas est, qui in auxilium à Transyluano uocati, plus ei quàm hostes incommodarunt, ne temerè externa auxilia accersant, quæ plærunq; nō saltem suspecta, sed & exitiosa esse consueuerunt, ut innumerabiles historiæ testantur.

Nouemb. die 22. Solymanni cadauer tandem Constantinopolim defertur, obuiam ei ante omnes progrediente Mofti, qui princeps est sacerdotum Mahumetanorum, cuiusq; originem à Mahumeto deducūt, cum omnibus alijs legis Mahumetanæ peritis, in urbe Constantinopolitana degentibus: Hos subsequente Scander Bassa gubernatore, cum omnibus thesaurarijs & alijs proceribus à Selimo Constantinopoli relictis, cum innumera populi multitudine: omnes uerò uestibus nigris induti erant, atq; cooperti pileolis, quos illi turbātes uocant, in signum mœstitiæ atq; doloris. Cadauer ex curru translatū, præcipui proceres uicibus permutatis palmis manuum impositum, tam sublime quàm possent, per ciuitatem portabant, legisperitis quos diximus præcedentibus, & alta uoce dogmatis Mahumetani nenias, usq; ad sepulturæ locū obmurmurantibus. In eo cadaueri solennibus ceremonijs recondito, pannum undulatū subtilissimum cum Solymanni acinace, ad denorandū eum uitam in bello profudisse, capiti asti turbantem ut uocant, quem in uita portare solitus fuerat, imponunt. Vixit annos 76. Imperij administratione post patris Selimi obitum suscepta, anno 1519. Cumq; mitis agnus rabido leoni multorum opinione successisse putaretur, diuino numine Christianorū peccatis offenso, ipse insatiabilia dominādi libidine insaniens, Christiano orbi plus calamitatis ac damni, quàm quiuis maiorum intulit, testantur id initio Belgradum Pannonię propugnaculum, cum ignominia Christiani nominis expugnatū, Rhodus manu capta, trucidatus in acie Rex Hungarus Ludouicus, Buda urbs regia bis occupata, Austriacus exercitus ad Exechiū miserè in fuga cæsus atq; deletus, Rocandulphi ingentes copiæ ad Budam expugnatis castris superatę, contemptius & demum atq; repulsus ad Pestum Germanorum exercitus & expugnatū in oculis, Strigonium, & Alba regalis cum alijs eo uictoriæ cursu in potestatem redacta, & paulò anteà Hispani in Dalmatia ad Castrum nouum expugnati, cæsiq;: Temesuuarum deinde cum Lippa occupatum, mox rursus exercitus regius ductore Ordego Matthia ad internecionē concisus, Agria exinde arctissima obsidione circumuēta, & pax prece & precio redempta, & quod tristissimū Christiano nomini accidit, classes quæ insuperabiles uiderētur initio ad Leucadem in fugam coniectæ, postea ad Gyrben insulam oppressę & expugnatæ. Nec silentio prætereundus ætatis suæ decrepitę nouissimus conatus in repetenda armis Hungaria, quē nisi Deus miseri sui populi misertus (terminis tyranno constitutis quos non transgrederetur) compressisset, ne ipse cōtinuis uictoriarum successibus elatus, ac imperij Ottomannici proferendi cupiditate æstuans, ea suscepturus fuisset, quæ aut nos dissensionibus sublatis ad cōcordiam redegissent, aut nobis intestina discordia laborantibus, eiq; indies nouam materiā suggerentibus, extremo exitio constituissent. Celebretur itaq; Deus in omni æternitate, qui sanguine Filij sui redemptum populum benignè respiciens, tyrannum chamo iniecto extinxit, ac per Filium mediatorem ardentibus uotis rogetur, ut deinceps nutantes Christianorum res sustentet, ac Turcicam immanitatem reprimat, nosq; ab ea tueatur, atq; defendat.

Vicesimoquarto Nouemb. proceres ac status Austriaci ad mandatum Imp. Viennæ conueniunt, ab ijs ergo Imp. subsidium anni præteriti pro stipendio

nongentorum equitum quod summã ferè trecentorum millium florenorũ conscenderet, exigit. Ac ut hi, qui centum florenorũ annuos reditus habeant, equitis sustentationẽ soluant, qui exuberet de centenis unum cõtribuat. Si ipsemet in bellum proficiscatur, militiæ immunitatem nobilitati cõcedit, mille equites & quinq; signa peditũ sibi dari postulãs. Adhæc ut quilibet per sexenniũ senis diebus ad Viennã muniendam laboratũ ueniat. Prouinciales his postulatis cognitis, ad ea per aliquot dies respõdere tergiuersantur, religionis in cõfesione Augustana cõprehensę usum sibi permitti petentes. At Imp. subijciente, nõ de negotio religionis hic agi, ideoq; clarũ responsum urgente, illi re deliberata cõcludunt, se daturos centũ triginta octo millia florenorũ & pro refectione Giauarini incẽdio deuastati. Qui centũ florenorum redditus annuos habeat, eum equum per tres menses Imperatori sustentaturum, qui ditior sit, plus etiam tributurum, si ipsemet in militiam eat, ad fines defendendos; decimumquintum quenq; exire unà debere, si extra fines progrediatur tricesimum illi euocare licere. Causa religionis ulterius instãnres ita dimittuntur, ut in Austria manere nolentibus libera discedendi facultas concedatur. 1566

Duodecimo Decemb. die Turcico bello quidẽ finito, Ioan. uerò Friderico, immensa obstinatia Grumbachij, aliorumq; cõplicum proscriptorum receptatione intestini belli materiã prębente, Imp. Maximilianus pro salute Germanię conseruanda, Augusto Electori Saxonię tanq; superioris circuli Saxonici Duci mandat, ut decreta, mandataq; Imperatoris, & Imperij recessus incessanter omniq; diligentia exequatur. Quia uerò in ijs literis siue mandatis inobedientia, contumacia, atq; rebellio, cùm contra Imperatorem, tùm Imperium, superbissimè exercita, deniq; belli huius necessaria causa, luculentissimè exponuntur, breuibus tenorem eorum (quo lectori ueritas constet) subijciemus.

Sine dubio Augustum, solita salute præmissa, recordari (inquit) quid in nouissimis comitijs Augustanis, inter alia deliberationis necessariæ capita, circa secundum, de uetita ac grauissima pœna plectenda pacis publicæ uiolatione, superioribus annis in inuasione ac direptione urbis Herbipolensis commissa, propositũ fuerit, & qua ratione, ultra proscriptionis mandatum, à Ferdinando inclytæ memoriæ contra autores eius, (utpote qui uigore constitutionũ Imperij in pœnam banni inciderint) publicatum, & ultra Vvormatiense deputatorũ ordinum decretum, pro conuenienti statutorum executione suscipiendum esset, Electorum Principum atq; statuum consulta postulata esse, similiterq; memoria eum tenere, quo modo, qua uehementia, quo deniq; coactu, Fridericus Herbipolensis Episcopus sæpius apud Cæs. suam Maiestatem, actualis executionis promotionem urserit, & quod id ipsum ante comitia & ijs durantibus apud Electores & Principes qui ijs interfuissent diligentissimè sollicitarit, cum expressa declaratione, se nulli amicabili compositioni locum dare posse, sed diuinæ iustitiæ executionem seriò implorare. Et quæ deniq; cõcors sententia statuum fuerit, quam sua Mat. sibi in scriptis sexto Maij oblatam approbarit, atq; idcircò quã status suasissent proscriptionem, nõ solũ contra principales fractæ pacis autores (qui, præterq; quod ipso facto in pœnam banni inciderint, & per publica mãdata Cæs. per duelles declarati essent) sed & in specie eadem cõtra receptatores eorũ renouarit, eaq; solẽniter ac publicè per Mareschallũ Imperij de Pappenheim ꝓmulgata, in omnib. locis Imperij per Cameræ Imperialis Spiręnuncios, publicari atq; affigi curauit. Et quomodo adhæc pro meliori executione, cõmunis Imperij decreti, Ioanni Friderico Duci Saxoniæ medio, utpote qui longo tempore anteà, contra parẽtis Ferdinandi Imp. inclytæ memoriæ; ac suæ deinceps Mat. mandata, grauissimis cõminationibus roborata proscriptos ac principales autores ruptæ pacis, Guilhelmũ Grumbachiũ, Guilhelmũ Steinium & Ernestum Mandesloum palàm receptatos, fouenti, eorũ facinora

1566. excusanti ac defendēti, eosq; liberalissimis beneficijs obruenti, primò suæ Ma
iestatis pœnale mandatum, deinde commune Imperij decretum 12. Maij per
iuratum aulę Cæsareæ nuncium sit redditum, & ad eius prętensam replicatio-
nem altera uice repetitū, cum hac adiectione, ut sub iuramento ac fide qua suę
Cæs. Mai. ac Sacro Imperio obstrictus sit, ac pœnis prioribus mādatis insertis,
ijsdem omnimodo pareat. Posthac etiam trina uice prioribus duobus seue-
rissimis mandatis, 5. Iulij eidem Ioan. Friderico debitam obedientiam sub pœ
nis prioribus iniunxerit ac futilibus defensionibus, quibus in sua replicatione
ad iustificationem contumaciæ usus fuisset, pro rei necessitate solidè confuta-
tis, ei denuò summum contumaciæ delictū ob oculos posuerit, eius exempla-
ribus non saltem Augusto Electori, sed & alijs Electoribus ac Principibus hæ
reditario fœdere iunctis, singulorumq; circulorum ducibus, eodem die trans-
missis, eos cōmonefaciendo, si in contumacia perseueret, ut commemoratum
nouissimum decretum in memoriam redigant, & in nomine Domine id susci-
piant, quo id, quod communi consensu ac uoluntate Imperij decretū, statutum
atq; conclusum sit executioni mandetur, & necessitate postulantè, tres circuli
quibus executio cōmissa sit, aliorum debito modo euocatorū, auxilio & ope-
ra utantur. Quandoquidem autem omnia ista apud Ioan. Fridericum nō plus
profecerint uel effecerint, quàm quod cōtemptis communis Imperij decretis,
uigore eorum promulgatis, generalibus ac tribus specialibus mādatis, proscri
ptorum deditione denegata, eos cōtumaciter receptarit, & adhuc recepret, sed
nec factæ receptationis eum peniteat, legatis Imperij tam cōtumax, prolixum,
atq; nullius roboris uel momenti responsum inscriptis dederit, quod non solū
commemoratis Imperij decretis, atq; mandatis Cæsareis, partim dissimile, par-
tim contrarium, partim quoq; cauillatorium sit, sed & eorum autoritatem cum
suggillatione Cæs. Mai. eleuet, ac toties prohibitam receptationē militer de-
fendere conetur. Adhæc in contemptum suæ Mai. & autoritatis totius Imperij,
secunda uice proscriptos, & per communia decreta atq; mādata Imperij ex se-
curitate in omnia uitæ discrimina proiectos, & rebelles Imperio declaratos, in
omnibus suis scriptis honestos uiros & consiliarios atq; ministros nūcupet, &
hoc modo cōtra Cæs. Mai. totiusq; Imperij in hoc & similibus casibus, decreta,
cōstitutiones, pacem publicam & executionis formam, ac uetitæ receptationis
mandatum contumaciter atq; ex proposito ita deliquerit, ut hominum memo
ria in Imperio Romano simile peruicaciæ exemplum conspectum non fuerit.
His ita à Ioanne Friderico perpetratis, ac ultima necessitate urgēte, Cæs. suam
Mai. compulsam, contra dictum Ioan. Fridericum ultimum remedium interue
niente præcepti Cæsarei grauitate experiri, & publicū pœnale mandatū, quod
se ad priora referret, 12. Augusti emissum, ad ipsum per aulæ Cæsareæ nūcium
rursus perferri curare. Quamuis uerò hic in mandatis habuerit, ut id publicum
atq; patens mandatum ipsi Ioanni Friderico insinuaret, & se ad executionem
eius admitti aliquoties petierit, hunc tamen nō solum nulla instandi importu-
nitate attenta ad Principis conspectum admissum, sed nec initio ei in ciuitatem
Gothanam introitum concessum, quamuis Cæsareum insigne nunciorum Ca
meralium habuerit. Ac etsi Ioan. Fridericus paucis uerbis tunc latenter innue-
rit, se Cæs. Maiestati, sufficiens atq; prolixum responsum transmissurum, tamē
ad eum usque diem nihil eius allatum esse, sed eum insigni ac insperata contu-
macia, superbia, ac inobedientia minimè contentum, eo exacerbatæ atque in-
solentis contumaciæ prolapsum, ut paucis diebus post acceptum pœna-
le mandatum, ad conuentum nobilitatis Franconicæ Schuueinfurti propter
subsidium contra hæreditarium Christiani nominis hostem, ex consilio sta-
tuum indictum, legatum Georgium Taschium peculiaribus mandatis quo-
rum copiam habeat, ablegarit, per quæ non solum de nouo, proscriptorum fa-
cinora

uinora magis, quàm unquam antea summoperè excusarit, atq; defenderit, sed & Cæs. suæ Maiestati contra declarationem ab ea factam, ac rei ueritatem, imputarit, receptationis proscriptorum approbationem, cum tamen ea sibi nunquam in mentem uenerit. Nec his satiatum, ad commonefaciendam nobilitatem descendisse, ut proscriptorum tanquam honestorum & innocentium uirorum, & propter nobilia atq; equestria facinora ingratitudine deploranda exosorum, patrocinium suscipiant, & ad recuperationem ablatorum, ac extortæ transactionis Vuirtzburgicæ ijs auxilientur. Quinetiam addita his & alia uerba intellectu nō difficilia, quorum inculcatione, honestatis studiosa nobilitas cum contra Cæs. suam Maiestatem, tum alios Principes ac Electores publicæ tranquillitatis studiosos concitarentur, cum repetita admonitione ut proscriptis (quos afflictos atque oppressos eorum amicos uocarit) officiosè, amicè ac promptè succurrerent, in fine prolixis uerbis nobilitati uniuersę, ac singulis ope, auxilio, præsidio, ac nō tantum consilio, sed utriū omnium ac facultatum communicatione promissis. Hisce uerò honestam nobilitatem Franconicā parum uel nihil fidei adhibuisse, uerùm tali responso, ut Cęs. sua Maiestas intellexerit, occurrisse, quale obedientes atq; fideles Imperatori ac Sacro Imperio nobiles Franconicos, ac nullum, nisi Cęs. suam Maiestatem, eiusq; successores dominū pro capite agnoscentes, decuerit. Quandoquidem ergo Ioan. Fridericus, suæ Maiestatis atq; Imperij grauissima consulta atq; decreta spreuerit, omnia Ferdinandi Imperatoris ac suæ Maiestatis seuerissima mandata, partim leuia æstimarit, partim in alienum atq; absurdum sensum detorserit, nullisq; eorū paruerit, sed ita cōtumaciter despectis, & suæ Maiestati & Imperio reluctatus fuerit, non attentis, uel ad animum reuocatis quatuor distinctorum mandatorū uerbis, semper necessariò repetitis, atq; ita cōceptis, ut sub iureiurando, quo Cęs. Maiestati & Sacro Imperio obstrictus esset, & sub pacis publicæ, præcipuè uerò, sub Imperialis proscriptionis pœna, à duobus Imperatoribus initiò, deinde consilio & approbatione omnium statuum, bis bannitos, Guilhelmū Grumbachium eiusq; socios, adiutores & complices, quotquot eorū aut in aula sua, aut ditione ac terris degerent, mandatis conspectis, & absq; ulla mora comprehenderet, & quoad aliud de ipsis à sua Cæs. Maiestate statueretur, tàm arcta ac diligenti custodia concluderet, ut nullus inde euadere posset: Sin secus uerò faceret, Grumbachium eiusq; socios liberos dimittendo, Cæs. suam Mai. iuxta decreti Augustani formulam compulsum iri ad seueriores rationes ac uias (à quibus tamen temperare mallet) aggrediendas. Quia ergo hæc similiaq; despicatui duxerit, ideo suam Maiestatem, Augusto tāquam superioris circuli Saxonici Duci, tribuere potestatem executionis, prout ea ab Electoribus Principibus & Ordinibus uigore decreti Augustani suæ Mai. permissa fuerit, eiq; iniungere sub fide qua & Cęs. suę Mai: & Imperio obligetur, ut in nomine Domini, nulla mora interposita, hisce mandatis acceptis, contra Ioan. Fridericū tanquàm proscriptorum manifestum receptatorem, & contra proscriptos quorquot ipsorum deprehendātur, executioni initium afferat, eos hostilibus copijs inuadat, ipsorum personas, corpora, facultates atq; bona, ciuitates, arces, munitiones ac terras prosequatur & occupet, & subditos Ioan. Friderici, quotquot in fidem atq; clientelam Cæs. Mai. sese dediderint, in eam recipiat, ac contra inobedientes, unà cum legatis suæ Maiest. iuxta formulam mandati hisce traditi procedat. Et quò hoc negotium executionis, eò commodius atq; citius perficiatur, suam Maiestatem tres alios circulos ab ea & statibus ad id constitutos, statim grauissimis mandatis euocaturam, ijsq; iniuncturam, ut ad Augusti postulatum uigore decreti Augustani nouissimi, citra ullam cunctationem atq; exceptionem auxilio succurrant, ac tam necessariæ executioni pro uirili dextram porrigant. Similiter quoque si trium deputatorum circulorum auxilijs

1566. lia, executioni non sufficerent, aliorum circulorum ducibus in mandatis se daturum, ut euocati auxilijs suis instructi sint, indubitata spe atque fiducia, necessitate exigente, nec illic subsidium defuturum, praesertim cum ipse una cum alijs Electoribus Principibus atque Ordinibus, memoria teneat, ea quae iam à Caesarea sua Maiestate ordinentur, statuantur ac suscipiantur, communi ipsorum decreto è re Imperij uisa fuisse, ac tàm ipse Augustus, quàm caeteri omnes huic decreto adfuerit atque subscripserit: Vnde etiam ante hoc tempus sufficientes causas suae Maiestati fuisse, hoc inchoandi negocium, nisi ex innata Caesarea clementia & mansuetudine leniora remedia, quae tamen irrita ac inefficacia fuerint experiri maluisset, maximè ut celeberrimae Electorali domui atque familiae Saxonicae pareceret ac deputatos aliosque circulos sumptibus subleuaret, modò id absque imminutione honoris, existimationis ac eminentiae suae Maiestatis, Sacrique Imperij fieri potuisset. Quare suam Maiestatem cùm de ipso, tùm de alijs Electoribus atque Ordinibus superioris circuli, in quo uetita atque illicita receptatio proscriptorum, & aliae non ferendae aduersationes commissae sint, celeris ac concitatae executionis iniuncti mandati fiduciam concepisse, atque sperare, ipsum nec cognationis iura, nec alia obstacula respecturum, sed ea considerarurum ac promoturum, quae fides Maiestati suae ac Sacro Imperio praestita, & decretum Augustanum nouissimum exigant, ac ipsi alijsque omnibus Electoribus ac praecipuè circulorum ducibus iniungant. Et haec quidem Saxoniae Electori Augusto scribebantur, ut uerò Imperator nihil praetermitteret, quod ad reducendum in officium Ioannem Fridericum pertineret, eodem die caduceatore ad ipsum misso, breuissimis, sed grauissimis uerbis, ei inauditam in Imperio Germanico in uiris Principibus contumaciam, rebellionem ac insolentiam exprobrat, quam, cùm uetita atque illicita proscriptorū receptatione, tùm despicientia decretorum Imperij, ac mandatorum suae Maiestatis cauillatione, & nobilitatis Franconicae seditiosa sollicitatione exercuerit, eique denunciat, quod eum in poenas pacis publicae constitutionum atque decretorum Imperij, maximè nouissimi Augustani ac mandatorū, suae Maiestati duodecimo Maij, secundo Iunij, quinto Iulij, & duodecimo Augusti, ad ipsum transmissorum, ipso facto inciderit, suam Maiestatem non solum potestatem sibi à statibus tributam, in Augustum Electorem Saxoniae &c. contulisse, sed & ei tanquam superioris Saxonici circuli Duci, seriò sub fide, qua is suae Maiestati atque Imperio obstrictus sit, iniunxisse, ut iustissimam executionem, tàm contra ipsum, tanquàm manifestum, publicum atque peruicacem proscriptorum receptatorem, inobedientem transgressorem, ac contumacem Caesareorum mandatorum Imperij constitutionum refractarium, quàm contra ipsos proscriptos tanta diligentia, contentione ac celeritate, quantam uires humanae ferant, in nomine omnipotentis Dei exordiatur, ac caetera ad eam necessaria, una cum Caesareae suae Maiestatis legatis ad hoc destinatis curet atque promoueat.

Augustus Saxoniae Elector, etsi à bello propter patriam, propter cognationis iura, propter familiae nomen, propter subditorum denique, qui Gothae uicini essent, salutem, aliasque complures causas abhorreret, tamen cum Imp. autoritatē detrectare non posset, nec Imperij decretis quibus interfuisset & subscripsisset, refragari liceret, belli gerendi partes suscipit. Ac paulò pòst, id literis patentibus, quibus dictū Pauli ad Romanos scribentis, Dei ordinationi resistere eū, qui potestati resistat, praemissum erat, in hāc ferè sententiā denūciat se Ioan. Friderico, alijsque quib. eae literae ad manus uenirēt, notū facere: minimè ei ignotum esse, quomodo Imp. Ferdinandus inclytae memoriae Guilhelmū Grumbachiū, eiusque adhaerentes, propter uiolentā direptionē urbis Herbipolensis proscripserit, eaque proscriptio in nouissimis comitijs Augustanis, per Caes. Maiestatem rerum potentem, consensu Electorum Principum ac statuum Imperij renouatā

nouata ac publicata, similiterq́ concordibus suffragijs decretum atq; conclu- 1566.
sum fuerit, quid ratione executionis cõtra proscriptos eorumq́ receptatores
faciundum esset: quodq́ Cæsarea Maiestas pro executione publici decreti di-
cto Ioanni Friderico tribus aut pluribus distinctis mandatis sub pœna proscri-
ptionis eiusq́ aggrauationis, seuerissimè deditionem proscriptorũ, eorumq́
ad pœnas dimissionem iniunxerit, atq; quod idem à Principibus hæreditario
fœdere deuinctis, cùm per legatos, tùm per literas sæpius ab eo postulatum sit:
Præterea quod ordines Imperij honorifica legatione eum amicè commonefe-
cerint, atq; diligentissimè rogarint, ut Imperatori, tãquam à Deo supremo Ma-
gistratui constituto, submississimam obedientiam præstaret, atque pœnalibus
mandatis, absq; ulteriori rebellione, parêret. Qua ratione uerò, hisce non at-
tentis, non solum Cæsareæ Maiestati sese opposuerit, atque in sua rebellione
perseuerarit, sed & Imperij legatos, responso contemptus atq; ignominiæ ple
nissimo (in quo nec Cæsaris nec Imperij existimationi parsum sit) dimiserit, at-
que id scripto comprehensum, postea in lucem diuulgarit, id Electoribus Prin-
cipibus ac uniuersis notorium & manifestum esse: Præcipuè uerò ex ipso re-
sponso alijsq́ eius scriptis liquere, quam odiosè se insimularit, ac nulla data
causa contra iuratum fœdus atrocissimis iniurijs, falso onerarit, quarum per-
secutionem ac refutationem, in commodum sibi tempus reseruet. Etsi uerò
per hoc non solum contra ius, ac Imperij constitutiones, sed & contra commu
ne hæreditarium fœdus (ad cuius obseruationem corporali iuramento sese ob-
strinxerit) Imperij proscriptis, homicidis, prædonibus atq; hostis, qui suæ uitę,
saluti, ac terris insidiarentur, receptatis, sufficientes causæ sibi datæ fuerint, ne
molestias atq; iniurias illatas, inultas dimitteret, tamen se propter gloriam Dei
ac publicæ tranquillitatis commodum animum uicisse, & tam multiplices mo
lestias, prouocationes atque iniurias mansuetè leniterq́ tulisse, ea contempla-
tione, se de falsis insimulationibus apud omnes æquitatis honestatisq́ aman-
tes facilè excusatum fore: ac nuper ad amicam legationem Friderici Palatini
Electoris, Guilhelmi Ducis Iuliacensis, & Philippi Landtgrauij Hessię priua-
tas offensiones atq; iniurias eò retulisse, ut ipsorum aliorumq́ suorum amico-
rum tractationi amicabili de his (saluo tamen honore suo, ac præcedente Cæsa
reæ Maiestatis consilio) assentiretur, cum expressa declaratione, se propter pri-
uatas causas nullum bellum, uel sanguinis effusionem, uel subditorum exci-
dium concitaturum esse, sed alijs conuenientibus rationibus usurum, nisi cau-
sa ab ipso sibi data atq; defensione extorta, prout & adhuc ita affectus sit, nec
quicquàm de terris Ioannis Friderici concupiscat, nec ex hoc executionis ne-
gocio, quicquam speret. Quandoquidem autem Cæsarea Maiestas sibi cle-
mentissimè significarit, quod obstinatam atq; intolerandam ipsius contuma-
ciam superbiam atq; rebellionem ulterius dissimulare ac impunitam dimittere
nequeat, atq; propterea sibi seriò præceperit, ut uigore decreti Imperij atq; ra-
tione officij, quod tanquam superioris Saxonici circuli Dux gereret, executio-
nem contra proscriptos atq; ipsum, utpote eorum receptatorem ac defenso-
rem tribus alijs circulis euocatis, aggrederetur promoueretq́, cumq́ ad obe-
dientiam Cæsareæ Maiestati præstandam, conscientia constrictus teneatur:
Ideò sibi commune negotium executionis in nomine Omnipotentis inchoan-
do, Cæsareis mandatis parendum fuisse, prout id ex Cæs. Mai. denunciatione
ipsemet cogniturus sit. Etsi uerò hoc executionis onere se subleuatum cupiat,
ac ipsi eam mentem optet, ne Cæsareæ Maiestati atq; Imperio ad tantæ seueri-
tatis, miseris, ignaris, & innocentibus subditis maximarum ærumnarum ac
difficultatum occasionem dedisset, aut adhuc accelerata traditione proscri-
ptorum eorumqûe adhærentium, deditione arcis, & noxæ apud Cæsaream
Maiestatẽ humili ac supplice deprecatione ea uitaret atq; auerteret, in quibus

illi,

1566. illi. licèt minimè id merito, bonam operam sit nauaturus, tamen sibi iniunctum
officium, ut alijs circulorum Imperij Ducibus obedienter adimplendum, red-
ditione rationis harum miseriarum apud Deum & magistratū autoribus ea-
rum relicta: Hisce uerò denunciationibus tantum abest, ut Ioannes Fridericus
commoueretur ad rationes de auertendis malis impendentibus quærendas,
ac saluti subditorum cōsulendum, ut etiam animo obfirmato in receptatione
proscriptorum & eorum defensione perseueraret, miseris ac imbellibus subdi-
tis, quos iam pridem in hunc euentum armarat, euocatis, ut ijs ciuitatem atque
arcem cōtra obsessuros defenderet, donec auxilia in quorum spem maximam,
sed uanissimam, eum Grumbachius erexerat, aduenirent. Quare ipso nihil de
cōtumacia remittente, sed singulari indignatione improuisæ oppresionis, ma-
gna spirante, Augustus Elector ne officio defuisse uideretur, ultimo Decemb.
per suos, qui partim ex Hungaria dimissi, partim ex alijs locis conducti essent,
Gothanis more militari obequitatione & circumsessione equestri, belli futuri
signa commonstrat. Veruntamen plærisque horum magis in rapinas atque præ-
dam intentis, quàm intercludendis itineribus ac commeatui hostibus interuer-
tendo, non pauci dulcedine rerum nouarum ac prædæ opimæ spe capti Go-
tham ingressi rerum fruendarum copiam insignem atci deinceps intulêre.

DE REBVS GESTIS ANNO M. D. LXVII.



QVINTO Ianuarij Georgius Hozzutotus nobilitate generis & a-
1567. nimi excellentia uir clarissimus, Cæsareæ Maiest. Cameræ Hun-
garicæ consiliarius, orator à sua Maiestate superiori anno ad Soly-
mannum pro pacificatione missus, sparsa fama mortis Solyman-
ni Viennam reuertitur in reditu obuius nouo Imperatori Selimo
Constantinopolim reuertenti, factus facultatem eius uidendi, sed non compel
landi obtinuerat, Mahomet Bassa dicente eum ablegatum ad defunctum Im-
peratorem, cuius morte mandato extincto, nihil cum successore agi posse, nisi
uel ipso, uel alio nouis mandatis iterum misso.

Circiter hoc idem tempus subditi Ioannis Friderici tam nobiles, quàm ple-
bei literis euocati Salueldię conueniunt; & ibi à iuramento & fidelitate, qua Io-
anni Friderico obligati fuissent, autoritate Imperiali per Heraldum, ut uocant,
absoluti, Ioanni Guilhelmo fratri, Ioanni Friderico relicto, omnem fidelitatem
præstare iubentur. Nam cum ambo fratres iure simultaneæ inuestituræ & pro
indiuiso, eò usque ditionem administrassent, atque Ioannes Guilhelmus cum alias
fratris actiones, tùm uerò proscriptorū receptationem improbasset, debitam
etiam obedientiam Cæs. Mai. atque Imperio præstitisset, æquitate ac clemētia Im
peratoris obtinuerat, ut executio ita institueretur, quo psis ditionis, quā frater
pro indiuiso tenuisset, sibi soli præstita cautione circulis, de sumptibus belli ex
medietate ditionis fraternæ soluendis (exclusis Ioannis Friderici filijs) remane
ret. Cum itaque trium præfecturarum cum pagis atque oppidis ad eas pertinenti-
bus oppignoratione Augusto Electori agnato cauisset, Vasalli, ciues ac subdi
ti fide soluti, ad eius clientelam ac patrocinium singulari Cæsaris mandato re-
mittuntur, & hac iurisiurandi formula obligantur, quod in posterum Ioan. Fri
dericum pro domino non agnoscere, nec ei fidem, iuramentū ac obedientiam,
sed Ioanni Guilhelmo eiusque hæredibus iuxta Cæsarei mandati tenorem, fide-
les, obsequētes, morigerique esse, eius atque hæredum damna auertere, commoda
promouere, & omnia, quæ uel Dei mandato, uel iuris autoritate, uel consuetu
dinis ratione fideles subditos erga hæreditarium atque legitimum Principem
decent, facere uelint. Et si quod Deus auertat, Ioan. Guilhelmum, eiusque hære-
des feudorum capaces, mori contigerit, quod uigore fraternitatis ac fidelitatis
hæreditariæ, in familia Saxonię constitutę, Augusto Electori Saxonico eiusque
hæredibus.

hęredibus. His uerò quoq; deficientibus Landtgrauijs Hassiæ, eorúq; ueris, na 1567.
turalibus, atq; legitimis ex corpore ipsorum descendentibus hæredibus adhærere atq; parere, nec contra id facere uel per alios quid fieri permittere uelint.

Antequam hæc fierent Imperator 23. Decemb. ad Ioannem Guilhelmum literis missis, ei uoluntatem executionis contra fratrem Ioan. Fridericũ rebellem ac proscriptorum receptatorem faciendæ indicarat, cũ mandato, ut executioni interesset, ac pluris communis patriæ salutem, ac mandatorũ Cæsaris, Imperijq; decretorum autoritatem, quàm fraternam coniunctionem & affectionem faceret, seq; in omnibus tanquam obsequentem Imperij Principem exhiberet, in fine adiectis ijs, quæ, quā grauibus de causis hoc tempore, ad hanc seueritatem processisset luculenter testarentur. Pro certissimo eum statuere debere scribens, quod sua Maiestas hanc executionem multò libentius in aliud tempus differre, imò penitus prætermittere maluisset, cùm, quod bello contra potentissimum ac hæreditariũ totius Christianitatis hostē Turcam, satis occupata esset, tùm ut laudatissimæ familiæ ac domui Saxonicæ parceret, nisi Ioan. Fridericus sua obstinata, peruicace, ac indies magis magisq; accrescente inobedientia ac rebellione, huic tam necessario remedio causam præbuisset, & Turcici belli mole, qua sua Maiestas grauissimè premeretur haud dubiè fretus, omnia præcepta & pœnis grauissimis roborata mandata atq; decreta, unà cum antiquis Imperij sanctionibus extremo & non ferendo fastu reiecisset. Quare Cæsaream suā Maiestatem, & status Sacri Imperij non potuisse ratione officij, hunc contèmptum, fastum ac imminutionē existimationis, honoris, autoritatis, & eminentiæ suæ Maiestatis & totius Imperij dissimulando ferre, si nō in futurum in similibus ac minoribus causis, eadem sentire ac tolerare uelint. Quæ uerò inde incōmoda, mala, & quam perniciosæ machinationes, præsertim hoc tam periculoso & turbulento tempore, & tam irrequietis hominũ animis inde exoritura essent, id eum, & omnes pacis ac honestatis amantes, facilè perspicere: Ita ex summa necessitate, post longam patientiam atq; mansuetudinem, ipsi tanquam iusto Imperatori ad defendendam sacrosanctam iustitiā, ad tuendam adamatam tranquillitatem, & ad punienda mala præter uolūtatem & summa cum suæ Maiestatis incōmoditate, descendendum fuerit: Eoq; Ioan. Guilhelmum tantò grauiores causas habere, ut is pro sua parte hoc necessarium executionis opus iuuet, eiq; non solum ut præcipuum membrum superioris Saxonici circuli, sed & ut ratione communionis in deficiente patre ditionis fraternę successurus, intersit, ac debitam Cæsareæ Maiestati atq; Imperio in hoc obedientiam & conuenientia officia liberè atq; intrepidè præstet.

Decimo huius, Ioannes Guilhelmus subditis totius ditionis fraternæ, autoritate Imperiali, præter Gothanos, in fidem receptis, & hos iurisiurādi, quo sibi deuincti sint admonet, & uigore eius, atq; absolutionis & immissionis Cæsareæ omnes ex ciuitate & arce Gothana euocat, seriò mandans, ut arcem cum ciuitate ac semetipsis in Cæsareæ Maiestatis Electoris Saxoniæ tanquā supremi Ducis belli, & in suam obedientiam ac potestatem tradant, nec post hanc deditionis flagitationem, in arce uel urbe maneant, sub amissione uitæ ac corporis, facultatum atq; bonorum, quolibet contrarium faciente, pœnam proscriptorum parem, uigore decreti Imperij; idq; subsecutorum mandatorũ atq; inchoatæ executionis subituro. Verùm id frustra metu magis quàm uoluntate subditis euocatis in fide Ioanni Friderico data persistentibus.

Decimoquarto Ianuarij, Zaduuar arx munitissima Georgij Bebeck, qui à fide Imperatoria deficiens, belli inter Cæsarem & Vaiuuodam funesta fax fuetat, in Schuendij Ducis Cæsarei potestatem concedit. Arx quidem rebus omnibus præterquàm præsidio instructissima erat. Quare, cum Bebeckius, ea relicta, clàm auffugisset, præsidiarij paucitate diffisi, uitam & suppel-

lectilem

1567. lectilem pacti, eam dedidêre: Vxor profugi illic deprehensa, cum suo mundo muliebri benignè dimittitur, munitiones uerò bellicæ Imperatori seruantur.

Vicesimoquinto Ianuarij Elector Augustus qui copijs ex cōcursu militum & sociorum auxiliorum aduentu auctis, iam Gotham ipsemet uenisset, unà cum adiunctis Cæsareis legatis, nomine Imperatoris omnes nobiles, ciues atque rusticos Gothæ militantes, à fide & obedientia Ioannis Friderici auocat, eosq; à iureiurando uigore mandati Cæsarei atq; officij commissi soluit, ijsq; seriò iniungit, ut statim Ioannem Fridericum deserant, ei nullam obedientiam præstent, arcem Cæsareæ Maiestati atq; Imperio tradant, ea excedant, proscriptos ad supplicium dedant, sub priuatione honoris, uitæ atque bonorum contrarium facientibus denuncians: Cæsarem, ordines Imperij, atq; se, ut constitutum Imperij ducem, de rationibus cogitaturos, quibus arcem ac ciuitatem diui ni numinis auxilio in potestatem redigant. Quo facto, ipsos ut obstinatos ac inobedientes proscriptos, contumaces rebelles, ac publicæ pacis uiolatores, quorum honos, uita atq; bona in commissum ceciderint, ferri ignisq; seuitiam, omni gratiæ ac misericordiæ expectatione præclusa sensuros. Adhæc Elector suos Vasallos, qui in arce uel ciuitate Gothana sint, peculiariter auocat, ijsque mandat, ut statim in castra sua transeant, sub prænominatis pœnis. Cæterùm obsessis non pluris Electoris Augusti, quàm Ioannis Guilhelmi euocationem facientibus, is fossis aggeribusq; iactis, castellisq; excitatis, tam propè ad muros urbis copias admouet, ut ab obsessis obsidentium uoces exaudirentur. Nunc ergo obsessos relinquentes, ad alia progrediemur, cùm, quæ in obsidione acciderint, aliorum narratione luculenta exposita sint.

Circiter finem huius mensis, crescente in Belgico tumultu, ob impedimenta religioni illata, Valentiniani in finibus Galliæ & Belgici positi, iussu Gubernatricis obsidione cinguntur, quod Noërcarmium uicesimo Nouemb. cum equitatu & presidijs contra Gallos ciuitati imponendis excluserint, concionatoribus in loca consecrata introductis. Nihil quidem horum à Valentinianis negabatur, sed singula cum oblatione obedientiæ excusabantur. Noërcarmium enim Senatu Ecclesiastico ad eius libitum extra portas non accurrente, omnium opinione celerius indignabundum discessisse, quo mali Valentinianis conciliandi occasionem haberet, & præsidiorum impositione nihil aliud quæsitum, quàm ut religio impediretur, ciuitate machinis bellicis, sub prætextu metus belli Gallici nudata. Verùm hac excusatione non attenta, Noërcarmius ad eos puniendos quadraginta duobus signis peditum, & quingentis equitibus mittitur, & Valentiani publica proclamatione rebelles Regis declarantur, omnibusq; conuersatione atq; commercio eorum interdicitur. His copijs loca Valentianæ finitima circumquaq;, incolæ nihilominus predatum excurrentes, commeatum ciuitati importabant, cuius uix ad trimestre spacium, copiam habere ferebantur, & tormentis bellicis maioribus atq; minoribus, circiter centum in muro dispositis, obsidentibus incommodare non prætermittebant. Socij cognita Valentianarum obsidione, ijs statim undecim signa peditum auxilio mittunt, sed Noërcarmius de hoc certior factus, atq; ipsis relicta obsidione obuiam progressus, eorum circiter duo millia concidit, reliquos uerò in fugam conijcit. Cumq; comperisset, Tornacenses uacillare, atq; ad arma respicere, eò contendit, atque in tempore intromissus, arma ciuibus adimit, eorumq; multis in crucem actis, atque præsidio illic relicto, Valentinianam reuertitur. In reditu leui prælio cum Valentianis habito, eorum circiter centum & sexaginta interficit, ac aggeres fossaque agit, quibus à tormentis bellicis obsessorum sese defendat, ac interea dum sibi machinæ bellicæ à Gubernatrice mitterentur, quibus muros quateret, compositionis studium simulat, gratiam regiã obsessis in uiam reduntibus promittens. Cæterùm ijs in suo prcpo-

tio

sito perseuerantibus, ipse machinis bellicis adductis, tanto impetu atque fragore mœnia concutit, ut incolæ se amplius defendere non sustinentes, hostis misericordiæ permiserint. Nocrcarmius itaq; cum exercitu ciuitatem ingressus, eiq; præsidio imposito, conciones abrogat, omnibus concionatoribus & primoribus populi in carcerem coniectis. 1567

None Februarij Confluentiæ obit Iohannes de Leya, Archiepiscopus Treuirensis, circiter secundam & tertiam horam noctis: Princeps prudentia ac uaria rerum experientia clarus. Hic Treuirenses mutationem religionis molientes, pulsis innouationis autoribus contudit, ac Confluentinos libertatem nimiam usurpantes sub iugum redegit.

Decimoquinto Februarij huius anni, populo Belgico concionum usum ubiq; flagitante, Henricus Bredenrodius, qui inter proceres non minimæ autoritatis esset, ducissæ Parmensi, ac gubernatrici Belgici, nomine suo sociorumq; libellum supplicem exhibet, in cuius initio conqueruntur, prædicationem Euangelij, sacramentorum administrationem, nouis mandatis hinc inde eius iussu publicatis, impediri, & quibus possit modis abrogari. Deinde non solum Doctores atque ministros, sed & auditores ac concionatores ab ea in carceres detrudi, non attento, quod longè aliud per status & proceres aurei Velleris uicesimoquinto Augusti proximè elapso, statutum atque decretum fuerit. Tertiò neq; sibi, neque alijs socijs, qui anno millesimo quingentesimo sexagesimo sexto, in mense Aprili, contra Hispanicam inquisitionem supplicando protestati fuissent, credi, atq; solitam amicitiam exhiberi, ijsq;, absq; ulla causæ declaratione ex quibusdam ciuitatibus exclusis, sub dio uiuendum, & in agris maximo cum periculo degendum esse nō secus quàm si hostes Regis & patriæ sint in quo tamen ipsis qui semper in uocatione atque officio manserint, iniuria inferatur, idq; etiam contra trāsactionem à proceribus aurei Velleris comprobatam fieri. Postremò delectus copiarum in Belgio & extra Belgium haberi: Quandoquidem autem neque ab intestinis, nec exteris bellis periculum sit, non aliter socios statuere posse, quàm hoc consilio copias conscribi, ut ijs Margarita contra eos utatur, per easq; religionis exercitium, & sacramentorum administrationem opprimat. Quare se petere, ne gubernatrix, concessæ & à semetipsa approbatę religioni, impedimentum inferat, mandata atque edicta, usum religionis prohibentia, reuocet atque aboleat, copias conscriptas dimittat, atque transactionem à proceribus & statibus initam, seruet, nec quid contra eam tentet. Ad hæc postulata, Margarita Parmensis respondet, sibi nobiles confœderatos ignotos esse, neque scire, à quibus supplicatio exhibita fuerit, iactitans, plerosque eorum, qui anno superiore contra inquisitionem supplicarint, animo mutato ad se uenisse, cum significatione quod declarationi Regiæ acquiescerēt, omnemq; obedientiam ab ipsis pręstari, ducissa asserit. Ita hoc ipso, innuens, confœderatos partim diuisos, partim in suo instituto inconstantes, ea intentione ut Bredenrodius, animo abiecto à proposito desistat, ac ceremoniæ abrogatæ, conciones introducantur, eiq; adhærentes, tanquam hæretici oppressi puniantur. Adhæc se summopere mirari scribit, confœderatos in supplicatione affirmare, ab ipsa generalibus statibus atq; proceribus aurei Velleris exercitiū præsentis religionis permissum esse, id se diffiteri, neq; unq; sibi id in mentem uenisse, imò se summo cum dolore eas actiones inspexisse præsertim cum cognouerit, à quibusdam conciones armata manu frequentari, id confœderatis tanq; maximum scandalū exprobrans, nec se eius permissionis recordari asserens, nulla ratione habita, mensem & diem à confœderatis expressum, in quib. ea transactio facta fuerit & q Auraici edicta de libertate religioni cōcessa, non solū Antuerpiæ publicata, sed & per totum mundū sparsa fuerint. Vlterius cōmemorans, nonnulla quæ à cōfœde

1567 ratis nouæ religionis patrata fuerint,nimirum imaginum fractionē, altarium
euersionem,cōciones non solū in ciuitatibus,sed & in agris,& in monasterijs
habitas.Id peccatum maximū esse & per prædicationē loca sacrata,prophana
ta esse:Nec enim confœderatorum confessionē Euāgelium,sed hæresin,ima-
ginum cultū idololatriā,& multitudinē altarium repræhendendā,nondū con
uictum esse.Addit hisce quosdam ex Geusijs uel confœderans (Valencianos
taxans) in aperto cāpo,atq; uexillis erectis,Regia tormēta bellica ad se trāstu-
lisse:In manib. etiam suis esse literas quibus docere queat,quosdā è cōfœdera
tis Valentianis uoluisse auxilia submittere,hæc seditionem redolere cum Va-
lātianam obsidētes Catholicæ religionis ac autoritatis regiæ defensores sint.
Tandem in fine Bredenrodium & socios admonet,ut populū seductū in uiā
reducant,nec aduentātis indignatione onerēt,cum ipsius aduētus immineat.
Nono Martij cū Emanueli Philiberto duci Sabaudiæ anno 61.filiolus natus
fuisset,is tandē Turini magna solēnitate sacro fonti ab Archiepisc. Taurinensi
tingitur,nomenq; Caroli Emanuelis accipit,præsentib. nomine Pōtificis Car
dinale Criuello:Regis Frāciæ,Marchione uillario equite ordinis diui Michaē
lis Reginæ Hispaniæ,Maria Sabaudica:Venetæ Reipub.& ordinis Melitēsis
legatis,qui uniuersi magna munera obtulerunt,alijs quoq; multis tam Eccle-
siasticis,quàm secularibus,illic cōparentibus,ac uarijs modis animi læticiam
ob successorem ducatus Sabaudiæ natum , commonstrantibus: Nec literatis
uiris deficientibus,qui hanc solennissimam pompam describerēt, inter quos
fuit Iohannes Giraldus Ferrariensis,nobilitate ac eruditione clarus, quōdam
Ducis Herculis Ferrariensis Secretarius.
Decimotertio Martij motibus in Belgico de religione nō remittentib. sed
indies aggrauescētib. quidā Ioānes de Greue,præfectus militaris,nomine gu
bernatricis 500.equitib.& 400.peditibus ex improuiso prope Antuuerpiam
appellens,Geusiorū copias quæ Austrelij cōgregabantur dissipat,ijs partim
concisis,partim aqua suffocatis:Eo uerò Geusij,ut nominantur, Antuuerpiæ
cognito cum proditionem metuerēt,porta quæ Austrelium itur,eo tempore
aperta,cū antea semper occlusa fuisset,statim armis correptis gregatim ad pō-
tem Marinum cōcurrunt ac magna multitudine eotū cōgregata, in auxilium
suorum sociorū porta erumpere moliūtur. Auraicus,qui nomine Regis Ant-
uuerpiæ adhuc præesset,de hoc certior factus,statim eo se cōfert,ijsq; monitis,
ne porta egrediantur,ostendit,quod socijs ab equitatu foris oppressis ac dissi
patis succurrere nequeant:si uero id tentent,eandē calamitatē subituros quā
alij sensissent,nec equitatui eos resistere posse,obtemperantibus, uitæ atq; bo
norum securitatē promittēs.Itaq; Antuuerpiani eius autoritatē atq; fidē secu
ti in urbe remanent:id uerò dum fit,seditio magis magisq; crescit,quibusdam
equitibus aduolātibus,qui unà cū peditibus ex noua ciuitate ad pontē mari-
num ducēte,occupato,usq; ad tēpus pomeridianū in armis mansêre. Interea
uerò Senatus Antuuerpiensis cum Auraico ita cōuenit,ut tres cohortes mili
tum,quas pro securitate urbis cōscriptas,in forū disposuissent, inde domū re-
dire,ac machinæ bellicæ ex armamētarijs eductæ, ijs recludi iuberētur , Geu-
sijs interea excubias agētibns.Etsi uerò diligēti intercisione Auraici motu se-
dato,omnia pacata sperarētur,tamen repentè denuò alius exortus est, in quo
Itali atq; Hispani Kipdorpiū,Germani pōtificij,cū cōsociatis Lutheranis , fo-
rū equestre occuparūt:Ex alia parte Geusijs qui Caluinistæ appellabant,coa-
dunatis.Hoc motu ad biduū durante,oēs in magna cōsternatiōe erant,quoli
bet extrema metuente:Cum em̄ ab utraq; parte omnia ad cōflictum respice-
rent,magnus metus erat,ne horrenda cæde facta,uictrix pars in deuicta ædes
irruens,omnia trucidaret atq; diriperet,unde oēs ædes lamentis atq; eiulatu
mulierum & puerorū personabāt:utraq; ergo parte hostili acie opposita, Au-
raicus

raicus atq; consules inter utrāq; equitabāt quantum poterāt, prohibētes, ne ar 1567 ma stringerētur, attenta periculi utrinq; imminētis magnitudine, cum utraq; pars maiorib. bellicis tormētis instructa esset, ac tādem diligēti tractatione effectum, ut utrasq; partes conditionibus sequentibus cōponerent. Primò oēs ciues atq; incolas urbis utriusq; religionis Auraico iuramentū præstarent, se fideles Regiæ Mai. propter publicā tranquillitatem urbis fore, & hāc pro uirili defensuros cōseruaturosq́;. Nec rectores, nec magistratus, ullas copias uel armatos citra cōsensum atq; cōsiliū omniū ordinū, seposita religionis cōsyderatione in urbē introducturos: Quēlibet operā daturū, ut immunitates atq; priuilegia urbis, præcipuè uerò quæ à læto introitu nominārur, ꝓ uirili seruer. Itē, ut ꝓpter publicā tranquillitatē & ꝓsperitatem urbis, & cōseruationē negotiationis, transactio in negocio religionis proximo mense Septēbri inita, citra ullam contradictionē in suo robore maneat, quoad Regia Mai. cum generalib. statibus diuersum statuat. Religioni utriq; adhærētes atq; Ecclesiasticos sub mutua fide ꝓmissuros, quod alter alterū nullatenus lædere, sed si cui uis inferatur, pro uirili eum iuuare atq; defendere uelit: Pro maiori securitate portarū claues in manus Principis tradendas, penes quē aperiendi recludendiq; potestas sit. Numerosas excubias in posterū agēdas, cōstantes ex ciuib. & stipēdiarijs, nullo discrimine religiōis habito, ꝓut rectores de his disposuerint sub pœna ab ipsis cōstituēda. Obliuione oēs actiones ꝑteritas obliterādas. Quēlibet q; non sit excubijs agēdis destinatus, ad lares cōcessurū rebusq; suis uacaturū.

Pro maiori securitate ciuitatis, cōsensu ordinū seu membrorū, ut uocēt, 400 equites cōducēdos, flumina nauigabilia nauib. armatis seruāda, quotiescūq; Rectores id è re esse duxerint, idq; ducib. ijs qui communi cōsensu electi fuerunt. Omnes incolas urbis nemine excepto contributuros ad sumptus qui in hunc finē ac defensionē ciuitatis necessariò sint cōferendi. Machinas bellicas in propugnaculis tradendas custodiæ rectorū. Rebellione sub prætextu religionis aut alio motu ad perrurbandā publicā pacem ac trāquillitatem cōcito, quēlibet id impediturū, ac fastidiosorū capturā adiuturū. Pro maiori securitate & obseruatione horū capitū Rectores, magistratus atq; membra urbis nec non religioni adhærentes, sub iureiurādo promissuros, se ea inuiolabiliter pro uirili seruaturos, nec quidq; contra se fieri admissuros. Capitaneos ac milites, qui iam recepit & in posterum conducendi sint, ad huius transactionis obseruationem adigendos. Ad extremum religioni adhærentes Auraicum rogāt, ut propensionem erga ciuitatem seruet atq; cōtinuet, eiusq; in seruitium Regiæ Maiestatis & publicum commodum defensionem suscipiat.

His itaq; ab utraq; parte comprobatis initio Hispani ac Itali, deinde Geusij, postremo Papistæ cum confessionistis, ut uocāt, locis suis relictis, quilibet domum rediêre.

Martij die ultimo, Philippus Hassiæ Landgrauius, Princeps natalib. rerum gestarum magnitudine, pietate, prudētia, rerūq; experientia ac omnib. heroicis uirtutib. illustris, ac de Ecclesijs, Scholis & Repub. optimè meritus, terrenā uitam cum cœlesti Cassellijs cōmutat, natus anno 1504. decimotertio die Nouemb. patre Guilielmo Hassiæ principe, quem medium dixêre, matre Anna Magni ducis Megalopolensis filia. Cum adoleuisset, Francisci Sickingiaci in arce Nanstal, Treueri & Palatini Electorum auxilio, conatus repressit, rusticos per Germaniā tumultuātes cōtudit, Moguntinū, Vuirtzburgicū & Bambergicum Episcopos, suspectos ob initū fœdus cōtra Euāgelicos mulctauit; Vdalricum Vuirtenbergicū cognatum, ad 15 annos exulantem, ditioni auitæ restituit; Anabaptistas Monasterienses obsessos, ad deditionē compulit: Heinricum Brunsuuicensem unà cum cōfœderatis ducatu exuit, deinde ualidis copijs pro eius recuperatione redeuntē, cœpit. Bello à Carolo V. Schmalcaldicis illato, cum quāplurima egregia uoluntatis documenta edidisset, præter spē &

1567 multorũ opinionẽ captus,fortunæ iniquitatem constanter pertulit, ac generi Mauritij Electoris Saxoniæ,filijq; Vuilhelmi,aliorumq; Principũ,cõtra Carolum insurgentiũ,uirtute liberatus,ita terris suis præfuit,ut & Dei gloriam atq; religionis puritatẽ propagaret,suorum subditorũ saluti cõsuleret,ac patriæ periclitanti subinde salutaribus cõsilijs succurreret,quo inter Germaniæ Principes,pax & cõcordia firma stabilisq; retineretur. Amoris erga literas monumẽtum insigne reliquit Marpurgẽsem Academiã,quã erectã liberalib. stipendijs ac immunitatib. ornauit,undiq; accersitis Doctorib. & Magistris omniũ artium ac facultatũ. Iustitiæ studiũ in eo tale,quale perpaucis sui ordinis hominibus cõspectum,cum nullus eo in sceleratis latronib. atq; prædonibus puniẽdis seuerior extiterit. Beneficentiã erga pauperes testãtur Xenodochia uarijs in locis cõstituta,Heyne,Merchshusẽ,Brubachẽ & Hocheym. Veniæ itidem hostib. datæ exemplũ tam illustre,ut omni posteritati sit notandum, reliquit: Nã cũ Henricũ Ducẽ Brusuuicẽsem ducatu,ut diximus,pepulisset, iterũ deinde cum Carolo uictore cœpisset,cum eo deinceps ita fuit animo beneuolentiaq; cõiunctus,ut ipse fateretur,se illi uni maximã omniũ rerum fidẽ habere. Verum singulas eius uirtutes prosequi,nostri non est instituti. Vxorem legitimam habuit Christinã,Georgij Ducis Saxoniæ filiã,ex qua filios sustulit, Vilhelmum,Ludouicũ,Philippum,Georgiũ: Filias Agnetem,primo Mauricio, deinde Iohãni Friderico Ducibus Saxoniæ nuptã. Annam Comiti Palatino Vuolffgango elocatam,Barbaram Georgio Comiti Mompelgardico traditam. Christinam, quam,cum Ericus Rex Suecię ambijsset, tandẽ Adolphus Holsatiæ Dux coniugem accepit.

Aprilis die 2. Ernestus dux Brunsuuicensis,sed à loco domicilij Grubenhagicus dictus,in castro Hertzbergk, Lãdtgrauium qui cum in hac miseriarum ualle coniunctißimè uixisset,in æternæ uitæ sedes subsequitur,ac die ueneris sequenti sepelitur in oppido Osterrodo,magno cum luctu suorum, Princeps bonus,pius,fortis & constans.

Nam cum in bello Schmalcaldico castra Iohãnis Friderici Electoris Saxoniæ secutus,unà cum ipso captus fuisset,maiori ratione fidei Electori datæ, quã suæ liberationis habita,cõstanter ei adhæsit quoad ab Imperatore dimitteret, ac postea Philippi Regis Hispaniarũ partes cõtra Gallos secutus,talẽ sese præstitit,ut & Regi gratus,& omnib. Germaniæ Principib. ob insignes uirtutes charissimus esset. Patrẽ habuit Albertũ Brunsuuicensem,matrem Elizabethã comitissam in Vualdeck,uxorem uerò duxit Margaritam Pomeranicam,Philippi Pomeranici sororem,ex qua filiam sustulit Elizabethã matrimonio iunctam Iohanni Holsato Friderici Regis Danici fratri.

Quarto Aprilis die,præsidiarij Gothani,finito trimestri iuramẽto,quo fidẽ suam Iohãni Friderico obstrinxerãt,de nouo id efflagitatũ præstare recusant, uel quod causæ bonitati ac aduẽtui auxiliorũ diffiderent,uel rerum omnium administrationẽ iniquißimã improbarẽt,unde inter sese cum oppidanis coniuncti,proscriptos comprehensos ex arce cum Cancellario Christiano Bruck abreptos,in Curiam ciuitatis deducũt,ac mox quid in urbe factum sit,Electori,qui tunc temporis ab exercitu profectus Casellas fuerat,ut deductionẽ funeris Landtgrauij cohonestaret,significant. Eo ergo aduentante ac rem cum Cæsareis Legatis cõmunicante,res eò deducta est, ut 13 die Aprilis,hora circiter sexta uespertina, Iohãnes Fridericus in Arce Gothana custodiæ traditur, postridie in manus & potestatem Imperatoris se dederet,deditione legatis facta,Ottoni Comiti in Eberstein,Fabiano Schoneichio,& Christophoro Carolonicio ex ordine equestri,uiris nobilibus & equitibus auratis petẽs, ne abduceretur in Austriã,sed ut relinqueretur apud Electorem Saxoniæ. Incidit hæc Iohãnis Friderici captiuitas in Dominicã,Misericordias Dñi, ita ritu Ecclesiæ nominatã,quã ante annos 20 à Carolo V. Imperatore, pater Iohannes

 Frideri-

Fridericus senior, proditione suorum, ut uulgò perhibetur, ad Mulbergū acie 1567
uictus & captus est. Iohānes itaq; Fridericus filius, hunc diem sibi nō minus, quam patri fatalē fuisse cōquerens, (ut etiam exteri scribunt) huius fati cōside ratione, sese Deo cōmendat, dicēs: sibi malignitate astrorum, cōmunem cum parente fortunā esse. Quærela quidem tēporis atq; diei ratione iustissima, si diuinę uolūtati refragari, uel ea astris ascribere licet: Sed causæ parietate, à patris actionibus dissimillima, hoc nō proscriptos ob facinora receptante, nec Imperatori Carolo in negocijs politicis resistēte, uel illicitis arriolorū oraculis cōfitente, sed ijs quæ uerbo Dei cōgruerent, insistēte, ac in omnib. actionibus ea consilia sequente, quæ patriæ saluti, & Reipub. cōmodo essent. Non itaq; mirum, si quam exercuit Rebellionē ac inobedientiā contra Imperiū ac Cæsaream Mai. ipse senserit, cùm per quæ quis peccat, ea etiam puniatur, omnibus historijs id attestantibus. De alijs quæ captiuitatem principis subsecuta fuēre, dici à nobis nihil necesse est, cum ea luculēter ab alijs descripta extent, proscriptis ita punitis, ut eorum supplicio, obedientiæ erga magistratū & leges, & abductione Principis, arcisq; Gothanæ demolitiōe uetitarum machiationū exemplum sit editum. Hac uerò tam præclara uictoria obtenta in memoriā eius Elector Saxoniæ thaleros ut uocant, cudi facit, quib. hoc hemistichiū inscriptum erat, TANDEM BONA CAVSA TRIVMPHAT.

Septimo Aprilis dissidentibus capitulo & ciuitate Treuirensi, Cōfluentiæ in locum Iohānis Archiepiscopi Treuirensis defuncti, eligitur Iacob. ab Eltz, princeps bonus ac placidus, religioniq; suæ addictissimus.

Vndecimo Aprilis cum cōtributione Augustana ad expēsas belli Hūgarici nō sufficiēte, Imperator comitia Ratisponā indixisset, quo de alijs uijs cogitaretur, cōmodis ad persolutionē stipendiorū debitorū, & in futurum, hoste Christiani nominis nōdum cōquiescente, persoluendorū, & sua Maiest. quæ alijs conuentibus in terris hæreditarijs agendis, occupata esset, Albertū Bauaricum sibi delegāsset, is plerisq; Principū legatis, Ratisponæ præsentibus, consultationis futuræ capita ꝑponit, nimirūm ut initiò triennale subsidium promissum in biennale couertatur: & de executionis Gothanæ hactenus factarum expensarum solutione consultetur.

Mense Maio Dux Albanus à Rege Philippo ad cōpescēdos motus in Belgico ob religionē exortos, ablegatus, cum Barcellonæ naues cum suis copijs cōscendisset, Genuam secundo uento appellit, ibiq; in febrim incidit, nihilominus tamen diligentiam adhibens, ut præsidia Hispanica hinc inde ex ciuitatibus euocata, in æstiua locentur, partim in comitatu Astensi, partim in ducatu Montisferratensi.

Maij die 12. comitia Ratisponensia, de quibus diximus, finiūtur, hoc decreto, ut contributionū Imperatoris in comitijs Augustanis, loco perpetui subsidij, promissarum triennalis solutio in biennalē iuxta suæ Cæs. Maiest. petitionem conuertatur. Cumq; de arcis & ciuitatis Gothanæ deditione nūcium 19 Aprilis allatum fuisset, eius tanq; seditiosorum receptaculi demolitiò, Cæsare eam urgente, à statibus cōprobatur. Expensarum uerò in obsidione ab Imperio factarū ratione, nouus cōuentus Erphurdiæ ad primum Augusti celebrādus, indicitur, legatis nihil de his in mandatis quid agerent, habentibus.

Circiter hoc idem tēpus Philibertus Sabaudię Dux repetebat à Bernatib magnā agri partē, quam illi è sua ditione bello olim cœperant: resq; apud Solennem Heluetiorū conuentum frequenter fuerat inter illos agitata: affirmātibus Bernatibus regionē illam sibi iure belli, quod legitimè ipsi susceperant, cessisse. Eo tamen tempore, cum Hispanicæ illæ Albani copiæ expectarētur, cum Duce cōueniunt Bernates, paciscunturq; certis cōditionibus: tresq; Præfecturas Geneuæ uiciniores ei condonāt, cæteræ regiōis iure illis ita cedēte:

ſed freti nomine domini, quæ turris altiſsima eſt, ut Salomon inquit, & bene- 1567
uolentia ſubditorum, uicinorumque amicitia, quæ firmiſsima regni præſidia à prudentiſſimis ſemper ſunt habita, ita cõſilia ſua inſtituturi eſſent, ne quæ magnis ſumptibus propugnacula ſubinde conſtruunt, multo minoribus deinde diruerentur. Vt fertur Gothanæ arcis & ad eam pertinentium conſtructio, ſeptuageſies centum millibus florenis conſtitit, quam facili uerò momento ea capta, diruta atque euerſa fuit? Vt meritò prudentiſsimi Electoris Saxoniæ Friderici, Sapientis, patrui magni Iohannis Friderici captiui cõſilium laudandum ſit, munitiones ſuo tempore extruere nolentis, ne in earum potentia fiducia repoſita, uicinorum arma attraheret. Nec diuerſæ ſententiæ Georgium agnatum fuiſſe conſtat, qui ita ſubditis præfuit, ut in eorum gremio ſe caput repoſiturum ac quieturum affirmarit. Cæterùm hæc attigiſſe ſufficit, plura commemorare noceret.

Septembris initio Albanus iuxta mandati generalis autoritatem, Gandauenſibus claues portæ atque palatij adimit, eaſque Alphonſo Vlloæ Hiſpano, magiſtro exercitus tradit. Hoc ergo facto à Gandauenſibus qui eo ſummopere offenderentur, ad Egmondanum tanquam Flandriæ gubernatorem de lato, hic cum Gandauenſibus Albanum accedit, eique negocium proponit, is eo cognito, hoc reſponſo utroſque dimittit: ſe cogitaturũ de ijs, quæ è re Maieſtatis Regiæ futura ſint. Atque indignè querelam Gandauẽſium de ſe, ac Egmondani interceſsionem ferens: paulò pòſt conſilio ſtatuum Bruxellis in palatio conuocato eique mandato Regio oſtẽſo, Egmondanum præter omnem expectationem cum Comite de Horne, palatio exire uolentem per filium cõprehendit. Etſi communi fama feratur, utroſque ad prandium ab Albano uocatos, atque domum redire uolentes, mandato eius per filium captos. Vtcunque uerò ſeſe res habeat, hoc conſtat, cum Albani filius gladium, quo Egmondanus palatio exiturus, cinctus erat, tradi ab hoc, eumque Regis captiuũ eſſe, iuſsiſſet, hunc frendentem atque frementem dixiſſe. Ecquid ne gladium quo Belgicum defendiſſet, ita deponere deberet, eoque cum indignatione profectò, grauiſsimè de iniuria ſibi facta conqueſtum: deinde tamen ad arcis Gangauenſis præfectum ſcripſiſſe, ut eam in manus Hiſpanorum traderet, id quod & factum eſt. Paulò uerò pòſt Secretario Hornij cum omnibus literis domini, & conſiliario Egmondani Bacherſelio compræhenſis, domini unà cũ miniſtris in caſtellum Gandauenſe Bruxellis abducuntur, ibique à tribus millibus Hiſpanorum aſſeruãtur. Deinde paucis interiectis diebus noctu inter Bruxellis & Antuuerpiam, theſaurarius generalis ſtatuum, Straelius, uir ualde locuples, compræhenditur atque mox in præſentia comitis Lodronij aliorumque, omnia ipſius bona annotantur Eo ergo uiſo, multi non ſolum in Belgico, ſed & finitimis prouincijs uitæ ac facultatibus metuentes, partim in Angliam, partim in alias atque regiones profugiunt: inter hos non minimus Carolus Mansfeldicus, legionis Germaniæ dux, cum alijs ducibus ac præfectis militaribus. Paulò ante quoque Legati Belgici nimirum Montengnius frater Hornij, & legati Renardus & Vandenelius, quos ſupra menſe Aprili anno ſexageſimo ſexto ablegatos in Hiſpaniam ad regem diximus, ibidem capti incarcerantur. Circiter hoc idem tempus uulnus inteſtinæ diſſenſionis, quod nondum conſanuerat, in Gallijs quoque refricuit. Nam cum Philippus Hiſpanus in Flandriam ad motus ob religionem excitatos, ſedandos ducem Albanum cum ualido exercitu miſiſſet & ſimul regẽ Galliæ hortatus eſſet, ut quemadmodũ ipſe ſuos Geuſios rebelles facilè retudiſſet, ita quoque ſuos Hugonotos ille in ordinẽ redigeret: Gallus uirib. & occaſionib. ex Hiſpania oblatis, Heluetiorũ millia ſex, conſcribit. Quæ copiæ cũ in Galliam aduentarent, & Condæo, eiuſque popularibus, ne id quod res erat, Rex hiſce opibus uim Hugonotis intentaret, me-

1567 tuentibus, non paruum timorem iniecerent: Rex ea de causa Heluetios se euocasse dixit, ut eo præsidio contra Hispanorum exercitum iam aduentantem: si is fortassis oppidula quædam controuersa extorquere obiter conaretur, regni fines munitiores tutioresq́ redderet. Sed Condæus, contra uim Hispanorum, si opus esset, sexaginta millia armatorum in aciem ducere, & sub signa cogere posse prædicaret, idq́ in aula de ipso rescitũ esset, à Rege, Regiaq́ matre eò est euocatus. Quo postquam peruenisset, ac cum Duce Andegauensi, regis fratre in colloquium, peracto prandio incidisset, tum Andegauensis, cognare, inquit, rumor est te ad bellum sexaginta hominum millia armare: ac te illud muneris, quod ad me solum pertinere nõ ignoras, supremum scilicet rei militaris imperium, tibi desumere. Quòd si ita est, idq́ tentare uideberis, ad eò id arctum tuas res redigam, ut omniũ totius Galliæ principum sis futurus minimus. Condæus, quanquam hæc per callidam interpretationem dici intelligeret, quòd sexaginta illa millia hominum non tanquam Imperator belli, suo imperio cogere uellet, sed tantùm suo ductu tot euocare posset: tamen manu armatorum nobilium sese septum animaduertens, blandissimè pro tẽpore locutus, se uix ex illis angustijs extricauit. Nec multò pòst ad uicesimũ octauũ Septemb. Hugonoti circa Moncealem ad arma consternati, coitioneq́ facta, urbes quascunq́ poterant occuparant, molasq́ aliquas, quæ uentis circumaguntur, iniecto igne uastarant, combusserantq́. Huius cõsternationis uarias causas multiplicesq́ afferebant: sed hanc præcipuè, quod pro certo comperissent, Guisianos à priuato regis consilio mandatum accepisse, ut quicunq́ sinistrè de Pont. religione sentirent, aut noui aliquid contra uetera ecclesiæ instituta moliti conatiq́ essent: eos omnes quacunq́ ratione possent, è medio tollerent. Ad eam rem Heluetiorum sex millia iam esse cõscripta: omnes undiq́ urbes & oppida municipiaq́ muniri, præsidijs firmari. Lugdunum quoq́ urbem totius Galliæ facile potentissimam, Italorum potestati creditam cõmissamq́ esse. Vt hoc modo maximè se Hugonothis stomachum facere certè arbitrarentur. Quid? illa intolerabilia tributa & exactiones capitum atq́ ostiorum, quæ nunc illis imponerentur, cui non bilem mouerent? His igitur rebus circumspectis omnibus, rationibusq́ subductis, summam se suarum cogitationũ omniũ fecisse: & semel in acie repẽte morte potiùs cadere, quàm in perpetuo metu uiuere decreuisse. Contractis itaq́ quam maximis copijs, Condæus cum regem in ciuitate Meldensi esse, & una cum illo ibi Heluetiorum exercitum hærere, intelligeret, cum equitatu ualido illùc perrexit, ut si regem uel ad uenationem, uel alioqui Parisios proficisci contingeret, ex improuiso eum adortum interciperet, ut quæ hactenus ob Guisianorum autoritatem ab aula exclusus, non potuerat, deinde remotis aduersarijs, libere de regni tranquillitate procuranda, tollendoq́ multarum rerum abusu externorum ingenijs ex cogitato, regem moneret, doceretq́. Sed nec Rex ipse Meldæ erat, sicut falsò Condæo referebatur, nam is in castellum non procul à ciuitate Meldensium cum regina & magna aulæ parte secesserat: Et iam Rex cõmode submonitus periculo se subduxerat. Intempestiua enim nocte clam ad arcem ubi Rex dormiebat, pagi curio celerrimè accurrens, castellanis nunciat copias Hugonotĩcas propinquas esse & proculdubio quiddam hostile moliri, Regẽ itaq́ excitarent, cęterosq́ quos saluos uellent. Hoc nuncio omnes cõsternati festinare parare, rerumq́ suarum satagere: Rex Heluetiorum agmen ad se à Meldensi ciuitate aduocare: quo stipatus hora post mediã noctẽ tertia, equos cũ matre, fratribus, reliquisq́ aulicis conscendere. Condæus interim cum plures equestres copias expectans, regem longiusculè iã processisse cognosceret: quanta potuit celeritate abeuntẽ insecutus, sed ab Helueticis copijs constanter exceptus est, donec Rex in tutũ se receperit. In ea fuga Rex ex equo nunq́ descen

disse

uisse & inediā usq; ad horā eiusdē diei à meridie quartam sustinuisse dicitur. Quare simul atq; primā urbis Parisiorū portā est ingressus, cibo potuq; refici 1567 coactus est. Nā ex inedia, totiusq; diei iactatione ita confectus erat, ut ad arcē suā Lupiparā, in altera urbis parte sitam, nisi alimento restitutus, uix peruenire potuisse crederetur. Sub idē tēpus in alijs quibusdā ciuitatib. tumultuatum quoq; fuit. Nam Turones, Ambosiani, Andegauenses, Bituricenses, Lugdunenses, & multarū aliarū ciuitatū suos Hugonotos profligabant. Econtra Rupellani, Montalbani, Aurelianenses, & nonnullis aliarū urbiū Hugonoti suos uicissim Pontificios eijciebant. Aurelianenses ciues paulò ante illā regis fugā inter se fœdus percusserant, & iureiurando inuicē Hugonoti Pōtificijs, & hi illis se astrinxerāt, sexagenis utrinq; procerib. pro toto ciuium corpore fidem dantibus alteros alteris fidos amicosq; futuros. Sed cùm alteri alteris suspecti & formidabiles fierent, quòd uanæ hominū quorundam suspiciones rē exagitarent & Pōtificij solennem supplicationem & amburbialem lustrationem in diē uicesimum octauū Septemb. qui Dominicus erat, indicerent: Hugonoti pridie eius diei ad arma conuolarunt. Nā & ipsa rei facies his suspecta erat: & inueniebant, qui affirmarent fore, ut in illa postridiana lustratione Pontificij rectè sub uestib. armati cōparerent, & in conciones inermiū Hugonotorū impetum facerent. Sed cùm Pontificij nocte illa, quæ diem Dominicum præcessit, Hugenotis longè uiribus superiores, ad horam à media nocte tertiā excubias egissent, & plerique iā de Hugonotorū motu securi domū se recepissent: Hugonoti eum à speculatoribus rē omnē essent edocti, parati armatiq; prosilierunt: & stationes quasdā Pontificiorum in foro alijsq; opportunis locis positas, fuderunt, fugaruntq;: ac totam tandē urbē, Pontificijs illis, qui nouas res molituri, aut suo instituto incōmodaturi uidebantur, eiectis profligatisq; occuparūt. Quæ urbs horū motuū tempore omnium penè principum fœminarum & liberorū earū receptaculum fuit: quod ea ciuitas totius Galliæ umbilicus est, & earū quæ Hugonotis addictæ, firmissima. Quare huc cōfluxit quicquid hominū bello ineptorum, uel in agro Aurelianensi, uel in finitimis ditionibus, Hugonoticis partibus fauebat. Nam militares quidē homines omnes ad Castra Condæana se receperant. Condæus itaq; cùm Regem sibi elapsum & se spe sua frustratum uideret, populares suos undiq; euocare, & castris ad Dionysij fanum positis urbem Parisiorum obsidere cœpit, molasq; uentosas XVIII. ante urbem positas incendit, annonamq; undequaq; interclusit. Calend. Octob cum iā undiq; ob hostium metum Parisiorum mœnia clausa essent, & ex castris quinque aut sex equites excurrissent, tormentaq; manuaria ante urbis portas displosissent: ciues panico terrore correpti magno impetu à portis fugiendo, in interiores urbis partes se præcipitarunt; sed stationes uarijs opportunisq; locis dispositæ, fugamq; fœdam sistere conātes: multos ex fugientibus occiderunt: adeò ut eo die quinquaginta, uel eo amplius ciues fugientes, à suis cæsi occumberent. Omnes sane Parisiēses apertè ingenueq; fatebantur, quòd si initio Condæus felicib. successibus usus, uictoriæ suæ non defuisset, & fortunam secutus esset, Parisijs facilè fuisset potiturus. Tantus erat ob repentinam obsidionem metus ac omnium cōsternatio. Sed ciues mora confirmatiores, ac ad defendendum paratiores paulò pòst facti sunt.

Vicesimo quarto Octobris Albanus qui quamprimū in Belgicum uenisset, Antuuerpiæ castellum, magna ædificantium turba coacta, excitari iusserat opere, cui Pacciorum præfecerat, eò usq; iam perducto, ut præsidio capiendo, ac defensioni sufficeret, Bruxellis illuc quadringentis equitibus proficiscitur, peditatu Bruxellis relicto. Cùm uerò Antuuerpiam ingressus fuisset, maximum incendium in munitione Mechliniensi exortum est. Verùm eo ipse nihil deterritus, quinq; propugnacula circa castellū fieri imperat, cuilibet eorū nomine proprio indito, primo ducis, secūdo Toleti, tertio Ferdinādi, quarto

familię Toletanę, quinto Paccioti, à nomine Architecti quẽ diximus. Cumq; interea legati Gallici ad eum aliquotiens uenissent, nomine regi Christianissimi auxilium contra Condensem, Parisios iam obsidentem, petentes, comitem Arembergium inde cum mille pedibus Hispanis, alijsq; manipularibus dimittit. Qui tempore necessario Parisios aduolantes, regis Periclitantis par tibus non parum præsidij attulêre. Inter hos equites, qui nobiles erant, symbolum militare tale gestabant: duas manus gladijs transuersis in nube cærula armatas, quorũ cuiusq; cuspidi corona cruce ornata, affixa erat, circulo per medios gladios transuersos trãseunte, in cuius summitate duo corda coronas cũ cruce gestantia, atq; in nube funiculis colligata depicta erant, in medio uerò



circuli atq; gladiorũ transuersorum. Calix cũ imagine crucifixi ab inferiori circuli parte duobus funiculis dependentibus, cuius interpretatio erat: ut nubes diuinitatem, duo corda confœderationem & amicitiam duorum regum, manus armatæ eorum potentiam, calix religionem Ecclesiæ Catholicæ, quam in utroq; regno defenderent significaret. Porrò Albanus fabrica castelli ita instituta, ut ex hoc tota ciuitas in officio contineri posset, statibus collectam quadringentorum millium coronarorũ imponit, dimidia ad fabricæ constructionem: altera uerò parte ad solutionem stipendiariorũ destinata: eoq; facto Bruxellas redit.

Tricesimo, & Tricesimo primo Octobris, Veronæ Athesis tãta inũdatione, tãtoq; impetu effundit, ut diluuiũ fore putaret, flumine ita crescente, ut ad ædes ciuitatis tabulata summa penetraret, omnia cellaria aquis adimpleret domos tremore concuteret atq; deijceret, integra ædificia ueheret, omnia ligna, trabes

trabes,asseresq; & pontes abriperet,molas conuelleret, partem muri castelli 1567
altisimi disijceret,tantamq; stragem ederet,ut uerbis uix exprimi queat, nec similis in historijs fore inueniatur,præter eam quæ anno millesimo quingentesimo duodecimo,itidem Veronæ accidit, hac tamen longè minor. Numerus hominum sub mersorum ad ducentos conscendit: Vestimentorum, uini frumenti,aliarumq; rerum submersarum & corruptarum infinitus. Nec loca uicina ab hac calamitate immunia fuêre,maximè Patauij atq; Tridenti ubi ad stuporem hæc inundatio magno multorum damno sæuijt. Peccatis itaq; nostris agnitis. Deus Opt. Max. rogetur,ne instar torrentis iram suam effundat, sed misericordiæ suæ propter filium unicum memor, benignis oculis nos respiciat,& ab omnibus malis tueatur atq; defendat.

Tricesimo primo Octobris, qui Vuolffgango sacer est, Heidelbergæ uitam terrenam cum cœlesti commutat Maria Illustrissimi Electoris Palatini Friderici coniunx,filia Casimiri Marchionis Brandenburgici bellis Pannonicis inclyti, & Susannæ Bauaricæ: soror Alberti Marchionis Brandenburgici,Princeps natalibus illustris, ueræ religionis amantissima, erga pauperes munifica,erga suos humana, omniq; uirtutum genere ornata. Coniugi Friderico filios peperit undecim masculos septem, Albertum qui obijt infans: Ludouicum, cuius uxor est Elizabetha, Philippi Landtgrauij Hessiæ filia: Hermannum Ludouicum qui anno millesimo quingentesimo quinquagesimosexto,primo Iulij die post horam sextam pomeridianam in traiectu Auarici fluuij Biturigum inuersa nauicula cum præceptore,alijsq; duobus,& nauta,submersus est: Iohannem Casimirum,cuius uxor Elizabetha filia Augusti Electoris Saxoniæ: Albertum rursus,qui & ipse infans mortuus est: Christophorum adhuc uiuentem & studio literarum clarum: Carolum qui infans decesit: Filias porrò quatuor quarum Elizabetha nupta est Iohanni Friderico secundo, quem medium uocant: Susanna Dorothea Iohāni Vuilhelmo duci 69. Saxoniæ fratribus: Anna Elizabetha,Philippo Lādtgrauio Hesiæ iuniori, Philippi senioris filio elocata: Kunigundis Iacobè modestisima atque pulcherrima principissa,in uirginitate adhuc degit.

Ad decimum Nouembris qui dies D. Martini festum præcedit, pugna inter Condæanos & Regios, inter Lutetiam & Dionysij fanum orta est. Cùm enim Parisini, uel ab exploratoribus, uel ab eo, qui excubias agebat in turre templi, in edito monte, quem Montmartyrium uocant, extra urbem siti, ex qua turre in Condæana usque castra aspectus patebat. Cum igitur Parisini, exiguitate Condæani exercitus cognouissent (nam comes Rupefucaltus ad Stempas aderat: Andelotus uerò cum Mouynio cum magna exercitus parte Posiacū expugnatū pridie profectus erat) & iam recepto extraneo milite satis copioso animosiores facilè erant copias suas per duas tresire diuersas partes sub horam à meridie secundam cœlo satis nubilo & obscuro, paulatim per denos & uicenos educunt, ut non tam ad prælium, quàm ad Velitationem inuitare hostes uelle uiderentur. Sed cùm numerus in horas cresceret, Ammiralijq; nunciaretur incredibilem Regiorum exercitum è portis in patentem campum, quem Parisienses Landeiū uocant effundi: tum Ammiralis, ne uos numerus horreat, inquit, sed occidamus prius, postea numerabimus. Statimq; Ammiralis & Condæus copias suas contra hostem educunt, præliumq; committunt, in quo Amiralis & Odetus præcipuam operam nauarunt: à regiorum uerò parte Annas dux Mommorantius, Galliæ Conestabilis septem uulneribus à ductore copiarum Stuardo Scoto confectus occubuit. Cum enim Connestabilis homo senex octuaginta annos natus, expugna lassus, in Stuardū robustæ ætatis & ualidum uirum incidisset, ab eodem, fide ultro citroq; data, manus dare coactus est. Hūc cum Stuardus

captum

1567 captum ad copias populares deduceret, & quidam nobilis Conestabili suppe
tias allaturus adesset, animaduerso auxilio Connestabilis de improuiso ca-
pulum breuis, sed ponderosi ensis, quem Galli caute lassum uocant, Stuardo
in aduersum os totis uiribus impegit, illicq; tres dẽtes excussit. Interea nobilis
tormentum in Stuardum displodendum intentat. Sed cùm ictus irritus esset
Stuardusq; ipse hostem à fortuna delusum glande plumbea traiecisset, ad Co
nestabilẽ sanguinolẽto ore cõuersus. Et tu, inquit, perfide senex impunè hoc
flagitium feres? Et simul cum dicto illũ, altera quã habebat bombarda traijcit:
& nutantem iam & lapsabundum, gladio punctim & cæsim feriens concidit,
atq; se ad suos recepit. Mommorantius equo delapsus & suo hostiumq; san-
guine fœdatus, uix à Sanzæo cognato in isto turbine repertus est: quẽ heros
fortis, in extremo penè spiritu, ut socios animaret ad hostem urgendum, hor-
tatus est: & ne suorum alicui pauorem suo casu incuteret, amictu iniecto uela
ri se, donec ipse à sociorum cohortatione ad se subleuandum rediret, mãdauit.
Sanzæo itaq; reuerso, & ab humo subleuanti, inquit, gaudere se & sibi beatũ
uideri, cui pro Regis patriæq; salute, honesto uulnere occũbere liceret. Hæc
elocutus & è pugna elatus biduo pòst in fata concessit. Ita memorabilissimus
hæros Annas Mommorãtius, Mommorantiorũ dux clarissimus Frãciæ paret
Conestabilis, cum quinq; Regib. potẽtissimis, Ludouico duodecimo, Frãci-
sco I. Henrico II. Frãcisco II. & huic Carolo IX. fidelissimè inseruisset, regni an
tiquum decus retinuisset: nouum suapte uirtute addidisset, rerum summam
semper administrasset: à periculis sæpe seruasset, octo grauissima prælia, ple-
runq; felicissimè, semper fortissimè depugnasset: Eorum in extremo ad extre-
mum usq; discrimẽ strenuissimè in prima acie imperans atq; prælians, septem
uulnerib. acceptis, constantissimo animo pro patrijs aris & focis mortẽ oppe
tijt: & Regi, patriæq; salutẽ, uictoriam, gloriã, sua morte partam reliquit, æter-
num sibi posterisq; suis omnibus Mommorãtiæ pietatis erga Deum, Regem
& patriam monimentũ. Cuius talis ac tantæ uirtutis ergò, Carolus Rex Chri
stianissimus Regisq; mater serenissima. concordissimi Regis fratres, illustrissi
mi Principes, nobilitas omnis, clerus, senatus, populusq; uniuersus, publico
funere atq; luctu publicũ mœrorẽ, desyderiũq; testati sunt plurimiq; ex doctis
diuersis linguis, Hebraica, Græca, Latina & Gallica, eius elogia condiderunt.
Cæterùm hoc prælio confecto, ad Cõdensem Sedani hærentẽ literæ à Re
ge missæ sunt per Combautium, quibus edictum Aureliæ superioribus annis
de pacificatiõe propositum ratum & firmum se habiturum promittebat, & in
eandem sententiam literæ à Regis fratre scriptæ erant. Iis ergo Condensis ac
ceptis, statim die sequenti in ciuitate Espernaio, proceres ac nobiles, qui in
castris erant conuocat, ijsq; proponit, se postquam pro defensione religionis
ac ei adhærentium, arma cepisset summopere statuisse paci, ac pro ea obtinen
da apud Regem summopere institisse, quo tandem miserijs ac calamitatibus
finis imponeretur: Tandem itaque post multiplices collocutiones, ac mu-
tuas literarum missitationes, Regem ablegasse Combautium sequentibus ar
ticulis: Regem concedere Condensi, & omnibus prætensæ reformatæ reli-
gioni adhærentibus, ut edicto pacificationis Aurelianensi purè atq; simplici-
ter utantur, ac tollere omnes restrictiones, modificationes, declarationes atq;
interpretationes, factas super eo à septimo Martij usque ad hodiernum diem:
Ac ad nobiles eius conditionis ac qualitatis, ut cõciones ipsis in domibus su-
is habere liceat, quod attinet, sperare Regiam Mai. eos ob concessionẽ istã ni
hil officio debito cõtrarium facturos, pro maiori fide horum regẽ ipsis literas
sub sigillo suo traditurum, & curaturum hæc publicari & proclamari in omni
bus Parlamentis, quæ omnium maxima securitas sit, quam Rex suis subditis
præstare & hi uicissim à suo domino exigere possint.

Ea uerò

Ea uerò proclamatione Parisijs facta, Regem uelle, ut Condensis atq; socij ar-
mis depositis intra uiginti quatuor horas, ad lares suos concedant: Ciuitates 1567
omnes occupatas Regiæ potestati tradant atq; restituãt: uelle etiam Regem,
ut hisce conditionibus acceptatis, Condenses omnes exteros in auxilium uo-
catos, primo quoq; tẽpore dimittant, quò afflictio populi Gallicani euitetur.
Si hisce conditionibus acquiescere nolint, nulli ampliori tractationi locũ esse.
Condenses ex hisce conditionibus non parua spe pacis concepta, quo me-
lius Regis sententiã cognoscerent, Combautium mãdata exponentem au-
dire cupiebant. Is ergo significat Regem summo desyderio compositionem
motuum ac reconciliationem subditorum expetere: Ac quo Regia sua Ma-
iestas declarat propensionem, quam erga subditos suos, maximè erga nobi-
litatem Gallicanam geret, se huic sine discrimine ac ulla restrictione exerci-
tum religionis liberum permissuram: Quod si literæ allatæ ad declarationẽ
supradictorum non sufficiant, eam tàm prolixè fieri debere, ut meritò ei sint
acquieturi. Re consultata, uisum est sub generalitate articulorum, multa acci-
dere posse, quæ in diuersum intellectum detorqueri queant, ut in edicto paci-
ficationis Aurelianensi perspectum fuerit: quæ res etiam occasionem præ-
buerit tot uarijs declarationibus contrarijs sententiæ eorum quorum con-
sensu factum sit. Quo itaque hisce in posterum occurratur, ac res ad expedi-
tiorem finem deducatur (id quod uix scriptis fieri posit) è re uideri, ut omnia
per homines utrinq; ad id deputatos declarẽtur, ac Rex suppliciter rogetur,
ut loco certo ad colloquium designato in id cõsentiat. Adhæc quò ocyus res
perficiatur, statim Cardinalis Castillionæus, Comes Rochefucaudus & Bu-
chananes eliguntur, ad significandum regi supra scripta, cum Thellignio, cui
mandabatur, ut Regi gratias, pro clementia subditis exhibita ageret, cum pe-
titione, ut certissime Regia Maiestaa statueret, Condensem & socios nulla
alia re ad arma sumenda commotos, quã iustissimo metu, ne quid contra re-
ligionem ac ipsos susciperetur, id quod citra detrimentum Regiæ suæ Maie-
statia peragi non posse uiderint, ad cuius conseruationem maiorem respe-
ctum, quàm propriè salutia atque uitæ habuerint: adhæc Thellignio iniun-
ctum, ut Regis fratrem accederet, quo tantò celerius ad finem tractationis
perueniri posset, quem eo loci Princeps expectare, nec amplius quid aggre-
di constituerat, sperans Thellignium intra quatriduum reuerti posse. Verum
in ea cogitatione cum Condensia totus cum amicis esset, ei significatur Re-
gis fratrem cum copijs aduentare, ac opportunitate se offerente de summa
rerum experiri uelle, omnibus qui Condensi aderant idem sentientibus: ac
propterea Capitaneo Pluuiauto, in prima acie Condensis exercitus ad ex-
cursiones faciendas, præcedente, fit, ut filius Lansaci cum Electoris Palati-
ni Friderici legato Vuenceslao Zulegero, & alio quodam Hauthoyo inter-
ciperetur, ex quorum confessione uerissime cognoscebatur, Lansacum ad
Electorem Palatinum aliosq; Germaniæ Principes deterrendos ablegatum,
ne Condensi auxilia submitterent, ac quò facilius id efficeret, eum prætendisse,
arma non esse capta ob reformatam religionem, quàm æquè libe-
ram atque Catholicam, Rex suis permiserit, sed ut Condensis se ad gu-
bernaculi regni intruderet, cuius rei argumentum apertum esset, quod se
Ludouicum decimumtertium appellari sustineret, & præter alia regni usur-
pata insignia, monetæ cudendæ ius ad se raperet. Miserat quidem Rex i-
nitio motus exorientis primo Lignerolum, deinde Episcopum Rennen-
sem, cùm ad alios, tùm ad Electorem prædictum, cuius filius Iohannes Ca-
simirus militaris indolis Princeps operam militiæ Condensi addixerat, quò
eum ab instituto auerteret: Verùm istis nihil ex animi sententia efficienti-
bus, ita, ut Rennensis responsum sibi ad Regem perferendum datum, ex

1567 itinere Iohãni Casimiri remitteret. Lansacus eos subsecutus superius commemorata, insigni constantia asseuerabat: cæterum cum nullis alijs mandatis, quàm solis literis credentiæ, ut uocãt, instructus esset, Elector, cui ea suspecta essent, ut quæ uerbis Lansacus exposuisset, literis consignata traderet, petebat: Id ergo eo faciente, ac non solum ea manu propria uicesimosexto Nouembris exarante, sed & petente, ut elector pro pleniori indignatione, uoluntatis Regiæ in concedendo libero religionis exercitio, quondam ex inferioribus secum in Gallias mitteret, cum oblatione & obligatione huic eunti & redeunti de securitate cautum esse debere. Elector, quo rem omnẽ certo cognosceret, cõsiliarium suum Vuenceslaũ Zulegerum, quem diximus comitatum Lansaco, eò ablegat, nimirũ, ut Regis mente uoluntateq; cognita, Cõdensem accedat, atq; ex eo cognoscat, num à Lansaco alijsq; relata, ueritati congruerent. Postq; uerò Zulegerus Regi locutus, ad Cõdensis castra se iuxta Principis sui mandatum deduci peteret: Lansacus eum non ad castra Cõdẽsis, sed Chalonem deducit, ut inde in Germaniam proficiscatur, & ita insulatato Cõdensi, ac causis belli moti incognitis, ad Principem suum reuertatur. Lansaco itaq; capto, talia minimè diffidente ac Zulegero ea affirmante, Cõdensis, alijq; proceres & nobiles ad ea obstupescentes, impudentiam Lãsaco exprobrant, qui ea exteris principibus referre non erubuerit, quæ longè aliter sese habere sciuerit: Eo uerò nihil aliud respondente quam id sibi iniunctum ac legationi suæ accommodum fuisse, quo equitatus Germanici aduentum impediret, statim Zulegero omnes supplicationes Regi à principio motus exhibitæ, cum literis hinc inde scriptis proferuntur, ac multæ aliæ interceptæ literæ præleguntur, ex quibus luculenter apparebat, dimicationem de sola religione esse, & tantum abesse, quod Rex religionem in regno liberam permiserit, ut Cõndenses etiam contenti fuissent, solius edicti Aurelianensis obseruatione. Hæc in præsentia plus quàm centum nobilium agebantur, quos nulla alia res prohibebat, quo minus Lãsaco qui tam honestam societatẽ diffamasset, uim inferrẽt, quam legati exteri præsentia, cui deducendo destinatus erat. Cum igitur legatus Condensi audito domum properaret, & hic inter spem metumq; dubius hæreret, Guisiani Troia egredientes, in Lotharingiam, ut illic Germanos equites ab ingressu prohiberent, armati pergebant, & ex altera parte Ambarrus cum Italicis & Heluetijs copijs adueniebat. Quo cognito, Condæus cum non admodum magnificè de pacificatione sibi pollicen posset, in Lotharingiam & ipse pergit: cui ad Asprœmontium subsistenti rursus literæ à Rege de pace constituenda redditæ sunt.

Octauo Decembris Iohannes Casimirus copijs ad loco constituta confluentibus, & ipse Heidelberga cum uexillo prætorio discedit. Militiã hanc Rex cum non solum per suos legatos, ad Electorem Palatinum missos, sed & Cæsareæ Maiestatis autoritatem, omni contentione impedire laborabat: per Camerarium Lauersium de subditorum rebellione grauissimè conquerens, qui armis in profecto Diui Michaelis ob causas prophanas ac religionem minimè concernentes correptis, Regiam suam Maiestatem ex improuiso cum matre Regina, fratribus atq; sororibus opprimere conati fuissent. Etsi itaq; Cęsarea Maiestas hisce cognitis non solum circulos Imperij, constitutionum Imperialium pacis publicæ ac ordinationum executionis, ac perniciosissimi exempli commonefecisset, sed & speciatim Casimiro hãc expeditionem multis de causis dissuasisset, tamen cum notum haberet, ob quas causas seu rationes hoc bellum inceptum esset, duxit inhonestè esse, & alienum à Christiana pietate. socios religionis, quibus militiæ operam addixisset, tam necessario tẽpore deseri, suo ꝓposito insistens, hoc die iter militię susceptæ Deo propitio ingreditur: ita, ut extremo Decẽbri, cõtra naturã hyberni temporis cœlo cum

maximè

maximè fereno minimeq; rigenti ad Pontamussonē cum 7500. equitibus & 1567
3000 peditibus appelleret, seq; illic Condensi eiusq; copijs cōiungeret. Porrò duces atq; præfecti, qui Iohāni Casimiro militabant, erant Iohannes Bleichartus Landtschadius Principis legatus: Volffgangus Falkenrodius Mareschallus campi: Christophorus de Vuolffensdorff præfectus equitatus prætorij: Dieterichus de Vosenbuch sex alarum equitum legatus. Præfecti Iohānes de Vallenstein, Fridericus de Vuerden, Conradus de Schönstett, Iohannes de Brendel. Vuolffgāgus comes de Barbye dux mille quingentorum equitum: Præfecti Georgius comes de Barby, Iohannes de Kesleben, Iustus de Meysebugk, Ernestus de Vallefels. Christophorus de Malsperg dux itidem mille & quingentorum equitum: Præfecti, Vuernerus de Bortfelt, Hartmannus Volff, Iustus de Münchausen, Dietrichus de Gaulen, Hermannus Riedesel. Dietrichus de Schonbergk dux itidem mille quingentorum equitum: Præfecti, Iohānes Vnstett, Christophorus Flantz, Heinricus de Sundershausen & Iohannes de Boluueritz. Peditatui præerat Iohannes Sebaldus Siglingerus, capitaneos sub se octo habēs, Iohānem Luderum, Iohānem Dalb, Emericum Vueis, Iohānem de Simmern, Casparū de Villefels, Iohānem de Basel, Georgium de Simmern, Burchardum Annuu. Porrò Iohāne Casimiro Pōtamussone cum Cōdensi hærente, Rex literis ad eum Vicesimoquinto Decembris per tubicinem missis, initio, quo animo ueniat, sibi declarari, deinde Lansacū quem pessimè tractari cognouerit, liberari petit, id nisi fiat, Regiam suam Maiestatem nemini captiuitatem eius, nisi Friderico parenti suoq; Legato Zulegero imputaturam esse.

Vicesimotertio Decemb. anni huius Salētinus natus ex illustri Comitum Isenburgicorum familia Moguntinensis & Coloniensis Ecclesiarum Canonicus Coloniæ Archiepiscopus unanimi cleri ac populi consensu eligitur, Friderico antecessore qui propter extremam ætatem, sensum aurium debilem, aliasq; causas Archiepiscopatui iam antè renunciasset, eodem die atq; hora, ut fertur, è uita recedente. Successerat uerò hic Iohanni Eberhardo Archiepiscopo anno millesimo quingentesimo sexagesimo secundo, decimonono Nouemb. successori uita moribusq; dissimilimus: cum ille magnificus, splendidus ac liberalis, hic parcus, frugalis, atq; ad rem attentissimus esset.

DE REBVS HINC INDE IN ORBE GESTIS ANNO M.D.LXVIII.



Nequam ad rerum hoc annó gestarum expositionem procedamus, præmittere placet prognosticon antiquū M. Arnoldi de Palude, quod, super desolatione futura, pro annis octo, incipientib. ab anno nimirū 1564. usq; ad 1572. scriptum circūfertur: Nam si ulla eorum, quæ illo continentur quouis anno acciderunt, certè quasi in hunc annum plæraq; exundasse uidentur, tristissimis calamitatibus omnes ferè regiones peruagantibus, ut lector ex sequentibus uidebit. Cæterum prognosticon ita habet. 1568

Prælia Magnatum cernes, & sanguinis undam
Et terras populis uacuas, contusaq; regna.
Phana, domusq; cadent, & erunt sine ciuibus urbes
Inq; locis multis tellus inarata manebit.
Strages nobilium fiet, procerumq; ruina.

Fraus

1568 Fraus erit inter eos, confusio magna sequetur.
Membra caput spernent, & leuam dextra timebit,
Turbabit terras aquilo, quia ualdior Austro.
Mutabitq; fidem, Regem, cum sceptra tenebit
Rex nouus, & gens, lex, mutabitur ordine miro.
Sic plebs, lex, clerus, deinceps diuersa sequetur.
Plurima per loca nascetur dissentio magna.
Nascentur sectæ multis in partibus orbis,
Teutonicusq; furor gladios fabricabit in illas.
Gaudebit proprias effundere sanguinis undas.

Quarto Ianuarij, Iohannes Casimirus, literis regijs, de quib. diximus, acceptis, ac re cum Condensi, alijsq; socijs communicata ad horum petitionem in hanc sententiam respondet: Non esse ijs propositum, ut Regię Maiestati in ulla re sese opponant, sed si religionis exercitium ipsis æquè liberum ut alijs cõcedatur, ac religionem amplectentium securitati prospiciatur, ipsos paratissimos ad præstandam Regiæ Maiestati in rebus pollicitis omnem obedientiã. Quandoquidem ergo submississimam hanc ipsorum petitionem minimè rebellem, sed Christianam, ac talem esse animaduerterit, quæ propter Dei gloriam à Regia Maiestate sit admittenda: se hanc ex bono atq; propenso animo rogare, ut cũ Castilionæus Cardinalis ad eam pacificationis ergo ablegatus sit, Regia sua Maiestas talem pacificationem inire ac cõfirmare dignetur, quę authoritati Regiæ Maiestatis utilitati ac incremento regni Gallicani, & saluti subditorum Regiæ Maiestati suæ diuinitùs commissorum, seruire possit: Id quod si fiat, se curaturum, ut Condensis eiusq; socij armis depositis, loca occupata Regiæ suæ Maiestati restituant: ac si ipsi aliud quàm liberum religionis exercitium quærant, uel quid huic negocio contrarium attentare uelint, se nõ solum ipsis minimè opitulaturum, sed & ad defensionem Regiæ suæ Maiestatis, cuius in iuuentute propensionem singularem erga se senserit, copias conductas conuersurum. Ad captiuitatẽ Lansaci quod attineat, se ex Legato Zulegero cognoscere, quod is ipsum, quò ab illo duceretur, secutus fuerit, nec ullas literas à se scriptas aliò miserit, sed forte fortuna captiuitatem accidisse: à Condensi Lansacum honestè haberi, uerùm cum eum sociosq; tanquam rebelles hinc inde traduxerit, eorumq; famam ac existimationẽ grauissimè denigrarit ac læserit, cum tamen secus rem se habere fassus fuerit, se eius liberationem hactenus à Principe impetrare non potuisse.

Sexto Ianuarij qui tribus Regibus sacer est, immensa equitum multitudine exteris militatum eunte, Imperatoris Maximiliani & Electorum legati Fuldę conueniunt, à Daniele Electore & Archiepiscopo Moguntino ad postulata Imperatoris illuc conuentu indicto, quò tot millibus Germanorum in exterã militiam proficiscentibus, ac finitimis regnis tumultuantibus, de uijs ac rationibus consuleretur, quib. in Germania pax publica tam in religione, quàm ciuilibus, & constitutiones ordinationesq; super utraq; publicatæ obseruẽtur, atque periculum & incendium, ex motibus uicinis, communi patriæ imminens, arceatur, & statum atque ordinum subditi à trãseuntis militis dueptione ac molestatione liberi, bonis atq; facultatibus suis tranquillè gaudeant.

Die decimoquarto Ianuarij, cum Aurelianum à Pontificijs duce militari comite Martinengo Italo obsidione premeretur, uir fortissimus & Imperator belli gerẽdi longè peritissimus Mouuantius cum exercitu 10000. hominum, ex Prouincia Gallica, Lemouicibus, Lãguedocia, & finitimis locis cõtracto,

Aurelianum

Aurelianum uenit,urbemq́ obsidione liberauit: suasq́ cum Iohannis Boucarti Aurelianensis Reip. præfecti & Imperatoris,hominis ut bellicis ita & pacis artibus, ornatissimi, literarum'que peritissimi, copijs cōiungens, Blæsam oppugnatam perrexit,quam tormentis ualidè cōcussam deditione cœpit,indeq́ ad Condæana castra contendit. Erat Mouuantius omnibus suis hostibus maximè formidabilis: Nam antequam copias Aurelianum ex prouincia perduxisset,ter cum hoste prælio decernauit, ac uias ab hostibus interclusas,ui atque ferro aperuit. Prælium autem quod cum maximis hostium copijs ad Coignacum iniji,memorabile est. Cum enim hostes ingenti exercitu eius copias circumuenissent,& incredibilem agrestium turbam ad exitus uiarum circumquaque disposuissent: mandatum rusticis dederūt, ut si quo prælio inito in fugam se dare uiderent, hos ad unum omnes sine delectu trucidarent,nec uociferaturis,& Pontificios se simulaturis, aut cruces albas (hæc enim Regiorum tessera erat) ostensuris fidem haberent.Talia enim ipsos præ se laturos,ut periculum perrumpant,incolumesq́ è fuga se recipiant. His satis calidè ut putabatur administratis,uttinq́ infestis signis ita concursum est: ut uictoria à Mouuantianis steterit: fugientesq́ Pontificij & passim in suos rusticos incidentes,nullo discrimine ab ijsdem trucidari sint. 1568

Decimosexto Ianuarij Iohannes Vuilhelmus Dux Saxoniæ cum pro Regè Galliarum quatuor millia equitum conscripsisset diuersis hominum iudicija de hoc cognitis,quod Regi,oppresionem religionis eiq́ adhærentium quærenti,militaret,& Iohanne Casimiro cognato,castra Condensis sequente,fratrea cum fratribus quasi committi,non uereretur,scripto publicè ad subditos edito, militiæ Regiæ rationea exponit, ac paulo pòst, per Ducatum Biponti num Metim cōtendens inde ad Regem in Gallias cum suis copijs pergit,Regis periclitantis beneficia potius,quàm aliorum diuersa iudicia respiciens.

Decimooctauo Ianuarij Philippus Rex Hispaniarum, Carolum filium unicum,omnium regnorum hæredem futurum,cubiculo certo includit, eoq́ exire uetat. Causæ huius captiuitatis uariæ referuntur: Belgæ in suo libello supplice, Cæsareæ Maiestati atque ordinibus Imperij Spiræ anno septuagesimo oblato, affirmare non ferentur, carcere, consilio inquisitorum clausum, quod & Ducem Albanum auersaretur,& ab institutione inquisitionis,abhorreret, & Germanos inferiores beneuolentia singulari complectaretur. Hæc ut affirmare,sic nec refellere libet,quod nobis ea occulta,recondita atque abstrusa sint,& tempus omnia in lucem proferens,ea aliquando sit uetè propalaturum: Veritas enim temporis filia.

Decimonono Ianuarij,Philippus Hispaniæ Rex per procuratorem generalem Brabantiæ,ut uocant, Vuilhelmum Auraicum, qui Belgico relicto in Germaniam superiorē ad ditionem auitam secesserat, publico edicto citat, cuius tenor sic erat: Sibi expositam per procuratorem generalē,quibus quantisq́ honoribus Vuilhelmus Auraicus, à Carolo Quinto inclytæ memoriæ, & deinceps à sua Regia Maiestate affectus, dum & eques aurei uelleris electus,consiliarius cōsilij statuum constitutus,multisq́ præclaris officijs,nimirum gubernationi Burgundiæ,Hollandiæ,Selandiæ,& Vltraiectinæ præfectus fuerit.Ex quibus fiducia atq́ existimatio,quam sua Maiestas de ipso cōceperit,& summa ingratitudo eius si aliter se gesserit,quàm fidelem Vasallum deceat,colligi posit:tamen Auraicum parum suo honore,iuramento atq́ fidelitate suæ Maiestatis præstita,consyderatis,factum caput,autorem, promotorem,fautorem & receptatorem rebellium,conspirantium,coniuratorū,seditiosorum,machinatorum & perturbatorum publicæ tranquillitatis: Nam statim post Regiæ suæ Maiestatis ex Belgico discessum,eius aliorumq́ quorundam machinationem fuisse,ut in se plenā ac integrā Belgici administrationē

1568 & gubernationem transferrent. Deinde post multas uariasq́ secretas ac perniciosas machinationes agitatas, ita fidei oblatum, ut constituerit, arma contra suam Maiestatem capere, eamq́ Belgico excludere, idq́ non alia de causa amissum, nisi propter inopiam atq́ defectum uirium: ac nihilominus secretè apud subditos suæ Maiestatis eum egisse, ut à fidelitate & propēsione quam ei atq́ prædecessoribus exhibuissent, abducerentur: imò quod magis detestabile & abominandum sit, eum prætextu religionis & falsis persuasionibus quasi sua Maiestas Hispanicam inquisitionem in Belgicum introducere cogitet, ita plerosq́ subditorum suæ Maiestatis dementasse, ut ad arma consurrexerint, præsertim uerò eum maximam nobilitatis partem ita corrupisse, ac incitasse, ut fœdera, conspirationes, & coniurationes inierit, ac iurisiurandi religione sese obstrinxerit, quod se Regiæ suæ Maiestati, eiusq́ cōstitutionibus quolibet tempore in Belgico obseruatis, opponere uelit. Conuenticulis in eius proprijs ædibus, cum Bredæ, tum Bruxellis habitis & rebellibus in suam protectionem & securitatem, eum promissione auxilij receptis, qui etiam arma cōtra Regiam suam Maiestatem diuersis in locis sumpserint. Auraicum adhæc consilio & re, Bredenrodio rebellium capiti & duci, ad muniendam Vianam contra suam Maiestatem adfuisse: permisisse etiam copias conscribi in suæ Maiestatis urbe Antuuerpiensi, omnibus scientibus atque uidentibus, contra constitutiones tunc recens publicatas, casq́ nauigijs Vianam euntibus, cum omni munitione belgica impositas, ac Bredenrodio à Principe aliquot machinas bellicas subministratas. Præter hæc ipsum in quibusdam locis uetuisse, ne Regia præsidia reciperentur, & hac ratione Regiam suam Maiestatem ipsum ab ingressu maritimo excludere uoluisse, Principem Antuuerpiam ad sedandos & componendos motus populares missum, propria authoritate, & contra demandatum officium, permisisse, Antuuerpiæ liberum exercitium omnium sectarum absque ullo discrimine, & erectionem templorum ac consistoriorum à sectarijs fieri, unde mala atque incommoda nemini non nota secuta fuerint: tolerasse eum etiam contributiones & collectas pecuniarum quæ sustentationi ac solutioni militum impensæ fuerint: multa etiam alia ab ipso facta, quæ Procurator suæ Maiestatis, amplius atque uberius, suo loco ac tempore re exigente, sit deducturus, eò tendentia, ut Belgicum, quod solum suæ Maiestati pertineat, occupet, ac quæ crimen læsæ Maiestatis non dissimulandum præ se ferant, sed debitas pœnas mereantur, cum petitione, ut suæ Maiestati placeat, conuenientem citationem criminalem, contra Auraicum sibi cum clausula authorizationis, ut uocant, decernere.

Ideò suam Maiestatem his omnibus attentis mandare atque præcipere singulis, ut ad requisitionem dicti Procuratoris generalis auxilio & subsidio cōuenienti, quocunque in loco Regiæ suæ Maiestatis possint, Auraicū capiant ac comprehendant, & sub secura ac bona custodia Bruxellas ad Albanum, suæ Maiestatis charissimum & fidelissimum cognatum & commissarium, ad hoc specialiter deputatum, deducant, quò dignas pœnas criminum & conspirationum, pro qualitate facti, ferat: si uerò eum comprehendere nequeat, ut tunc per edicta citent atque euocent, sub pœna proscriptionis & publicationis omnium bonorū, ut intra dies quadragintaquinque proximos, quorum priores quindecim pro primo, secundi pro altero, residui pro ultimo & peremptorio termino præfigantur, compareat, coram duce Albano Bruxellis, aut alio loco ubi fuerit in inferiori Germania ad respondendū articulis, quos suæ Maiestatis Procurator generalis contra eum sit propositurus: si uerò die præfixo non comparuerit, Albanus contra eum leuato uelo, simpliciter ac sine strepitu iudicij procedat: &, quia ut sua Maiestas intellexerit, Auraicus ex infe-

ex inferiori Germania secesserit, eam uelle, ut citatio ac executio, per edictum 1568 & uocem præconiam Bruxellis facta, ad Valuas curiæ affigatur. Adhæc similiter insinuetur loco domicilij Auraici, quod in Belgico habeat, & Valuis Ecclesiæ ibidem affigatur, ne ignorantiam prætendere queat. His eum ualorem atq; effectum habituris, ac si in præsentia Auraici facta essent, in fine clausula authorizationis adiecta.

Eodem die, pariq; modo, Antonius de Lalaing Comes de Hochstraten ad dicendam sententiam coram Albano uocatur: cæterùm generali procuratore diuersa ab Auraici factis, eius delicta commemorante, nimirum quod esset maximis honoribus, à prima iuuẽtute, à Regia sua Maiestate uarijs modis auctus atq; ornatus fuisset, utpote dignitate ordinis aurei uelleris, & præfectura turmæ Regiæ equestris, præter multas splendidas legationes ad Imperatorem & alios, quibus obeundis præfectus fuisset, unde facilè, singularem beneuolẽtiam, qua erga eum Regia sua Maiestas affecta esset, perspicere potuerit, & hanc ea mente esse, ut succedente tempore eum ad munera ampliora eueheret, tamen ipsum horum oblitum, ac à maiorum suorum (qui semper ergà suos naturales dominos ut fideles & boni Vasalli se gesserint) uestigijs deflectentem penitùs adhæsisse & obsecundasse Principi Auraico in suis ambitiosis consilijs ad promouendam rebellionem, quæ duobus abhinc annis in suæ Maiestatis terris Belgicis uisa fuerit. Primo uerò eum in arce sua Hochstratensi cum Auraico eiusq; adhærentibus, suspecta ac molitionum plena cõsilia cõtulisse, quibus Regiæ suæ Maiestatis fideles subditi, grauiter offensi fuerint, maligni auribus ad ea arrectis, occasionem ad res innouandas ceperint, quæ aucta sit per oblationem cuiusdam libelli supplicis multorum coniuratorum, factam tanta cum arrogantia ac insolentia, ut toti mundo conspicua fuerit. Quos Hochstratus non solum non ab incepto dehortatus fuerit, sciens, ea esse contra Regiæ suæ Maiestatis uoluntatem, sed & confirmarit, atque in publicis conuiuijs comitatus fuerit, publicè in omnibus actionibus declarãs se eorum factionis esse, id quod & paulo pòst re ipsa commonstrarit, ipsis cõsulens atque persuadens, ut libellum supplicem renouent, quò ijs extraordinarijs (quæ unicum remedium ad continendum in officio Belgium essent) sublatis, ipsi tantò liberius ad finem suarum machinationum peruenire possent. Postea etiam cum gubernarit in urbe Antuuerpiensi unà cum Auraico, ubi ea fiducia de utroque fuerit, fore, ut populum in Regiæ suæ Maiestatis fide ac obedientia continerent, eum tolerasse multa enormia ac abominabilia: Inter alia uerò ut publicæ copiæ pro Bredenrodiò contra Regiam suam Maiestatatem, eo sciente, conscriberentur, & nauigijs imponerentur cum omni genere munitionis Vianã uersus, oppidum in Regiæ Maiestatis ditione Hollandia situm. Tacendo fauorem quo usus fuerit erga uulgus, quod coniuratorum partes defenderet. Arrogasse ipsum sibi authoritatem supra Maiestatem Regiam & Ducissam Parmensem sororem dilectissimam suæ Maiestatis tunc temporis Belgij Gubernatricem, erga quam semper se inciuiliter gesserit, parum eam reuerens. Ita elatum fuisse, ut in ciuitate Regię suæ Maiestatis Mechlinensi edictum sine mandato & uoluntate Gubernatricis sororis Regiæ Maiestatis, ex quo pars populi magis efferata, licentiam sumpserit faciendi quicquid ei liberet. Incitasse ipsum populum ad inobedientiam contra Magistratus, maximè uerò Lierẽses, ne præsidia Regia reciperent, literis ad ipsos scriptis & nobilibus in hunc finem missis.

Ad extremum in Regiæ suæ Maiestatis ciuitate Teremondana cum Auraico alijsq; eius complicibus ipsum tractasse de capiendis armis; quibus Regia sua Maiestas, aut is, quem ea, loco suo in Belgium mitteret, excluderetur: id

1568 quod iam longo tempore ante inter se conclusérint, executione nulla alia de causa omissa, quàm ob defectum facultatis. Hæc omnia cum alijs suo tempore & loco producendis contra Hochstratum, esse actiones Vasalli inobedientis atq; rebellis, ob quas in crimen læsæ Maiestatis inciderit, ac pœna in exemplum aliorum dignus sit, &c. Cum petitione, ut Regia sua Maiestas processus criminales contra dictum Hochstratum sibi decernere uelit.

Februarij die tertio, conuentus Fuldensis, de quo suprà diximus, soluitur, in eo inter alia decretum, ut equitibus ex Gallia & Belgico in Germaniam redituris, non solum Cæsarea Maiestas, sed & Electores atq; Principes, quibus illi subditi sint, mandent, ut priusquam fines Imperij attingant, se separent, ac diuisim non gregatim Germaniam ingrediantur, ac se ad suos sine maleficio conferant, sub grauissima pœna confiscationis bonorum quæ uel ab Imperio, uel suis Principibus habeant. Cætera uel prioribus constitutionibus Imperij conformia, uel talia fuêre, ut hic ea referri minimè necesse sit.

Decimo octauo Februarij, Elector Palatinus cognito sub inuolucro mercimoniorum magnam monetæ uetitæ summam à mercatoribus Italicis, Germaniæ Rheno secundo importari Manheimij, loco uectigali soluendo destinato, nauis, cui prædicta imposita intellexisset, præter nauigantis cursum per suos inhibet, ac omnibus mercimonijs Heidelbergam translatis, ac mercatoribus qui ijs adfuissent, initio Manheimij distinctis cubiculis inclusis, mox uerò in Heidelbergam traductis, in eorum notarij, aliorum'que testium præsenia, sarcinas ac uasa recludit, in quibus nihil aliud quàm uetita moneta contineretur: eam itaque uigore decreti Imperij anno quinquagesimonono de moneta promulgati, aliarum'que constitutionum subsequentium tanquam commissam, in pœnam defraudati uectigalis uendicat, mercatoribus ac nautis cum testimonio rei gestæ liberè dimissis. Hac re ad Albanum, ab hoc ad Imperatorem & Regem Hispaniæ delata, uarijs actionibus atque literis occasio data fuit. At Palatino Imperij decreta urgente, & multiplices diuersasq; mercatorum fraudes detegente, res tandem eò deducta fuit ut hi controuersiam amicabili cōpositione potius, quàm iure decidi maluerint. Initio enim interrogati, cuius pecunia esset: eam ad nullam Regum uel Principum spectare affirmarunt: Mox quidem Iohannes, & Iohannes Antonius Grimaldi, nulla summa pecunia declarata, eam sibi restitui petierunt, deinde tertius Christophorus Centurio Genuensis, nomine fratris Luciani & Augustini Spinulæ, & Thomæ Fiasci cum literis commēdaticijs, Ducis Sabaudiæ & Genuēsis uenêre itidem, nullo uerò eorum sufficienti mandato instructo, quin etiam ipsis se Electori pecuniam mutuaturos, uel si commissa esset partem eius remissuros esse se offerentibus. Elector uarijs calliditatibus ipsorum perspectis, nec quod quidam prætenderent probato, pecuniam Regis Hispaniorum esse, ad quod tanquam sacram anchoram confugerant, imperij constitutiones tamdiu urget, ut mercatores transigentes se culpa minimè caruisse ostenderent: Porrò ut Hispani scripsêre pecuniæ summa fuit centum millium, & quinquaginta ducatorum.

Vicesimo secundo Februarij Vuilhelmus Dux Bauariæ iunior, Alberti Bauarici, & Annæ filia Ferdinandi Romanorum Regis. filius, Vuilhelmi senioris nepos, cum Renata Principissa Lotharingorum, Francisci primi Ducis Lotharingiæ, & Christinæ Danicæ filia, nuptias Monachii insigni ue re'que Regia pompa celebrat: quibus interfuêre Ferdinandus Archidux Austriæ equitibus septingentis: Carolus, Ferdinandi frater, octingentis, Archiepiscopus Salisburgensis octoginta: Cardinalis Augustanus Otto Truccesius, centum: Christina sponsæ mater, centum: Dorothea uidua

Friderici

Friderici Electoris ac matertera ſexaginta duobus: Eberhardus Vuirtenber- 1568
gicus trecentis: Vandemontius ſponſæ Dux, centum ſeptuaginta quatuor: Legatus Cæſareus, ordinis Teutonici Magiſter centum equitibus: Hiſpanicus, Carolus de Zollern: Polonicæ Reginæ Dietolffus de Loſenſtein: Palatini, Fridericus Limpurgicus: Saxonici Electoris Guntherus Schuuartzburgicus cum Gleiſſenthalio: Iuliacenſis, Otto Vualbãdius: Badenſis, Langenmantelius: Florentinus Troilus Vrſinus: Ciuitatum, Auguſtæ, Chryſoſtomus Peutingerus, Hieronymus Inhofius, Georgius Tradelius Doctor: Nõrinbergenſis, Georgius Volckomerus, Thomas Leffelholtziua, interiórea Senatores.

Sexto Martij menſis die, Condæus & Iohannes Caſimirus Palatinus, iunctis copijs Carnutenſium urbem opulentiſsimam & ſacrificorum ditiſsimorum pinguiſsimorumq́ multitudine frequentiſsimam obſederunt: ac undecim diebus furioſa tormentorum tempeſtate ita concuſſerũt, ut deiecta mœnium parte magna, ad irruptionem ſe pararent. Cum itaque milites in procinctu iam ſtarent, ſignumq́ expectarent, ut impetu facto in urbis muros cõuolarent, illo ipſo quaſi temporis momento Rex Fecialem ſubmittit, qui certiſsimam pacis ſpem optimis conditionibus, ſi modo ab expugnatione temperarent, promitteret. Condæo itaq́, Ammirali & Dandeloto, militem ad irruptionem intentum & totis animis prædæ inhiantem, uix minis precibusq́ ab expugnatione diſtinere ualentibus: induciæ datæ ſunt ſpe optatæ pacis, quæ aliquot diebus poſt confecta, & ad triceſimum Martij in caſtria Cõdæanis proclamata eſt ex Regis edicto, cuius formula poſt longam diſceptationẽ hæc erat. Regem ut ſui regni, quod hactenus grauiſsimis turbis cõcuſſum ſit, atque etiamnum concutiatur (unde nimirum infinitæ calamitates proficiſci poſsint) pauci tranquillitati'que conſulat prouideatq́, de ſuæ matris, fratrumq́ & ſui conſilij priuati uirum ſententijs rebus omnibus prudenter perpenſis atque conſyderatis hæc ſtatuiſſe, atque iubere, ut ab omnibus obſeruentur. Primùm ut ratum fixùmque ſit ſuperius ſuum edictum pacificationis conditum anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo octauo eiua beneficio ref. quæ uocatur Religionis homines purè ac ſimpliciter utantur, fruantur: omnibus ad illud additis interpretationibus planè ſublatis: & diſertè uti illa exceptio, quæ Nobiles arctabat in Religionis adminiſtrandæ facultate, omnino dematur, nec cuiquam porrò ſit fraudi. Nobiles quoq́ qui ſunt ad Prouinciam regionem, eo beneficio fruantur: reſeruato præterea uti iam conſtitutum ſit, Merindolo tantum uniuerſæ præfecturæ. Ombus ut reformatæ illius religionis hominibus domum liberè redeũdi fas eſto: & illi ſuarum facultatum dignitatum'que plenè poſſeſsioni reſtituantur. Ne ſumptorum armorum aut cuiuſcunque rei quæ ſumpta arma comitata ſit aut conſecuta, omniumùe adeò rerum, quæ Principis Condæi conſanguinei ſui mandato atque auctoritate fuerint geſtæ atque adminiſtratæ nomine, quicquam poſtuletur. Abrogatis omnibus edictis, areſtis, ſententijs aduerſus illos, qui eas res geſſerint, latis: ut nec ipſæ ſentẽtiæ, nec ipſarum executiones, illis, nec illorum liberis, cauſamùe aliquo modo habentibus, poſsit unquam eſſe fraudi. Profiteri, ſe principem Condæum pro charo conſanguineo ac fido famulo ac ſubiecto, habere ac ducere: omnesq́ eos uniuerſim ac particulatim qui illius auſpicia in hoc bello fuerint ſecuti, pro fidis ſubiectis ac famulis. Illi quoque ſe largiri ac condonare omnem pecuniam, quæ uel ex ſuo ærario, uel ex Eccleſiaſticis facultatibus ſumpta ſit, ut nec ipſi, nec ijs qui ipſius mãdato illas pecunias adminiſtrarint, poſsit quicquam à quoquam in poſterum poſtulare. Item & monetæ fabricationem, bellicarum'que omnium

1568 rerum effectionem, tormentorum, tormētarij pulueris, munitionum &c. Nec
ut possint ea quæ ab illius belli initio ad istius Edicti promulgati diem usque
fuerint è redditibus sumpta prædiorum rusticorum urbanorumue euēdicari.
Qui quidem designandus sit, post hunc diem quo conditur triduo quidem
in Senatu Parisino: octo uerò diebus in alijs Parlamentis. Mādare uero se om
nibus præsidibus prout confestim current Edictum istud promulgandū sin-
gulis in locis, ne quis ignorationem prætexere possit: eo elapso die, quæ fue-
rint sumpta ex utrauis parte, uelle euendicationi condictioniq; esse obnoxia.
Mandare se item singulis Parlamentis, ut istius Edicti promulgationē quam-
primum edant, nulla mora interposita, & in publicos Commentarios referāt:
se tamen uelle ut Lutetia & ipsius præfectura ab omni Religionis illius re-
formatæ quæ dicitur, exercitio sint immunes, ex superioris nimirùm illius
Edicti præscripto: Post Edicti istius promulgationem, uelle se ac iubere, uti
ref. Relig. homines actutum arma deponant, urbes reddant atque restitua-
ant, omnesq; bellicos commeatus quos penes se habuerint: captiuiq; seu bel
lo seu Religionis causa, ab istius Edicti promulgati tempore confestim libe-
rentur. Atq; ut omnium perturbationum occasiones tollantur, iubere ac man
dare, omnium uti rerum religionis bellorumq; istorum causa gestarum me-
moria, sempiterna obliuione sepeliatur, nec cuiq; fas sit quemquam uerbo fa
ctoue propter istas res lacessere: (reo capitis pœnam minatur) aut unà dispu
tare, nec contendere: at omnes unà, quemadmodum ciues, amicos fratresq;
decet, pacatè uiuere. Et illius religionis hominibus iubere se ac mandare ut
omnibus fœderibus, quæ fecerint extra aut intra regni fines, continuò disce-
dant: nec in posterum eis liceat facere, nec pecuniarum tributa collectásue
actitare: nec alios cœtus agere, quàm qui sint à superiori illo Edicto permissi,
& omnes quidem sine armis: ne Ecclesiasticos homines ullo modo, nec ser-
mone, nec re ipsa interturbent, at illos in suarum facultatum rerumq; usu pa-
catos relinquant. Velle denique ac iubere, ut hæc omnia ab omnibus suis per
æquè subiectis præstentur atq; obseruentur: qui secùs fecerit se illius pœnam
ex facti existimatione minari: seq; mādare, ut ubiq; pro more solenniter hoc
Edictum promulgetur. Id fuit ad uicesimum tertium mensis Martij isto an-
no M. D. LXVIII.

Hic fuit secundi istius belli exitus, quod minus semestri spacio durauit: ab
Octobri nimirum ad Martium mensem. In quo bello haudquicq; est memo-
rabile actum, nisi ipsum illud pacis Edictum, quod modo cōmemorauimus.
Singularem nimirum fuisse dolum à quibusdam appositè excogitatum, ad ar
ma Condæo fidelibusq; demenda, amandandasq; auxiliares copias, quarum
recuperādarum pecuniæ penuria quæ ad istos conatus exhausta fuisset, sum
mam difficultatem Condæo postea futuram perspiciebat. Hāc uerò facilē &
peropportunam opprimendorū fidelium rationem ita ab Regijs usurpatam,
norit posteritas. Perlato uerò ad Condæi castra Edicto, atq; ibi solenniter pro
mulgato, magna animos omniū lætitia tenebat, coniuges, liberos, domos in-
uisere percupientiū: & maximè quod religionis libertas aliqua per Edictum
tribueretur. Condæus cōtinuò dimittit exercitum: Ducemq; Casimirū cum
Germanicis copijs domum repetentē, actis de tam opportuno beneficio gra
tijs, honorificè curat deducendum. Ibi paucis comitatus domum proficiscitur
in Picardiam: Literisq; uariè ad fideles datis mandat ut ex Edicti formula pa-
ctisq; conuentis, urbibus quas tenerent, continuò cedant, & ferè mādatis ob
temperetur. Rex dimissis Germanis, & aliquot è suis Gallicis cohortibus, reli
quas copias in armis iubet esse: Equitibusq; diem ad stipendia dicit.

Martij die uicesimo, qui Cutberto sacer est, Albertus Marchio Brādenbur
gensis,

gensis, Friderici Marchionis & Sophiæ Reginæ Poloniæ filius, quondam ordinis Teutonici magister, sed postea dux Borusiæ à Rege Poloniæ constitutus, anno ætatis septuagesimo octauo, multis laboribus atq; ærumnis, cum in Ecclesia, tùm in Repub exātlatis diem extremum claudens, ad æterna gaudia transijt: Princeps generis nobilitatis, uirtute, studio religionis, amore literarum, ac ordinis sui iurium propugnatione, quæ multis annis contra auunculum Sigismundum Poloniæ Regem fortiter defendisset, clarissimus. Cæterum cum inferior uiribus, sæpius implorata Cæsaris Caroli, qui tum Hispanicis ac Italicis motibus distineretur, ope, nihil impetrasset: tandē ui maiore coactus Sigismūdo Regi Poloniæ anno uicesimoquinto post millesimū & quingentesimum sese submisit, ita, ut hic detractis ei aliquot ciuitatibus Gedano, Torona, Mariæburgo & Elbinga, reliquam ditionem, abolito equitum Teutonicorum in ijs locis collegio, beneficiario iure patrueli concederet, hac cō ditione, ut ijs tum ipse, tùm nati ex eo hæredes masculi, & hæredibus masculis deficientibus, proximi è Brandeburgicorum Principum gente agnati, fruerentur si Poloniæ Regum se clientes non Imperatoris Romani Borusiæ nōmine profiterentur. Sic itaque in Ducatu confirmatus uxorem duxit Dorotheam Regis Danici Friderici & Annæ Iohannis Marchionis Electoris Brandeburgici filiam: ac religione puriore recepta, anno Christi millesimo quingentesimo quadragesimo quarto, Regiomontanam scholam amplis stipendijs dotatam, eò Doctoribus atque Magistris ex Vuitebergensi & Francofordensi Academijs accersitis, & solenni ritu introductis, instituit. 1568

Paucis deinde annis interiectis, cum Academia falso Andreæ Osiandri dogmate de essentiali hominis iustitia collapsa fuisset, eandem, confessione Augustana restituta, doctissimis uiris hinc inde conuocatis restaurauit, ut insigne studium religionis conseruandæ posteris reliquerit. Vxores habuit duas, Dorotheam de qua diximus, ex qua proles quàm plurimas sustulit: Annam Sophiam elocatam illustrissimo Megalopolensium Principi Iohanni Alberto anno millesimo quingentesimo quinquagesimoquarto, sub exitum Februarij: Catharinam, Fridericum Albertum, Luciam, Dorotheam, Luciam Albertum, Elizabetham omnes hac uita ereptas. Alteram uerò uxorem Mariam Erici senioris ducis Brunsuicensis & Elizabethæ Marchionissæ Brandeburgicæ filiæ Ioachimi primi Marchionis Brandenburgici Electoris natam, quæ ei Albertum Fridericum peperit, Principem totius familiæ Brandenburgicæ columen: natus in oppido Franciæ Onolsbach anno millesimo quadringentesimo nonagesimo, hora decima antemeridiana, seu duabus horis ante meridiem. Obijt Tapiaui, cum rebus Borusiacis annos quinquaginta quinque præfuisset, eodem die uxore Anna Maria Brunsuuicensi, quam nominauimus, Deo spiritum, quem ab eo acceperat reddente, ita ut quod ille apud poëtam exoptat:

— Quoniam concordes egerit annos
Auferat hora duos eandem, nec coniugis unquam
Busta suæ, uideat nec sit tumulandus ab illa.

Id Principi optimo, fortissimo, ac pientissimo Alberto acciderit: tempus autem obitus hoc disticho comprehensum fuit:

Lux Alberte tulit te cum forte Guberti
Heu heu, lux fato non caritura suo.

Pupillo deinde Alberto Friderico annorum quindecim, tutores, qui administrationi Ducatus præessent, à Rege Poloniæ Sigismundo dari fuēre. Mox uerò eo maiorenni declarato, accersitis à Sigismundo Alberto Friderico, Georgio Friderico, & Ioachimo Septemuiro, Marchionibus Brandenburgicis agnatis, illi præsenti, & horum legatis publica ceremonia beneficium succes-

1568 sionis Borussiacæ cōcedit,ne qua in posterum cōtentio exoriri possit,eodem etiam tempore Moldauorum Principem,in clientelā suam recipiens, cum annis aliquot ante Petrus,mox quoq; filius Elias ad Turcam defecissent.

Tertio Aprilis tres feciales magna solennitate pacis fœdera in foro Aureliano post ternum quaternarum tubarum editum clāgorem promulgantes,belli finem ac pacis exoptatæ initium cōstituerunt.Sed popularis lætitiæ breuis usura fuit.

Nam 21 Aprilis Rex Principem Dophinum Borbonium iuuenē, Aurelianum cum quindecim cohortib' præsidiarijs submisit,non sine uehemēti Cōdensium omnia sinistra præsagientium luctu.Pridie autem eius diei,quàm urbem Dophinus ingressus est,circiter decem ingentes bellicas machinas in foro collocatas,nobilis quidā clauis, pinnisq; chalybæis, per foramina quibus puluis incenditur ,malleo adactis,ita corruperat,ne ullum belli usum postea præberent,neue ciues his freti,præsidium Regium cum Principe Dophino missum,urbe arcerēt.Hoc pacto præsidiarij milites in urbem intromissi, mox ab ingressu portas forumq; occuparunt: & paulo post easdem machinas igni uehementissimo circumstructo,partim instrumentis,limisq; chalybeis perrumperunt: fragmentaq; Parisios transmiserunt. Quare etsi Rex incredibilem iacturam tot tormentis uastatis sensit, affirmauit tamen se illas machinas, quæ glandes & globos contra se suosq; euomissent,superesse nolle.

Cumq; pacis constitutæ Edicto, plærasq; ciuitates à Condæanis antea occupatas,mox recepisset,& suspecta oppida ualido præsidio muniuisset: paulò altius Hugenothos tractare, ac indies causas belli redintegrandi quærere cœpit. Nam Regij prouinciarum præfecti oppidis, portubus atq; itineribus occupatis, magna præsidia ciuitatibus ex animi arbitrio imponebāt, ac sectatores religionis reformatæ,uarijs modis sollicitabant,præsidiarijs quos domi alere cogebantur ipsorum facultates dissipantibus & abligurientibus.Ac etsi Regia Maiestas,ipsis per literas atq; nuncios mandaret,ut exules in urbes reciperent,atq; eos tam exercitio religionis, quàm bonis,atq; honoribus frui paterentur:hæc tamen non curabantur, sed solum hi recipiebantur, quos tepidiores in religione reformata amplectenda norant,ijs arma sub ingressum oppidorum adimentes,ac etsi ijs usi non fuissent eos ad ipsa comparāda atq; tradenda cogentes,id enim nisi fiebat,ciuitatibus excludebātur. Ac cum armorum usus,qui Condæanos ademptus erat, Regijs cōcederetur, hi eo insolentiores facti,maximis molestijs illis afficiebant,ita,ut uarijs in locis cædes fierent,atq; nouissima deteriora prioribus essent.Nec uerò tantum hæc in ciuitatibus fiebant, sed & Condensi ac Admiralio nullibi subsistendi tutus locus concedebatur; domicilijs eorum partim præsidijs firmatis, partim undique circumseptis, ita ut Condensis Noyerum in Burgundiā & Admyralius Tanlayum domicilium fratris Andeloti se recipere cogerentur, cognito consilio, quod Albanus Regiæ suæ Maiestati dedisset,ut,quo uoti compos fieret, Duces religionis reformatæ comprehenderet , prouerbio Hispanico allegato, Plus Valere Caput Vnius Salmonis, quā quinquaginta Ranarum, Regi hoc ipso subijciens, quod ipse in Belgico exequi constituerat.

Pacis uerò Gallicanæ nuncio Albanus cognito,ac fama, de Germanis qui Condensi militassent,in Flandriam irrupturis,sparsa,à Regis Hispaniæ legato in Gallijs confirmata : Albanus equitatum Hispanicum & Italicum ad partes Leodienses dimittit, & filium Barlamontij ad duo millia Vallonum contrahenda,& duos equitum præfectos,ad conducēdum equitatum Italicum, quo Rex Galliæ usus fuisset ablegat.

Vicesimo quinto Aprilis Vuilhelmus Arausicus & Antonius de Laling comes Hochstratensis, generalis Procuratoris citationi quam supra retulimus,

ita respondent, ut motuum concitatorum culpa, à se in Inquisitionis Hispanicæ promotores & complices deuata, apud iudices sese de criminibus obiectis, & maximè de ambitione ac crimine læsæ Maiestatis purgarint. At Albanum, quem tyrannidis accusarant ita offenderint, ut is utriusque bona tãquam rebellium publicarit: filiumque Auraici, comitem Burensem, Louanii literis operam nauantem ceperit, atque in Hispanias ablegarit, cuius Apologię tenor hic erat. 1568

Initio quidem Auraicus, ut nõ se, sed alios autores motuũ qui in Belgico acciderint fuisse cõmonstret, illud consyderandum Lectori relinquit, atque ut id fiat necessariũ existimat, statum Belgij, qualis ille fuerit ante, & post motus Belgicos, & post bella, quæ tam Carolus Quintus Imperator inclytæ memoriæ, quàm Rex Hispaniæ Philippus Principes Belgij, quasi per totum decennium contra Galliæ Regem sustinuerint: nimirum talis, ut non obstantibus bellis populo grauamina illata fuerint per inquisitionem, & placita, quæ in negocio religionis seruarentur in quam plurimis terris, & de die in diem accumularentur, ob incrementum religionis, adeò enormem, ut aliquis miraretur, eum tam longo tempore sufferri potuisse. Nihilominus tamen clarè perspectum fuisse, subditos dictarum terrarum, paratos non solum ad omnem debitam obedientiam præstandam, sed & ad corpora sua pro Regia Maiestate exponenda. Cum & nobilitas suo munere, uirtute, & promptitudine insigni perfuncta fuerit, & status liberaliter ad sumptus belli incredibilem pecuniæ summam, contribuerint, tanta alacritate, ne unquam ulla alienationis animorum significatio conspecta fuerit: sed uerisimiliter præsumi potuerit, dictas terras ita erga Regiam Maiestatem affectas fuisse, ut nihil eorum, quæ ad conseruationem bonorum, & amplificationem eius pertinerent, prætermissuræ essent, ac Regia sua Maiestas in tuto cõtra omnes extraneos locata fuerit. Cumque natura ita comparatum sit, ut præclara seruitia & benemerita fiduciam pariant, aliter fieri non potuisse, quàm ut dictæ prouinciæ, maximè uerò nobiles existimantes suis periculis, sanguine atque uirtute tam memorabiles uictorias partas, & subsidijs auxilijs, & contributionibus publicis, tam longo & difficili bello finem impositum, certo statuerent, Regiam Maiestatem, occasione se offerente attenturam ad tam insignia seruitia, quò dictæ terræ à periculo motuum intestinorum securæ redderentur. Subditis enim nihil aliud à suo Principe expectantibus, quàm omne bonum: continuatam in ijs obedientiam ac fidem: Ita ut statu Belgij consyderato, florentis omni genere negociationis & mercaturæ aliarumque rerum ab ijs dependentium, etsi id præcedentibus bellis afflictum, oneratum contributionibus impositis ob dictam pecuniæ summam fuerit, apparuisse tamen id foris ab extraneis tutum, & domi cum Principe conciliatum & alleuatum placitis & ordinationibus tempori congruis, non saltem omnibus debitis exoneratum iri, sed & intra paucos annos ad summum humanæ felicitatis fastigium peruenturum. Vnde cum Regia sua Maiestas eò conscendisset, ut illam exteri formidarent, subditi colerent, & reuererẽtur, illam potuisse se omnium suæ ætatis Regum maximum ducere, in tantum, ut necessariò fatendum sit, qui impedimentum huic bono & felicitati obiecerint, coniunctionem hanc dissoluerint, & mutuam propensionem diremerint, tam graue delictum commiserint in detrimentum suæ Maiestatis & Reipub. ut in exemplum aliorum puniri mereantur seque credere, omnes conspiciẽtes Belgicum in hasce extremas calamitates, miserias, atque seruitutem coniectum, idem secum sensuros esse. Cumque ipse à Procuratore generali in citatione emissa, mutationis quæ in Belgico acciderit, author habeatur, se pœnas in ea contentas minimè defugere, si uera sint quæ ille prætendat. Hunc allegare suam

1568 ambitionem & dominãdi studium, ex quo sequatur, causam finalem suarum actionum & consiliorum fuisse, honores, alterius uocationis usurpationes, & autoritatem. Ad subuertẽdum uerò hoc obiectũ, super quo hic accusationem extruere prætendat, satis esse apud hos, qui se norint, ingenium suum alegate neutiquam ad tales cupiditates propensum, apud alios uerò facultates ac bona, quibus diuina gratia donatus sit, interueniente bona rerum omnium administratione & constitutione, è quibus excellentia & authoritas maior speranda sit, quàm ex alijs quibuscunq; machinationibus. Omnes fateri oportere si se domum ad curam rerum suarum recepisset, multò maiores melioresq; congerendi diuitias, & per has acquirendi, conseruandi, tuendiq; autoritatem, commoditates habiturum, quàm in aula largiter & liberaliter expendendo, autoritatem sperare ex rebus alienarum, ex quibus nihil emolumenti à se quæsitum, omnibus, quibus actiones suæ notæ sint, constet: Nec absurdius quicquam, quàm omnibus terris propensissimis animis erga Regiam Maiestatem affectis sibi imputari, quasi quid contra, & supra eam usurpare uoluerit. Cum semper eius sententiæ fuerit, ut Regia sua Maiestas subditos, potius in ea animorum inclinatione ac uoluntate, moderatione placitorum retineret, quam innouationibus, atque rigore alienaret. Hanc solam esse uiam, qua dici possit, uoluisse peruenire, ad finem suarum cogitationum: Neque enim negari posse humanitatem & beneuolentiam uerissimos modos esse, quibus Principes authoritatem & regna conseruent. Et necessariò fatendum, quod hac ratione contenderit ad conseruandam, non usurpandam authoritatem Regiæ Maiestatis, quam si alij conducibilius putarint asperitate conseruari, consequi quidem de ratione conseruationis se in diuersa atque contraria sententia fuisse: nullatenus uerò de conseruatione ipsa, quam experientia monstrarit rigore non posse fieri, Belgio in felicitate qua esset permanente, in qua & ipso sub authoritate Regiæ Maiestatis id conseruari desyderarit. Hanc solam causam post gloriam Dei fuisse, quod rigorem dictæ inquisitionis improbarit. Cui etiam reliquæ suæ actiones testimonium sint daturæ omni ambitioni contrariæ: Nam se multò antè renunciasse officio, quod in consilio statuum habuerit, simul quoq; præfecturæ fisci regij, muneri accommodatissimo ad conciliandos animos statuum, ac quasi summam rerum omnium sibi tribuenti, si id acceptare uoluisset, alijs porro egregiè eò cum emolumento fungi scientibus: sed gratia Dei tam se ab arrogantia fuisse alienum, ut utrunque istorum officiorum Regiæ suæ Maiestati resignarit, in ijs parum Reipub. consulere se posse uidentem, negociationibus aliorum obstantibus, Nihilominus tamen Regia Maiestate se deliberationib. adhibente, pro uirili in id incubuisse ut ea consuleret, quæ sui offícij essent, & Reip. commodarent, licet magno animi dolore uiderit artibus unius atq; alterius Regiæ suæ Maiestatis animum aliò transuersum abripi. Verum cum omni tempore Regia Maiestas integritate actionum suarum & promptitudine officiorum animaduersa, ex Zelandia in Hispanias discessura, se summopere ursisse, ut munus consiliarij reciperet, post longam excusationẽ uoluntati eius secessisse, sed uiso omnia more solito geri, & secus quam sibi Regia Maiestas spem fecisset, biennio exacto rursus se dimissionem petijsse. Ac animaduerso, omni contentione id agi, ut Belgicum in integram obedientiam redigeretur, ne occasio esset, de hoc cõtrouertendi, cũ id in grauissimum detrimentũ suæ Maiestatis & Reip. tenderet, ampliori cõtestatione se exonerationem omnium officiorum flagitasse, quò sibi rei priuatæ uacare, ac culpam effugere liceret incommodorum, quæ quasi præ oculis uiderit. Ob id sæpius se institisse tam apud Regiam Maiestatem, quàm Gubernatricẽ, & pluries quidem quàm semel, post oblatum libellum supplicem à confœde-

tis,

tis de quo aduersarij uaria clamitãt: Certè, si ambitio sua tãtopere aspecta fuis- 1568
set, uerisimile non esse Regiã Mai. sibi abeundi facultatē denegaturam: multò uerò minus toties expresse mãdaturã ac institurã, ut munera cõtinuaret. Iuris enim notorij remouendos esse à gubernatione, quorũ ambitio metuenda sit, ita ut dum Regia Maiestas officia sibi perpetuarit, directo cõtrarium ei quod Procurator generalis causetur, declararit, se nec ante, nec post discessum suæ Maiestatis, de ambitione suspectum, uoluisse autoritatē supra Regem uel Belgium sibi arrogare, cum liquido ex his appareat, quod nihil aliud quæsiuerit, quàm omni administratione atq; officijs liberari. Et diuersum sensurum eum qui consyderarit, post discessum Regiæ Maiestatis summam rerum in manib. Cardinalis Granuellani fuisse. Quod uarijs testimonijs & exemplis quidem demonstrari possim, tamen propter multas rationes hic omittam. Hoc unicũ addã, quod post discessum dicti Cardinalis, Principissa Parmensis fassa fuerit, se intra perpaucos menses post discessum Cardinalis, plus de negocijs Belgij cognouisse, quàm toto tẽpore quo Cardinalis adfuisset. Ea postea in nouissimis motibus uolēte relinquere Bruxellas, & se recipere ultra Alpes, & hoc ipso locum dare his, qui autoritatem eminentiorem illa desyderassent, se unà cum alijs importunissimè postulasse ac supplicasse, ne illa sibimetipsi hanc iniuriam, & contumeliam Regiæ Maiest. inferret: id quod luculenter commonstret, quàm suæ actiones & cogitationes ab omni ambitione remotæ fuerint, cuius iam insimuletur. Si uoluisset arrogare sibi soli omnem autoritatem, non potuisse offerri commodiorem melioremq; occasionem, quàm uidere Gubernatricis propositum perfici: sed cum sua mens penitus alia fuerit, pro uiribus id se impedijsse. Cumq; Regiæ Maiestati suasum fuisset, è re uideri consilium statuum nobilibus ac literatis alijsq; uiris autoritate præditis augeri, quò cõfusioni & dissensioni occurreretur, & tantò melius negocia tractarentur, præsertim uerò ut decreta atq; statuta consilij sertiarentur, & executioni maiori autoritate mandarentur: deniq; ut occasio tolleretur cuilibet usurpandi sibi omnem administrationem aut quærendi priuatum emolumentum, expensis publicis. Se à Gubernatrice requisitum, ut quosdã idoneos nominaret, qui ad hoc promoueri potuissent, ne in suspicionē ueniret, quasi consilijs & actionibus suis cõmodis próponeret, id totum arbitrio Regię Maiest. reliquisse, ita ut nunq; studij priuatorum cõmodorum signum ediderit. Inde consequi potest, quod res longè aliter sese habeant, quàm quod accusetur, ambitionis & cupiditatis honorum ac regni.

Cumq; proprium sit ambitiosorum, solum exclusis alijs uelle dominari, se è contrario non tantum proposuisse, ut consilium augeretur, & autoritas cum compluribus communicaretur, sed & obtulisse, quod domum se recipere uellet, quò locus alijs daretur, prout Gubernatrix alijq; consiliarij huius rei testes futuri sint.

Necesse ergo esse quæri alias euidentiores certioresq; motuum causas, atq; in hoc consyderari, Belgas flagrantes ingenti studio cõseruandæ libertatis ac immunitatis, qua tam ui conuentionum cum Principibus initarũ, quàm priuilegiorum ab hisce & ab Imperatoribus ab antiquo concessorũ uterentur, summopere metuisse, ne introductione exterorum, ijs priuarentur.

Inde ergo omnes innouationes tãtò magis suspectas ac odiosas fuisse, hoc quoq; accedēte, quod nouissimis bellis summa potestas inquisitiõis tẽperata atq; remissa, & introductione militis Germanici, cuius opera atq; auxilijs utē dum fuerit, concionibus publicis libertas data fuisset, tàm in ciuitatib. quàm in castris, & clàm inter quosdam plurimis in locis præterq; quod in omnibus finitimis regionibus religio Catholicæ Ecclesiæ contraria iam recepta fuisset.

Hinc

1568 Hinc itaque in terra tam populosa & undiq; frequentata, negocium religionis paulatim tot annorum spacio ita succreuisse, ut tandem nomen inquisitionis odiosum factum sit: per quæ multitudo populi innumerabilis, imò ultra quinquaginta millia hominum in tota Europa uita priuati fuerint, nec minor compulsa relinquere bona, parentes, amicos atque cognatos, & uiuere in perpetuo exilio. Id causam dedisse non tantū mutationibus, sed & offensionibus contra inquisitionem, ut plurimis in locis, officijs publicis præfecti ea executioni mandare ausi non fuerint, nisi noctu & clam, neq; id sine periculo ac metu seditionis: Præfectis attestaturis, se sæpius summo cum discrimine ereptos è furore populi. Inde qui rerum experientiam habeant, prædixisse has commemoratas causas motib. occasionem præbituras, nisi prudenter & in tempore occurreretur.

Mariam Reginam Gubernatricem Belgij suo tempore hæc mala metuentem, anno quinquagesimo, Augustam profectam, ad fratrem Carolum (sanctæ memoriæ) ut moderaretur & mitigaret potestatem placitorum tunc conceptorū: & ut immunes ac liberos ab inquisitione Antuuerpiēses aliosq; populos Belgicos, qui ei subiecti non essent relinqueret: id quod & obtinuerit.

Pace ergo & tranquillitate in Belgio aliquandiu conseruata, quasi res autoritate Gubernatricis & è sententia concilij statuum administrarentur. Procurator Generalis statim post Regiæ Maiestatis discessum solus uel cum perpaucis incepit negocia magni momenti tractare, rationem incommodorum quæ euenerint, æquè ut Regia Mai. administrare. Id quod adeò multis displicuit, ut Regiam suam Maiestatem de hoc certiorem reddiderint. Atq; simul petiebant ut Regia sua Maiestas beneficia & merita in præcedentibus bellis præstita ad animū reduceret, seq; accommodaret consilijs tempori cōgruis, & ut secundum obligationes & priuilegia ipsorum, omnes innouationes maximè progressum Episcopatuum, inquisitionis, impediretq;, aliquorū obscurorum hominum innouationes, contra temporis rationem, contra priuilegia prouinciæ, cōtra proprias promissiones aboleret: præsertim inspectis tumultibus Gallicis eodem tempore occasionem inquisitorum, ad similem effectū tendentium suscitatis. Etsi id regnum non usq; adeò frequenter & ab omnibus partibus circumcingatur populis à Romana religione alienis, ut Belgiū. Idq; tantò magis quod erectiones nouorum Episcopatuum, etiam in detrimentum extraneorum Archiepiscoporum & Episcoporum Imperij redundarent, ad quorum Iurisdictiones & Diœceses ea res pertineret.

Hisce itaq; de causis & alijs, quæ quisque pro ingenij sui modulo sibi proposuerit & maximè ob fiduciam, quam prouinciæ tam in genere quàm in specie de Regis bonitate cōceperint, & memoria præteritæ gubernatiōis iustæ, & æquæ atque secundū leges terrarū institutæ, ita, ut in quo se grauatas sentirent exponere suis principibus auderent, uoluisse eas eidem uiæ insistere, & Regiam Maiestatem de dictis innouationibus & incommodis inde exorituris, nisi in tempore remedium adhiberetur, commonefacere. Ideò à Gubernatrice & primoribus concilij statuum per dispositos equos Baronem de Montigni equitem aurei uelleris, ad Regiam Maiestatem ablegatum, cum mandatis ut ei exponeret statum & conditionem Belgici, ac generalem offensionem contractam ex innouationibus. Eo factum, ut & nobiles Belgici occasioni oblatæ imminentes speciatim sua postulata exposuerint, spe fore, ut Regia sua Maiestas desyderio ipsorum acquiesceret, aut ad minus onera quibus grauarētur alleuaret: præsertim cum ad impediendā incorporationē præsulatuum & abbatiarum, tunc temporis in Brabantia uacantium, præsules alijq; status suos deputatos antea ad Regem misissent, ut & Antuuerpienses ad im-

ad impediendam inquisitionem & introductionem noui ipsorum Episcopi. 1561
Quæ legatio ad tempus terras istas, suspensas & à motibus liberas tenuerit, quolibet sperante se per suos deputatos bonum remedium & tale decretum habiturum, quale rerum status requireret: Licet negocium religionis ubique processerit, ita ut in quibusdam locis conciones haberentur, non saltem secreto, sed & publicè, præsertim Valencianæ, Tornaci, & alijs quibusdam in locis. Cui rei occasionem si non dederit, saltem eam auxerit libertas religionis in Gallijs concessa, Belgis arbitrantibus, se non minus benè meritos de suo Rege ac Principe, quàm Gallos; ad quorum exemplum cum pluribus in locis haberentur & tractarentur, ipsis æquè libertatem conscientiarum quoque concedendam esse.

Visum ad oculum fuisse in dictis terris, quæ circumcinctæ sint populis aliam religionem sectantibus, & quæ se subsidio negociationis & cõsuetudinis uicinorum sustentare cogantur, impossibilem esse obseruationem antiquarũ constitutionum & placitorum in negocio religionis: Quam cum aduersarij conati fuerint extinguere & eradicare, compertum fuisse eam in maxima aspe titate creuisse & augmentum sumpsisse.

Hoc tamen non obstante, Cardinalem perrexisse introducere atq; in possessionem mittere dictos Episcopos, postquam Archiepiscopatum Mechliniensem obtinuisset, (uirtute cuius etiam cogitarit manere Metropolitanus & primas seruare præter Abbatiam Affligensem) & alios, hominibus quibusdã ineruditis distribuisset. At etsi introductiones in aliquibus ciuitatibus citra expectationẽ factæ fuerint, tamen quemlibet facilè animaduertisse odia com plurium eos receptantium, & quosdam etiam se opposuisse speciatim Antuerpienses, Groningenses, Vuardienses, Dauetrienses & Ruremundanos.

Præterea ad fauorem conciliandum, facultatem habuerit distribuendi & conferendi omnia officia, beneficia, & solaria Regis, & Gubernatricis: & quod ipsemet per se, & Episcopos plurimum potuerit, ut ita uia ipsi ad acquirendam & conseruendam authoritatem supra Regis terras strata fuerit. Vtq; de rebus quæ hinc inde gererentur certior fieret, ac Regum & Principum uicinorum gratiam conseruaret, in sua quasi potestate eum habuisse omnes legatos & ministros Regis, interq; alios proprium fratrem, qui res Gallicas in eum statum coniecerit, ut propter publicam tranquillitatẽ regni, Regina Regiam suam Maiestatem diligentissimè rogarit eum inde reuocari.

Ad quæ, qui respicere uelit, eum facilimè iudicaturum, qui nam authoritatem Regia maiorem sibi arrogarit: Ipse ne, qui nec ullam istarum commoditatum habuerit, & nihil aliud est innouationibus quàm animi molestias perceperit, & non semel, sed sæpius muneri concilij statuum, & præfecturæ ærarij Regij renũciarit, & nihil aliud expetiuerit quàm eo munere liberari: deniq; à Gubernatione & concilio demitti.

Cæterum cum personæ Cardinalis perrexerint in innouationibus, & res in Cardinalis absentia eo modo tractarint, ita ut mox easdem perturbatiões resuscitatas, cum impossibile esset ijs mederi, propter dissensiones quæ fuerint inter tria Principalia consilia, nimirum statuum, concilium priuatum & quæstorium, quæ per Cardinalem & suos Principes regerentur, sed ita, ne inter ea conuenire posset. Hisce itaq; & pluribus alijs solicitationibus per actis, uisum fuisse (ne alia mala multa iam impendentia orirentur) mittere ad Regiam Maiestatem Principem Gautij Comitem Egmondanum, qui in reditu magnam spem & indicia præclara emendationis & restaurationis rerum, mitigationis placitorum, abolitionisq; inquisitionis ostenderit. Ex quibus perspicuè atq; re ipsa uisa fuerit, pendere aut concitatio, aut pacificatio populi.

Atq;

1568 Atque quo mitigatio institueretur anno sexagesimoquinto, congregatos fuisse tres Episcopos, tres Theologos, totidem Doctores iuris ciuilis, tres quoque Canonistas, quorum sententia de mitigatione Inquisitionis, ad Regiā Maiestatem missa, sed non admissa sit.

Rege in fine anni sexagesimi quinti expresse mandante, ut absque ulteriori replicatione ad introductionem nouorum Episcoporum, qui nondum in possesione essent, & publicationem decretorum Concilij Tridentini procederetur, Et Inquisitoribus potestas de iure ciuili & Canonico debita, traderetur, & placita cum omni rigore in ipso articulo executioni mandarentur.

Huius itaque mandati exempla & breuiaria statim omnibus ciuitatibus transmissa, ijsq; iniunctum, ut se declarationi & mandato suæ Maiestatis conformarent. Hanc secundam & principalem causam mutationum, & incommodorum quæ subsecuta fuerint, extitisse.

Cum itaque inquisitio speciatim expressa & declarata literis suæ Maiestatis fuerit causa offensionis & motus, sequi ei & non alijs accepta ferenda quæ subsecuta sint. Denique ueritati minimè consentaneum esse suo consilio ac instigatione complures subditos inductos ad rebellionem contra suam Maiestatem, & quod primus seduxerit, corruperit & concitarit maximā nobilitatis partem, ita, ut fœdera, conspirationes, & coniurationes fecerint, atque iurarint se contra Regiam suam Maiestatam eius'que ordinationes quolibet tempore obseruatas defendere atque munire uelle, ijsq; conuenticulis in suis domicilijs tam Bredæ quàm Bruxellis factis, se caput, authorem, promotorem, fautorem & receptatorem rebellium, conspiratorum, coniuratorum, machinatorum & perturbatorum publicæ tranquillitatis fuisse.

Neque enim apparere ullam rebellionem uel seditionem, quæ contra Regiam suam Maiestarem facta fuerit, & de qua respondere teneatur: Nec dictam confœderationem factam suo intuitu, sed ratione difficultatum ex dicta Inquisitione ac placitis ortarum, & quod contra promissiones factas annis quinquagesimo, quinquagesimo quinto, sexagesimo secundo & sexagesimo quinto alijsq; temporibus actum fuerit, ut antea demonstratum sit.

Ideò se dicere per dictam confœderationem atque querimonias, aliaq; quæ ea secuta fuerit re ipsa accidisse, quod in pleno consilio Gubernatrici prædixerit se metuere euenturum, nimirum quod declaratio suæ Maiestatis occasionem datura esset magnæ mutationi, maximè propter spem, quam, complures conceperint ex relatione Comitis Egmondani. Cumq; idem in effectu Gubernatrici postea scripserit, eam confessam in suo responso, se clarè perspicere, istam declarationem esse causam omnium mutationum, cui etiam ut dictum, tribuenda sit causa confœderationis factæ, citra suam scientiam & comprobationem. De qua cum paucos dies ante, uidelicet circiter quindecim intellexerit, antequam confœderati in curiam uenissent, apertè contestatus sit, eam sibi non probari, neque uideri uiam esse publicæ pacis ac tranquillitatis conseruandæ.

Se quidem non habuisse pro rebellione, conspiratione, uel coniuratione actiones confœderatorum, ipsis firmiter huic assertioni innixis, quod nihil contra Regiæ suæ Maiestatis & patriæ bonum facere aut suscipere cogitarent, & quod communis opinio confirmata experientia testaretur, ex inquisitione mutationem prouenire, & per exempla quæ antea uiderit in Germania, Gallia, Anglia, & Scotia coactus fuerit fateri, declarationem suæ Maiestatis hac in parte nihil aliud effecturam, quàm magnam ruinam Belgici.

E contrario uerò uiderit prouincias in quibus libertas religionis, uel ad minus conscientiarum concessa sit, & ubi inquisitio non obseruetur, contineri in pace ac tranquillitate: Id quod euidenter doceat, quod uiuere sine inquisitione in libertate conscientiæ longè aliud sit, quàm uiuere in omni dissolutione, & sine lege ac regula. Nec Principes Germaniæ, alios'que, quibus tranquillitas atque salus suarum terrarum æquè ac Regiæ suæ Maiestad curæ sit, id ulla ratione tolleraturos esse, maximè si metuenda inde esset inobedientia. 1569

Seq; eo magis in ea sententia confirmatum quod confœderati se minimè obstinatos declararint, uel ui suas preces obtinere cogitarint, sed solum requisierint, ut sua Maiestas dignaretur, audientiam dare ipsorum querelæ & petitioni, & super his sententiam statuum audire, offerentes se iuxta ea, quæ per ipsam rectè informatam in negocio religionis constituta essent uicturos esse, ita ut si in hoc rebellio, conspiratio aut coniuratio fuerit, necesse sit eam fuisse in hoc, quod confœderati petierint rationē haberi precum suarum, aut in hoc quod requisierint, dictos status audiri.

Cumq; hæc causa in Belgio acciderit, ubi res magni momenti, tàm uniuersales quàm particulares ad status deferri solitæ fuerint, qui ad hunc finem quolibet tempore iuxta ipsorum priuilegia, & quidem per Carolum Quintum Imperatorem felicissimæ memoriæ, ob controuersiam religionis conuocati fuerint, atque ex ipsorum sententia anno tricesimo primo constitutiones & placita publicarint, ut appareat ex textu & narratione eorum se cogitasse, non esse uetitum id petere, quod peti usitatum fuerit in simili facti specie. Plures etiam confœderationes bonas & sanctas inueniri, ut Machabæorum, quæ adhuc pro honore Dei, & prosperitate Principis, ac salute patriæ fieri queant: Ita ut suo iudicio ex dictis nulla rebellio inferri queat. Nam quantum attineat ad hoc, quod confœderati promiserint & iurarint inter se mutuum auxilium ac defensionem, contra inquisitionem ac placita: præterquam quod talis promissio, modo quo dictum sit, tolli potuerit, atque apparuerit, inquisitionem contra pacem suæ Maiestatis uergere, eos etiam obtulisse se destituros à suis desyderijs, & pârituros ijs, quæ communi statuum sententia constituerentur.

Hisce, quæ dicta sint, Gubernatricem etiam se conformasse, quæ ante confœderatorum aduentum dixerit, se de moderatione placitorum cogitasse, & apertè nomine suæ Maiestatis declararit, se Brabantiam Inquisitione exemptam, & nec ab initio, nec postea, usque ad abitum ipsius speciem præbuerit, se confœderationem atque libellum supplicem exhibitum pro rebellione habere. Hæc se uoluisse exponere, non quidem ad formalem contestationem ratione dictæ confœderationis, quæ nulla ratione se concernat, sed ut demonstret, sibi non fuisse causas, ut confœderatos pro rebellibus haberet, & talibus, quos excluderet à solita consuetudine & frequentatione ædium suarum, in quibus se sciente nullà conuenticula facta sint contra commodum, honorem, & salutem suæ Maiestatis.

Cumq; Gubernatrix ex mandato Regis, & ex sententia omnium consiliariorum confœderatorum uoluntati conscenderit, in tantum, ut literis propria manu, & sigillo eius obsignatis, promiserit, ipsos propter confœderationem, & ea, quæ illam subsecuta fuissent, minimè culpatum iri, nullam sibi causam fuisse, cur de ijs sinistram suspicionem conciperet, ac diceret Gubernatricem alia intentione id fecisse, quàm ut sedaret eos, qui fines officij excessissent fractione imaginum, nec aliud quid contra ipsius uoluntatem deliquissent.

Acced

1568 Ac etsi dici posset suã sententiam diuersam ab opinione Regis, tamen eam concurrere cum ea & Gubernatricis in hoc, quod confœderatorum consuetudo & familiaritas conseruata fuerit, atq; ita ipse magis promouerit, quàm impedierit aut remoratus sit commoda suæ Maiestatis, aut ad minus per declarationem suæ Maiestatis & Ducissæ deductus fuerit, id quod sufficiat, ad purgandum se de omni prætensa receptatione & promotione: postq; confœderati aut omnino nõ fuerint rebelles, aut ad minus à Regia Maiestate, & Gubernatrice, ac populo, pro talibus habiti.

Atque in banc sententiam Regiam Maiestatem propria manu sibi scripsisse, mense Augusto, ac quidem etiam postea, quam dicta confœderatio & exhibitio libelli supplicis, ad eius notitiam uenerit, ipsam optimè cõtentam suo ministerio, æquo animo ferre præterita, & ne pateretur sibi contrarium persuaderi, ipsam de sua synceritate bonam fiduciam habere, nec fidem tribuere criminationibus maleuolorum, quos male agere scripserit.

Omni specie atque colore carere, quod dicatur caput, autor, fautor, promotor & receptator rebellium, cum non appareat, quod tales receperit, fouerit, uel protexerit: Nec doceri posse, quod quosdam confœderatos aut alios, in priuatam protectionem receperit, de quo tamen accusetur.

Accusari se quoq; quod quidam confœderati arma ceperint in uarijs atque compluribus locis, non habita ratione, se minimè teneri respondere de facto aliorum, nec posse grauari eo, quod quidem ex confœderatis, postea rebelles fortè euaserint, cum non fuerint tales, uel pro talibus habiti, tempore, quo frequentarint ædes suas, & quod omnia quæ hac in parte facta sint, acciderint, non solum citra suam autoritatem, sed & immenso suo dolore. Deniq; se in Hollandia absente, ubi & non alibi copias conscripserit, aduersarijs dictantibus quasi uoluerit, sibi autoritatem supra Regiam Maiestatem arrogare, oppidis ac arcibus in sua potestate habitis. Cæterum cum nihil aliud cogitarit, quàm ut secundum mandatum sibi à Gubernatrice iniunctum eam ditionẽ, simulq; Zelãdiam & Vltraiectinam prouinciam suæ gubernationi commissam pacaret, atq; in fide Regiæ suæ Maiestatis contineret, se omnibus uiribus annixum esse, quo munere iniuncto bene fideliterq; defungeretur. Cuius rei insigne testimonium sibi præsides, consiliarij, status, officiales, & magistratus ciuitatum istarum prouinciarum dare posśint, & quod nullos alios sermones cum ipsis habuerit, quàm ut eos in obedientia, fidelitate & obsequio Maiestatis suæ animarit, ut & apud alios fecerit, ubi, uel administrationem, uel autoritatem habuerit, id demonstrari euidenter inde, quod non obstãtibus tumultibus (gratia Dei) præcauerit, ne uel ciuitas, uel castellum suæ gubernationi commissa destructa, uel uastata, uel ab obedientia Regis aut gubernatricis auersa fuerint.

Ex eodem modo procedere id, quod insertum sit citatione comitis Hochstratensis, quasi fauerit ambitioso proposito ipsius, quod Hochstrati habuerint quamplurima suspecta consilia, & Teremondæ cum Egmondano, comite Hornensi, & dicto Hochstratio decreuerit, arma contra suam Maiestatem capere, & aduentum eius in Belgium peruim impedire: se enim prouocare ad testationem dominorum, qui Hochstrati fuerint, an alia res ibi acta fuerit, quàm ut se inuiserent & mutuo exhilaratent, exciperentq; quosdam extraneos amicos & cognatos, nec unquam probari posse, ibi quidquam cõclusum, quod suspectum, aut in detrimentum suæ Maiestatis agitatum uideri posśit. Nec probari posse, quod aut Teremondæ, aut alibi tractarit de prohibendo aduentu Maiestatis suæ, ui aut alia ratione. Nam etsi commonefactus fuerit, omnes suas actiones apud Regiam Maiestatem sinistrè interpretatas, ad alienandam propensionem quam erga se gesserit, & ad manus suas uenerit,

exemplar literarum scriptarum à Francisco de Alaua legato suæ Maiestatis in Gallia ad Gubernatricem, inter alia continens, tres in ijs designatos (nimirum Egmondanum, Hornensem, & se) tempore & loco congruo meritis supplicijs afficiendos. Interea uerò ficta simulata humanitate eos tractandos, ipsis in ijs literis omnium malorum, quæ in Belgio acciderint, culpa tributa. 1568

Hanc fuisse principalem causam ipsorum conuentus Teremondæ: Veruntamen se qui innocentiæ suæ confisi fuissent, nihil aliud decreuisse, quàm contenta literarum Gubernatrici communicare & explicare, quid rei sit, ea quærere.

Tractatum quidem illic fuisse, de alijs capitibus concernentibus eos, qui illic fuerint, eorumque actiones, quæ à captiuis proceribus sufficienter exposita fuisse existimet. Quæ cum huc non pertineant, nec de istis conuentibus facta sit ulla mentio in literis patentibus Citationis contra se emissæ, non se prolixiorem sermonem de istis habiturum.

Porrò ad alia capita Citationis quod attinet, ac nominatim hoc quod consuluerit Bredenrodio, ut ciuitatem Vianam contra Regiam suam Maiestatem muniret, se non inficiari, quod cum aliquot annis ante hosce motus Vianam uenit, sibique Bredenrodius significarit, ipsi ultima uoluntate parentis iniunctum atque mandatum, ut continuaret inceptam munitionem Vianæ, cum petitione, ut consilium suum ipsi de munitione impartiretur, se id fecisse: Inde posse colligi quod consilium dederit dicto Bredenrodio, ut exequeretur ultimam uoluntatem parentis defuncti, sed nullatenus quod operam consiliumque præbuerit capiti rebellium, ut ciuitatem emuniret contra suam Maiestatem: Idque tantò magis, quod in Belgio omnibus proceribus atque nobilibus, commoda loca habentibus, quolibet tempore permissum fuerit, ea munire atque uallare, ut in hunc diem multa uideantur ab antiquo, uigore huius libertatis communita, tam in limitibus, quàm in meditullio terræ. Ac hanc communitionem tantò magis Bredenrodio permissam, quod Viennam possederit cum omnimoda iurisdictione. Et quamuis ipsius maiores longo tempore de hoc litigarint atque contenderint, non tamen ea controuersia obstante, ipsum in possessione omnimodæ iurisdictionis mansisse.

Et si consilium datum penitius inspiciatur futurum, ut magna absurditas inueniatur, quod ex eo crimen læsę Maiestatis extruatur: Neque enim consilium datum super principali articulo, nimirum, an munitio esset facienda uel non? de quo Bredenrodius nihil omnino dubitarit, sed solum super qualitate & forma munitionis, quæ non potuerit consequi, nisi prius altero articulo discepta-to atque finito: de quo solus Bredenrodius respondere teneatur. Nec quicquam ad rem facere quod dicta fortificatio inchoata fuerit post motus excitatos: nam cum consilium datum fuerit antè, rationem habendam eius temporis.

Quod prætendatur tulisse, ut Bredenrodius copias Antuuerpiæ conscriberet, quolibet uidente atque sciente, contra expressas constitutiones tunc recens factas & publicatas, easque conscendere naues uersus Vianam cum omni munitione bellica: ad hoc respondere, quod etsi Antuuerpiam solum uenerit ad continendam ciuitatem in pace & obedientia suæ Maiestatis, ut appareat ex literis Gubernatricis duodecimo Iulij, anno sexagesimo sexto, sibi & magistratui Antuuerpiensi missis, & ex confessione Procuratoris generalis contenta in citatione: tamen cum cognouerit copias conscribi, et ubi id fieret, se id significasse magistratui, & Marchioni principali ciuitatis, cuius officij fuerit, hæc & similia præcauere, & præcepisse iuxta mandatum sibi à Gubernatrice missum, comprehendi id facientes. Marchionem itaque ad hoc exequendum, contulisse se ad locum designatum, atque in mensa deprehendisse, qui copias colligere dicerentur; sed retulisse, nullam conscriptionem uisam, qua opportunitate illi etiam euaserint.

1568 Verùm quidem esse quod longo tempore ante hosce motus Bredenrodio
tr ca machinaa bellicas dono dederit, quas in ciuitate suæ Maiestatia Vltraie-
cto fundi curarit, in conspectu omnium, sed longo tempore ante factam con-
scriptionem: & cum adhuc Bredenrodius inseruitio Regiæ suæ Maiestatia fue
rit cohorti equestri præfectus. Ita ut nõ minus alienum sit, sibi attribui donum
dictarum machinarum, ac si culparentur hi, qui Bredenrodium ad præfectu-
ram promouissent, maximè cum Bredenrodio à Gubernatrice fiducia data
quæ à Regia sua Maiestate comprobata esset, præteritaa actiones ipsi minimè
fraudi futuras, causa non fuerit se contra illam muniendi, nec sibi color ullus
denegandi doni antea facti, & quod sciuerit destinatum ipsi, Vltraiecto tam
propinquo Vianæ.

Cæterùm perueniendo ad caput Citationis continens, quod uetuerit qui-
busdam locia ac ciuitatibus suæ Maiestatia ne reciperent præsidia eius, & inter
alia in Zelandia, quo expressè dicatur misisse copiaa ad eam occupandam, &
Regiam Maiestatem ab accessu maritimo excludendam.

Quod igitur præsidia concernat, non uenire sibi in mentem, unquàm se e-
gisse quicquam, quod huic accusationi causam dederit, & dato esse eius indicis
sufficientia, in specie tempus & locum exprimenda esse, cum ad id omnes ac-
cusatorea de iure teneantur: nihilominus cum inter alia sit nominata Zelan-
dia, se quidē fateri, quod certior factus, agi de insula ista intercipienda, sæpius
in consilio ostenderit, quantum momenti in ea situm esset: ideoq; se eò misisse
dominum de Bouxtel ne citra suum mandatū milites illic reciperentur, ut con-
suetudine receptum in prouincijs Belgij, ne citra iussum Gubernatorum talia
fiant. Cumq; cognouerit ex præfecto Seeburgi (quæ sit arx in insula Vvalche-
rensi parte Zelandiæ suæ gubernationi subiectæ) ducentos stipendiarioa illuc
à Gubernatrice missoa, ut arcem ingrederētur nec ipsum eos intromisisse, cum
quod motum suorum militum metuerit, qui nondum acceptis stipendijs mini-
mè sustinuissent ingredi fortiores ipsis, tum ob angustiam loci ac cõmeatus, se,
qui approbarit rationea ipsius, illi iniunxisse, ne reciperet istoa stipendiarios, si-
ne ulteriori Gubernatricis mãdato, & suo. Gubernatricē uerò cõmonefactam
de istis difficultatibus ac idem ferè sentientem, curasse illi mitti stipendia præsi-
diarijs debita, & ex ducentis saltem, recipi quinquaginta, qui ingressi sint, se id
literia præfecto mandante. Vnde cū ad Gubernatricem delatū fuisset, se per do
minū Bouxtel mandasse, ne in tota insula pręsidia reciperentur etiam à Guber
natrice missa, se de hoc apud ipsam excusasse, licet isto tēpore huiusmodi man-
datum nō fuisset intempęstiuū, quod ipse Antuuerpię & Gubernatrix Bruxel
lis fuerit, hac alias minimè solita, se inscio implicare negotija suæ gubernationi
commissis, & quod certo statuerit, illam in dictam insulā minime pręsidia mis-
sura, nisi re sibi significata, cum id citra morā fieri potuerit. Eccontrario sub præ-
textu huiusmodi præsidij dictam arcem intercipi potuisse (ut plus quàm semel
acciderit) de quo ipse postea rationē reddere coactus fuisset per multo specio-
siora argumenta quàm quibus iam accusetur: ita utrationibua eiua terræ de ar
cis firmandæ extantibus, Capitaneo & alijs iniunxerit ne præsidia reciperent:
præsertim arce sufficienter ac commodè munita, & una cum augmento præ-
sidiorum penuria commeatus inualitura. Ob hanc ergo causam, & quod
aliæ ciuitates eius ditionis semper uitam & bona Regiæ suæ Maiestati im-
pensuras se obtulerint ac præsidijs minimè indigere significarint ad hoc depu-
tatia suia specialiter ad Gubernatricem missia, non apparere ullā speciem, quod
per hoc uoluerit ditionem istam occupare, ac impedire ingressum suæ Maiesta
tis per mare, cum contrarium conspectum fuerit. Nam cum quædam naues
hominibus quoa Antuuerpia propter quietem ciuitatis publico edicto exce-
dere iussisset, oneratæ, ad insulam comparuissent incolaa huiua ad repul-
sationem

fationem earum concurrisse,& impediisse ne in terram descenderent,ita ut ob 1568
penuriam commeatus,armorum,aliarumq; rerum necessariarũ Antuerpiam uersus sese recipere coacti,ac non obstante,quod famam sparsisset se Bredenrodio in auxilium profectutos postea concitii fuerint. Quæ res deinde Antuerpiæ magnos motus excitarit,in quibus Hochstratius & ipse sæpius de uita periclitati fuerint,Magistratu qui rupta pacificatione constituta causam tumultus dederit non auso in publicum prodire populoq; putante, per se factũ, quo minus ipsis oppidani auxilio succurrerent, ut quidam facere constituissent,atq; repressérit insolentiam,quam aduersarij exercere uoluissent,licet tandem Dei gratia citra sanguinis effusionem tumultum istum sedarit:Id uerò longè aliam formam habere,quam quod dictos homines ad occupandam Zelandiam miserit,actionibus suis penitus contrarium attestantibus.Nam si eius animi fuisset non oportuisse mandari Capitaneo, & incolis, ne milites reciperent,sed contrarium,ut eos reciperent atq; admitterent:Idq; tantò magis quod Antuerpianis obtulerit se cum copijs equitate egressurum,atq; eos qui confluxissent profligaturum. Id uerò minimè è re uisum fuisse,propter motum,qui post stragem editam,exortus sit. Et cum aduentus suæ Maiestatis per mare in expectatione fuerit,nullo modo niti,quod per interceptionẽ Zelandiæ, eam, ab ingressu eius arcere uoluerit,nec id se facere potuisse(ciuitatibus & munitionibus in obsequio ac fide suæ Maiestatis manentibus) per amandationem hominum Duce,ac expresso suo mandato carentium,imò quos absq; eo recipi uetuerit:Verum necesse fuisse,ut ipsemet eò se contulisset, probabili coniectura fore,ut sibi gubernatori omnes portæ aperirent,& solita obedientia exhiberetur:Idemq; in omnibus alijs ciuitatibus ac munitionibus suę gubernationi commissis,futurum,& multò quidem commodiore ratione, quàm eò milites collectos sine armis,ordine & imperio mittere,quibus eos in tali casu facilè instruere potuerit,subsidio Antuerpiensium,ut cuiuis constet, & quod postea fusi fuerint,nullo ipsorum sese defendente. Adhæc si ea sua intentio fuisset,non se in negotio tam arduo hominibus inexercitatis confisurum fuisse, multo meliorum opera ad retinendam prouinciam obuia.Quare se mirari homines scientia rerum atq; consilio præditos uti huiusmodi criminationibus, quarum non saltem probatione destituantur,sed & quæ nullam probabilem rationem habeant.

Accedendo posthæc ad caput Citationis continens, quod Antuerpiam missus ad sedandos motus atq; tumultus populares in ciuitate permiserit atq; concesserit liberum exercitium omnium sectarum sine ullo discrimine, considerandum ait,quod antequàm istas partes susciperet, apertè declararit, in pleno consilio statuum,id non esse suæ facultatis, & quod non cogitaret abrogare conciones,& se oneri iniuncto,postquàm id acceptarit,immenso labore,cura,ac sollicitudine satisfecisse: ut & magistratus & membra ciuitatis,& mercatores omnium nationum fassi fuerint,ciuitatem suis consilijs & ordinationibus in tranquillum collocatam,sibi ob id gratijs actis: Id etiam re ipsa Gubernatricem confirmasse,quæ se absente ad sedandos motus,in Hollandia, Zelandia & Vltrajecto:Comiti Hochstratensi literis quinto & octauo Octobris iniunxerit atq; mandarit expressè,ut insisteret ijsdem uijs quas ipse tenuisset. Se etenim non constituisse in dicta ciuitate ullam religionem, sed solum inhærentem declarationi suæ tolerasse eos, qui ante suum aduentum publicè concionari cœperint. Etsi enim Gubernatrix satis ostenderit se religiones non consentientes Romanæ,maximè uerò Anabaptisticam,in eodem precio habuerit, se tamen omnes,qui post suum aduentum uoluerint conciones promouere,impedijsse:Nec conciones extra ciuitatem à se in ea concluso receptas,sed uocato in curiam,ita,ut non potuerit summis precibus obtinere sibi alium substitui.

1568 qui curam publicæ tranquillitatis interea ageret. Hoc uerò interim spacio statuas & imagines destructas, fractas ac ruptas omnibus in locis, & eos qui antea extra ciuitatem docuissent, aliquot templa occupasse, & quidem aliquot autoritate magistratus. Quæ cum post transactionem factam, inter Gubernatricem, & à Rege approbatam, confœderatosq́; hi sponte reliquerint, ac conciones in locis solitis continuarint, magistratui uerò magis consultum uisum fuerit ipsis concedere & assignare loca in ciuitate. In quod partes consenserint, se non potuisse uirtute sui mandati aliud facere, quàm placitum utrorumq́; sequi. Nam cum missus fuerit ad continendam ciuitatem in fide Regis, officij sui rationes requisiuisse, ut se conformaret ijs, quibus partes ad tranquillitatē reducerentur, momento rationum accedente, quę magistratum ciuitatis mouissent ad assentiendum permissis, se itaq; de hisce certiorem reddidisse, tam Regiam Maiestatem, quàm Gubernatricem, nec potuisse fieri, ut pax conseruaretur, nisi cum concionibus, exercitium religionis toleraretur, singulis ferè horis ob multitudinem conciones frequentantium, eueniente necessitate exercitij religionis, quod etiam ubiq; toleratū fuerit, & habitum publicè in Ecclesijs. Hanc etiam causam fuisse, quod magistratus non saltem bonum & necessarium duxerit tolerare exercitium, sed & erectionem templorum, idq́; præcipuè hyeme appropinquante ob quam alia inuasio & occupatio templorum metuenda fuerit. Hinc itaq; magistratum non solum permisisse, sed & promouisse ædificia templorum. Cumq́; cognouerit alios eiusdem uoluntatis atq; sententiæ, non sibi consultum uisum, impedire id, quod ad demandati muneris partes implendas expedire uiderit.

Id etiam conferre ad purgationem de erectis consistorijs, ea etenim fuisse ante suum aduentum, imò antequàm conciones publicè haberentur: Nam religioni reformatæ adhærentibus quolibet tempore ac loco consistoria sua fuisse, nec eorum intuitu ullos motus excitatos se uidisse. Veruntamen non inficiari se, quod ad impediendum uulgi congregationem ex qualibet leui causa, consultum existimarit, quosdam deputari ad huiusmodi res nomine aliorum tractandas, non animaduersa alia uia mandati iniuncti complendi, & conseruandæ tranquillitatis, omnisq́; confusionis euitandæ.

Non se posse animo complecti incommoda & pericula quę prętendantur, subsecuta erectionem dictorum templorum, maximè cum templum non possit dare occasionem maioris mali, quàm alia quæuis domus aut locus, & quod magis sibi qui missus fuerit ad conseruandam pacem & tranquillitatem Antuuerpiæ, & præcauenda mala conuenerit, eorum occasiones tollere, quàm prohibitione erectionis unius templi, aut alterius rei minoris momenti, irritare partes, & hoc ipso occasionem dare alijs motibus, quibus impossibile fuerit obuiare citra uniuersalem rerum confusionem.

Id etiam facere ad refutationem ultimi capitis Citationis continentis, quod tulerit collectiones & contributiones pecuniarum, quæ postea fuerint impensæ atq; collatæ in sustentationem militum. Nec etenim se de alijs rationem reddere posse, quàm factis ante suum aduentum ad commodum pauperum, sustentationem ministrorum, & deniq; exædificationem templorum: Nec probari posse ullam collectam factam ad sui utilitatem, aut impensam, ad conscriptionem, uel retentionem militum pro se, quorum causa eas sufferre debuerit. Cumq́; aspernatus fuerit quinquaginta millia florenorum, quos in numerato sibi obtulerint status Hollandiæ, ob officia tempore motuum præstita Regi ac dictis terris motibus omnibus pacatis, se abundè ostendisse, non se esse eius animi, ut sufferret huiusmodi collectas, impositiones, ac contributiones, quas tamen aliàs præcauere impossibile sit in ciuitatibus Emporicis, ut sit Antuuerpia in quibus ferè nihil aliud fiat, quàm collectarum impositio ad uarios multiplicesq;

tiplicesq;

tiplices\& fines. Ad extremum cum opinione sua euidenter ostenderit, suam 1568
ambitionem à qua omnes actiones suæ remotissimæ sint, non fuisse causam ul-
lius mutationis, uel innouationis, quæ populum concitare potuerit.

Et hæc quidem Auraici defensio erat, cuius longas periodos non sine causa retinere uoluimus, ut Authentici sermonis sensum fideliter exprimeremus, ut & ante sæpius fecimus. Cum ea uerò in omnibus congrueba Hochstratensis, nisi quod ea magis ad defensionem ipsus actionum & refutationem criminationum priuatarum scripta esset, quàm ad expositionem causarum mutationis status Belgici, cum ipse Pontificiæ religioni adhærens, de introducenda alia, nunquam quicquàm cogitasset, sed in ea quam à parentibus accepisset, & toto uitæ tempore approbasset, ad extremum usque spiritum perseuerarit, ingenuè cōfitens, octauo capite suę defensionis, multa ab Auraico Antuuerpię in negotio religionis permissa, quæ prius approbare noluerit quàm ratihabitione & declaratione Gubernatricis subsequente, ut & subsecuta fuerit. Eius itaq; innocentiæ cognoscendæ cupidus, apologiam ab ipso editam legere potuerit, nos Auraici sententia utcunq; compendiosè exposita, ad miserrimum Belgici statum commonstrandum, ad alia transibimus.

Maij secundo die, Eberhardus Dux Vuirtenbergensis, Christophori Ducis Vuirtenbergici & Annæ Mariæ Marchionissæ Brandenburgicę filius primogenitus, cum à tempore nuptiarum Bauaricarum, quibus eum interfuisse diximus, morbo Göppingæ conflictatus fuisset, huius uitæ fabula peracta, ad aliam transit, & Göppinga trāslatus, octauo eiusdem honorificè magno cum Illustrissimi parentis luctu atq; dolore Tubingæ sepelitur, anno ætatis suæ 23.

Hoc mense hi qui ex Belgio pulsi, bonisquè priuati fuissent, tandem animo sumpto, uarijs in locis confluunt, ut amissa bona recuperent. Eo uerò Albanus cognito, suo officio minimè deest, sed copijs suis eductis, hos qui prope Mosam initio congregati, deinde ad Dalen oppidulum Iuliacensis iurisdictionis, in finibus Geldriæ situm consederant, aduentum Hochstratij alio-rumq; expectantes dissipat, eorumq; circiter mille & sexcentos concidit, minime attento, id sibi in terris Imperij propria autoritate non licere: In quo accidit, quod nec Iuliacensis Vicario Hinsbergensi eiusq; præfecto, ad castra exulum Dalam missis, ut eos de discessu monerent, parcitum fuerit, sed hi una cum suis non secus ac hostes interfecti fuerint: Non tamen reliqui hac clade deterriti, propositum abijciendum esse statuerunt. Nam Ludouicus Nassauiensis, Guilhelmi Auraici frater, collectis decem signis peditum, in uicinia Frisiæ locis, eam inuadens Vueldam & Thamum oppidulum maritimum celebre, interitu Henrici Brunsuicensis & expugnatione Georgij Saxoniæ Ducum, occupat. Interea uerò Comite Arembergico quem superius Galliæ Regi auxilio missum fuisse diximus, pace in Gallijs facta cum suis copijs reuerso, Albanus eum illuc ut Frisiæ Gubernatorem, copijs pedestribus atq; equestribus, Germanicis & Hispanicis numero septem millium dimittit, ut pulso Nassauiensi, loca occupata recuperet, Frisiamq; à populationibus liberet. Arembergicus ergo eò summa celeritate profectus atque Eritemuormin perueniens, cum sclopetarijs Nassauiensis uelitationes incipit, horum mille, Albanicos excipientibus. Cæterum sub noctis aduentum, quolibet in castra se recipiente, Nassauiensis cum suis noctu castris motis, Thamum uersus progreditur. Luce ergo exorta, Albanici hostes fugere existimantes, eos magno ardore insequuntur: illi itaque Albanicis, absque equitatu, qui duce Curtio Martinengo subsequebatur, conspectis, trecentis equitibus bombardarijs tanto furore in eos inuehuntur, ut Albanicorum, Hispanicæ cohortes decem, Germanorum quinque ordinibus dissipatis, fusæ fugatæque sint, multis Præfectis ac Capitaneis illustribus cum Comite Arembergico Ioanne de Ligne cæsis, ac

1568 nonnullis Albanicorum in monasterium uicinum quod Heiliger Lehe uocatur,confugientibus,seque in eo saluos fore arbitrantibus, id expugnatur,in qua expugnatione Adolphus Nassauiensis Ludouici frater, cum huius Cancellario occubuit. Accidit hæc pugna die uicesimo tertio mensis Maij,inter dictum monasterium & pagum Vvinsclotte. Arembergicus postea monasterio illatus,ibi in templo humatus est: Adolphus uerò in loco qui Vvelda dicitur. In hac pugna Albano erepta fuêre,sex tormenta bellica,cum rebus ad ea pertinentibus,pecunia, qua milites soluendi erant: Arembergico omnis argentea suppellex ac sarcinæ,quæ Nassauiensi prædæ cessêre.

Circiter hoc idem tempus copijs,quas Ioannes Casimirus Palatinus, & Ioannes Guilhelmus Saxoniæ Dux,in Gallias duxissent,patriam repetentibus, Fecialis,& legati Cæsaris & Electorum,antequam fines Germaniæ contingerent,obuiam mittuntur,ijs sub grauissimis pœnis mandantes,ut signis conuulsis,turmatim,non gregatim patriam ingrediantur. Paruêre plærique paucis exceptis,de quibus paulò pôst referetur.

Vicesimo nono Maij,Albanus ne in tantis motibus animum remittere uideretur,sed magnanimitatem dignam sua persona ostenderet,edictum contra exules,qui patria excessissent,Bruxellis publicat,mandâs,ut omnes Regi subditi,qui ratione religionis patriam reliquissent, reuertantur, magistratui loci unde secessissent,se sistant,sub pœna proscriptionis & publicationis omnium bonorũ,quosdam etiam eorum proprijs nominibus citans. Cæterũ qui comparerent pauci uisi sunt,plærisque meliora aliquando tempora futura sperantes.

Sub finem mensis huius, legati Cæsarei quos ad inducias petendas Constantinopolim superiori anno ablegatos diximus, unà cum Ebraimo legato Turcico certis de causis ad Imperatorem misso, Viennam redeunt: pacem ferentes his conditionibus, ut literis proditæ fuêre: ut quisque bello proximo occupata atque subacta retineat. Inducijs Veneti & Ioannes Transyluanus includantur. Ruricolæ in confinibus habitantes,qui hactenus utrique tam Imperatori,quàm Turci censum dependerint,eum soli Selimo præstare atque seruire teneantur. De causis,quæ Selimum ad pacificationem hanc cum Maximiliano incundam mouerint,uariæ coniecturæ fuêre: hæc tamen potissima fuisse creditur,ut se in Imperio tanto melius stabiliret, attento, quod multas naues copijs atque munitionibus bellicis onustas ad Arabiam quæ rebellasset,in ditionem ac obedientiam suam redigendam Constantinopoli dimisisset.

Primo Iunij Bruxellis octodecim nobiles captiui,qui confœderationi subscripserant,capitali supplicio afficiuntur,inter quos præcipui erant Gisbertus & Dietrichus Barones Battenburgici Imperio subiecti, Petrus Andalotus, & Maximilianus de Voiz.

Secundo uerò Iunij die,eodem in loco Villerius & Dhuius,capti cum concionatore ad oppidulum Dale capite plectuntur.

Tertio Iunij die Amurathes Princeps Gaueriorum,Comes Egmondanus, & Frenesiorum Armentiriorumque Dynasta,cum Comite Hornensi, Philippo à Montmorancio appellato Gandauo,quo eos supra in custodiam ablegatos, meminimus,curribus impositi, ac decem Hispanorum peditum signia & alis equitum comitati,Bruxellas uehuntur: Quò cum quarto die deducti fuissent, atque antea in uinculis accusationi intentatæ, omnibus exceptionibus reiectis respondissent, sententia capitalis in eos fertur, cuius in Egmondanum tenoe hicerat. Viso,per Excellentiam Ducis Albani Marchionis Caurensis & Vicarij,Gubernatoris & Capitanei generalis nomine Regis Domini nostri harũ ipsius inferiorum ditionũ processu criminali,in quo Procurator generalis Maiestatis ipsius Actor est,aduersus Comitem Egmondanum,Principem Gaueræ,captiuum,reum,& uisis præterea informationibus,factis per generalẽ Pro

curatorem

curatorem memoratum, titulisq́, & scripturis & instrumentis per ipsum exhi- 1568
bitis, & confessionibus dicti captiui, cum defensionibus & scripturis ex eius parte productis ad ipsius exonerationem. Visa etiam culpa, quæ resultat ex dicto processu, quod commiserit dictus Comes Crimen læsæ Maiestatis & rebellionis, quippe qui fauerit, & unus fuerit ex complicibus fœderis, & abominabilis coniurationis Auraici Principis, & quorundam aliorum Procerum prędictarum ditionum: Quiq́ prætereain tutelam & Saluagardiam susceperit Nobiles Compromissi cōfœderatos. Animaduersis itidem mala factia per ipsum patratis in præfecturis Flandriæ circa conseruationem sanctæ nostræ fidei Catholicæ, & eius defensionem, & erga sectarios seditiosoa & rebelles sanctę Ecclesiæ Catholicæ Romanæ & ipsius Regiæ Maiestatis. Consyderatis porrò omnibus quæ ex processu supradicto resultāt: Excellentia ipsius post maturam deliberationem quorumcunq́ cum consiliarijs apud ipsum residentibus, pronunciat probatas, per dictum Procuratorem generalem conclusiones ipsius. Et proinde declarat dictum Comitem admisisse Crimen læsæ Mai. & rebellionis, & tanq́ huius criminis Reum, pœnas gladio luere debere, & caput ipsius collocandum publico loco, & edito, ut ab omnibus conspiciatur, utq́ ibi relinquatur donec aliud constitutum fuerit, per exemplum ipsius. Idq́ ut sit exemplare inditium delictorum & criminum perpetratorum per dictum Comitem Egmondanū, præcipiendo, ne quisquàm audeat caput ipsiua ex eo loco amouere sub pœna mortis. Et iudicat confiscata Regiæ Cameræ omnia & qualiacunq́ mobilia & immobilia, iura, actiones, feuda, & fundos cuiuscunq́ modi, & qualitatis quocunq́ loco sita & inuenta fuerint. Id quod pronunciatum fuit Bruxellæ quarto Iunij anno 1568. sic subsignatum, Dux Albæ Registratum posteaquàm lectum fuit in Concilio ipso præsente per Secretarium Pratz.

Sententię in Hornensem tenor fere idem erat paucis admodum demptis, nimirum clausula de receptatione cōfœderatorum nobilium, & commissis contra fidem antiquā & Catholicam. Lata uerò sententia deinde in scriptis, utriq́ in ædibus à Panibus denominatis, atq́ è regione curiæ sius separatim prælecta fuit, cū hac significatione, ut uita ante acta excussa de pertinentibus ad animæ salutem cogitarent. Egmondanus hac sententia audita, nihil aliud respondisse fertur, nisi seuerissimā esse, nec credere adeò Regiam Mai. à se offensam, ut tantam pœnam commeruerit: Nam quicquid egerit id in eius seruitio factum. Si quid uerò deliquerit id sibi morte abundè expiandum, non tantā ignominiam sibi posterisq́ suis illatū iri, sperasse, maxime quod uxori suæ, filijsq́ pœnę sint sustinendæ, confiscationis ultæ atq́ bonorum paternorum. Adhæc præclaris suis seruitijs Regiæ Mai. præstitis, aliquam gratiam, ac pœnæ mitigationē debitam esse: Verùm cum ita Deo & Regi placeat, se mortem patienter ferre. Vespere deinde præcedente supplicij diem, Episcopo Hiperio eos circiter horam undecimam noctis iussu Albani accedente, quò pro ritu Ecclesiæ eos, confessione admissorum cognita, absolueret ac consolaretur. Egmondanus oratione ad Deum facta, literas ad Regem his uerbis scribit: Se sententiam, quæ Regiæ Mai. placuerit, cognouisse, & cum nunq́ eius propositi, mentis, uel uoluntatis fuerit, quicq́ contra personam uel seruitium suæ Maiestatis, uel antiquam atq́ Catholicam religionem tractare aut facere, se omnia patienter ferre, quæ Deo placeant, ac si durantibus Belgicis motibus consuluerit, aut permiserit fieri quicq́, quod alijs, minimè sibi conuenisse uideaē, id semper fideli ac bona mente, in Dei honorem, suæ Maiestatis seruitium, ac pro necessitate temporis, factum. Quapropter se rogare Regiam Maiestatem, ut uenia erratis data, misericordia erga uxorem miseram, liberos atq́ ministros suos utatur, consyderatis pręteritis officijs, ea spe fretum Dei misericordia soli sese committere, cum subscriptione: Ad moriendum paratus Amurathes Egmondanus, die 5. Iunij.

1568 Has obsignatas, Hiperio confessori tradit, qui sanctè se eas ad Regem curaturum promittit: ac deinde, ut literis publicis proditum est, magna animi deuotione ac contritione delicta in sinum confessoris effundit. Hornensi initio confessionem renuente, quod iam se Deo confessum diceret, tandem tamen cum nullam uitæ spem reliquam esse uideret, id quod exigeretur, faciente.

Deinde die sequẽti, qui profestus erat Pentecostes luce orta, Egmondanus qui conscientiam confessione delictorum exonerasset, suppliciũ maturari petit, dicens, morti cõdemnatum, tamdiu in cruciatu & anxietate detinendũ non esse, ac hoc, mortem se minimè exhorrescere animo excelso cõmonstrans. Circiter horam ergo decimam ad locum supplicij præparatum educitur. Egmondano præcedente eumq; Episcopo Hiperio cum aliquot sacrificis, & signis Hispanorũ nouemdecim comitantibus. His ita stipatus ipse chlamyde damascena rubea, et epitogio nigro aureis limbis circumdato, uestitus: pileum ex serico nigro plumis albis ac nigris ornatũ gestans, manuq; linteolum tenẽs, manibus liberis, nulloq; lictore subsequente (quod sub fide equestri, nullum se impedimentũ, ei sententiam executuro, illaturũ promisisset) theatrũ nocte præcedente, cum duabus hastis erectis constructũ, atq; nigro panno undiq; coopertum, lictore inferius se occultante conscendit, in puluinar procumbit, ac paucissima uerba cũ Episcopo confessore cõmutat. Hoc uerò abeunte lictor prosiliens, ac ueniã deprecans Comitis oculis uelamine nocturno obductis gladio districto eius iugulũ ferit, truncoq; in conditorium in theatro collocatũ reposito, locum sanguine aspersum panno nigro cooperit. Hoc facto, mox Hornensis adducitur, uestitus amiculo sericio nigro, capite uerò pileum è panno factũ gestans, in tabulato cõscenso, ac à populo salutato, uenia petita, amiculũ abijciens, atq; pileum oculis obducẽs, & ipse animo intrepido ictum carnificis excipit. Ita ergo utroq; obtruncato, Hispanicæ cohortes exceptis duabus domum discedũt, ac capita utriusq; hastis imposita ad tertiã pomeridianam horã sub custodia duarũ Hispanicarum cohortiũ relinquuntur: deinde uerò capita hastis refixa, & ad truncos collocata, ad templa deducũtur: Egmondani ad diuæ Claræ, Hornensis in Ecclesiæ maioris, populo ad illius tumbam nõ secus atq; sancti cuiusdam concurrente, eamq; exosculante. Deinde uerò cadauera utriusq; sepulchris maiorum illata, ac bona confiscata fuêre. Atq; hunc finem Egmondanus & Hornensis habuêre: quorum illius uirtuti, uictoriæ illustrissimæ ad fanũ S. Quintini à Philippo Hispaniarũ Rege cõtra Gallos obtentæ, ac mox profligati atq; deleti Gallici exercitus, ad Grauelingã laus omnis cõmuni uulgi testimonia tributa fuit. Hornensis uerò in utraq; pugna quod strenuum Tribunum deceret obeuntis, operam Regi cõprobatam, ac salutarẽ fuisse constat. Aliquoties Auraicus Hispanorũ aduentu cognito, Egmondanum regijs seruitijs nimiũ ferè fidentem, cõmonefecisse fertur, ne nimiũ ijs tribueret, eũ extruere pontẽ, quem Hispani transeuntes, sint interrupturi. Nunquã uerò quantumuis sæpius admonitus adduci potuit, ut recta monẽtibus obsequeretur: sed semper diceret se ab omni crimine adeò purũ, ut si ducentis miliaribus abesset, ad defendendũ se, & contradicendũ aduersarijs, uenturus esset, quasi plus in innocentia accusati, quàm integritate iudicis subinde repositũ sit. Ne uerò lector causarũ, ob quas uterq; ad mortẽ condemnatus fuerit, ignarus relinquatur, licet eæ obiter in sententia cõtineantur, luculentius tamẽ eas exponere libet. Initiò ergo cõtra Egmondanũ & Hornensem captos, accusatione criminali Gandaui 11. Ianuarij à Procuratore generali Ioanne de Boës instituta, cũ hi, tanq; Aurei uelleris equites, in quos nulli, nisi ordinis duci atq; autori pro more & secundũ leges, etiam in crimine læsæ Mat. iurisdictio cõpeteret, fori præscriptionẽ cõtra Albanũ, ut incõpetentem & illegitimũ iudicem obiecissent, eiq; cõstanter inhærerent. Isq; ea exclusa, ad ulteriora processisset, ipsorũq; defensione cũ probationibus & documen

tia

tis adeam pertinentibus, deinde examinata: tandẽ sententiæ cõtra Egmondanum ferendæ, subsequentia pro sufficienti causa habita fuêre. Et primo deprehensum, dictũ Comitem Egmondanum cum Principe Orangiæ, Comite Hornensi, & alijs suis cõplicibus, iam pridẽ liberam harũ prouinciarum administrationẽ & supremã potestatem affectasse, & Regis summã autoritatem & Mai. imminuere & auferre conatos fuisse, ut ditiones has ab obedientia, quã illi debent, paulatim eximerent, ac ipsi tanquam absoluti Domini remanerent: idque multorũ non solũ testimonijs qui ex eorũ quotidianis actibus & sermonibus hoc retulerint, sed multò etiã magis ex rebus postea sequutis cõprobatum. Porrò, ut idem Comes, cũ suis cõplicibus, facilius quo tenderent, peruenirent, statuũ generalium conuocationẽ maximè sollicitasse, ut de tota administratione harũ prouinciarum, cũ ijs consultaretur, & ob id quoque passim & publicè professos esse, Regẽ nihil decernere aut instituere in suis ditionibus posse, quod à statib. generalibus approbatũ non esset: Idemque cũ Ducissa Parmæ, quæ tunc Gubernatrix harũ prouinciarũ esset, tóties tam uehemẽter egisse, ut & terrore, & perturbatione rerũ illam eò adigere uellent. Ipsorũ uerò statuũ ministros sibi omni genere officiorũ addictos habuisse, ut per eosdẽ, quicquid in cõgregationibus statuum fieri placuisset, perficerent. Atque ita se tanquam Reges facerent, & Regem ipsum omni autoritate & potestate spoliatũ, solo titulo ornatum relinquerent. 1568

Ad idem pertinere eundẽ Comitem, & cõplices suos, introducere conatos fuisse mutationẽ & abolitionem cõsiliorum, quę ad latus Principis semper adesse solent, ut de iustitiæ & harũ prouinciarum recta administratione ac de Principis ærario prouideant, atque aliud consilium pro arbitrio constituere molitos fuisse, ubi ipsi & sui cõplices omnia pro libidine sua regerent. Atque cum statuũ generaliũ conuocationem & consiliorũ mutationem, neque satis ex uoto, neque tam citò quam uellent succedere uidissent, rem quoque alia aggressos esse uia, & religionẽ in occasionẽ perficiendi quod machinati essent, traxisse, licentiamque quandã uiuendi, populo rerũ nouarum cupido, ostendere cœpisse: & autores fuisse ut in uulgus spargeretur, Regẽ inquisitionem nouã introducere uelle: nihilque contra priuilegia Maiorum admittẽdum, atque ipsum adeò Comitem passim dixisse, se potius diuenditis bonis suis, cũ uxore & liberis aliò migraturum. Cum ipse tamen confessus sit, pro certo semper habuisse, & ab ipso Rege intellexisse, nunquam Mai. suæ in mentẽ uenisse, ut aliquid tale introduceret. Et his modis populos plærosque à Principe suo abalienari & deficere paulatim ab obedientia quã illi debeãt cœpisse, ac in rebellionẽ postremã euasisse. Ex eadẽ causa secutã postea esse nobiliũ quorundam detestabilẽ illam coniurationem, quam illi cõpromissum uocent, cõtra iustitię administrationẽ & aduersus securitatẽ trãquillitatemque Reip. qua nimirũ inter se obligãtes uitã & bona, iurarint sibi mutuò assistere cõtra Regẽ, quẽ ueluti barbarũ tyrannũ & oppressorẽ libertatis accusassent, & cõtra omnes qui causa rebellionis ijs resistere uellẽt. Et de hac quidẽ cõiuratione inueniri primũ Hochstratę, quò tũc Comes cũ suis cõplicibus cõuenisset, ipso præsente actũ, ac de militie pro cõiuratis cõscribendo, conclusum, & pręfectos militũ designatos fuisse. De libello etiã, qui omnis seditionis et rebellionis insecutę tanquã prima causa fuerit, offerendo, Ducissę Parmę ibidẽ tractatum fuisse, cõstitutumque, ut denunciaretur cõiuratis nobilibus, ut ad certũ diẽ, quo dictus libellus offerretur, Bruxellã cõuenirent. Pőstea cũ illi ipsi cõiurati, dicto die Bruxellã cõuenissẽt, Comitẽ & cõplices suos portas ciuitatis illis noluisse claudi, sed liberũ cuilibet accessum dari. Cũ tamẽ plures quam 400 equites, & plærique armati cũ magna trepidatione ciuitatis tumultuosè eam ingrederentur. Eundẽ libellũ à Comite & cõplicibus suis pridie quam offerretur, domi suæ correctũ fuisse, & ijsdẽ postea pręsentibus, spectãtibus, nec cõtradicentib. Ducissę Parmæ oblatũ esse à cõiuratis nobilibus, paulò plus minus ducẽtis, & ex eo facto, omnes

1568 malos qui in tota hac puincia sparsi fuissent, tanq̃ fenestra ad omnẽ licentiam
aperta, res nouas tentare cœpisse, & per conspirationes, tumultus, seditionẽ &
rebellionem machinatos. Accurrisse etiam ex eo tempore omnes exules, pro-
fugos & seditiosos, ex circumuicinis prouincijs, ac mala iam præparata magis
magisq; promouisse. Eodem etiam die ad domum Comitis de Culenberg, ubi
cum ijdem coniurati pransi fuissent, ipsum Comitem cum Principe Orangię &
Comite Hornensi se contulisse, ac eorum dictis factisq; contra Regem appiau
sisse. Præterea eundem Comitem dictos coniuratos sua domo & mensa sæpe
accepisse, & alioqui familiares habuisse. Ex quibus actibus fauêre cõiurationi
eorum omnibus apertè uisum esse, ac proinde quotidiè impudentiam & auda-
ciam eorum magis magisq; creuisse. Sed & clarissimè postea ipsum Comitem
ostendisse coniurationem illam se planè approbare, eius deniq; se esse sociũ &
protectorem. Nam cum ad S. Trudonem dicti coniurati conuenissent, & inter
cætera quæ ibi acta fuissent, uniuersos seditiosos & rebelles, qui in prouincijs
fuissent, in protectionem coniuratorum receptos, & de pecunia cõficienda, &
militibus colligendis, contra Regem & Reip. tranquillitatem cõclusum fuisse,
ac deputatos ex eorũ numero duodecim uiros, qui in quaq; prouincia sibi assi
gnata homines ad defectionem ab obedientia Principis sui incitarẽt: & ubiq;
alia præterea multa malorũ, quæ postea insecuta fundamenta iacta fuisse. Eun-
dem Comitem per Backarzelium cõsiliarium suum coniuratis ibidem cõgre-
gatis, suo nomine dici iussisse, se eos in tutelam contrà omnes recipere, & cum
ipsis in equo (ut uerba eius sonent) moriturum. Idem postea coniuratorum le-
gatis à S. Trudone Dufflam missis, promissum cõfirmasse. Cum Valentiarum
ciuitas hostiliter rebellasset, eundem Comitem equitum suorum turmam, quę
stipendijs Regijs aleretur, & ad tuendam prouinciam illi cõmissa fuisset, ad ex-
pugnandam dictam ciuitatem mittere noluisse. Iuramentum quoq; fidelitatis,
quod mandatũ Regis Gubernatrix ab eo exegerit, præstare recusasse. Ducissæ
Parmensi ipsum Comitẽ & cõplices suos sæpe timorem magnum incutere co
natos esse, ut uel abiret ex his prouincijs, uel cõsentiret ijs, quę ipsi uellẽt: adeò,
ut ipsa multis alijs præsentibus, se proditam esse ab ijsdem aliquando exclama
uerit: Idemq; literis ad Regem missis, testificata fuerit, in quibus hoc etiam ad-
diderit, quod quicquid pro seruitio Regis & tranquillitate harum prouincia-
rum aggrederetur, ab illis ipsi interuersum, atq; adeò ad contrariam partẽ ap-
plicatum fuisse. Eundem Comitem in Flandriã, cuius fuerit Gubernator, à Du
cissa missum, ut seditiosorũ insolentiam cõprimeret, & imminentia mala auer-
teret; sed multò deteriora per eius præsentiam, conniuentiam & indulgentiam
erga malos secuta fuisse. Nam seditiosos multò audaciores factos, sacrilegia, di
reptiones, euersiones, incendia & uastationes exercuisse: & è contra eos qui fi-
deles Regi fuissent, multo timidiores redditos, utpote quos deterruerit, ne ar-
ma contra seditiosos caperent, & cum auxiliũ & præsentiam suam requirerẽt,
deseruerit. Et cum per idem tempus Ducissa Magistratibus ciuitatum omniũ,
& oppidorum scribi iussisset, ut seditiosorum insolentiã coërcerent, ipsum Co-
mitem contra scripsisse, quod mandatis suis potius, q̃ mulieris Gubernatricis
obtemperare deberent. Postremò probatum, etiã ipsius Comitis confessione,
eum cum Principe Orangiæ, Comitibus de Horn, & Hochstrat Teutemondę
conuenisse, & consilium cœpisse, de milite cõscribendo, & armis capiendis ad
profligandum & prohibendum ingredi præfectum exercitus à Rege missum,
& ipsum Comitem quidem dixisse, se omniũ primum cõtra eos equũ conscen-
surum, & ex eo tempore octo millia equitum, usq; in Februariũ mensem huius
anni in stipendio per eos retenta fuisse. Et hæc quidem quæ diximus, causę sen
tentiæ capitalis contra Egmondanum fuêre. In Hornensem uerò subsequẽtia:
Eum fidei Regi datæ oblitum, cum Auraico, Egmondano, Hochstratensi, Lu
douico

douico Nassauiensi, Marchione Bergensi, Montignio, Bredenrodio, alijsque 1568
quibusdam, ante hac desyderasse mutationem Principis, proprio ac naturali Rege deiecto, quò, ut uerisimile sit, et eorum actiones demonstrent, ipsi terras, Belgicas occupatas inter se diuiderent: utque fundamenta detestabilis propositi iacerent eum, & complices, qui Belgici primores fuerint, conatos euertere & exterminare omnes qui ipsorum conspirationi impedimento esse potuerint, ita, ut inter alia rebus ipsorū expedire uisum sit, expellere, Belgico pręcipuum consilij statuum Regij, qui optimè ipsorum actiones & machinationea intellexerit. Eum, aliosque complices, conspirasse in ipsius uitam ac bona: utque ad exterminationem eiusdem peruenirent, Hornensem, Auraicum, & Egmondanum scripsisse, ad Regem literas undecimo Martij anno sexagesimo secundo, dicentes, expedire Regiæ Maiestati, commodo publico Belgij, ne ipse ad negocia huius in posterum admitteretur, & nisi sua Maiestas, remedium huic rei adhiberet, ruinam terris Belgicis imminêre. Ad quas literas sua Maiestas sexto Iunij anno sexagesimo tertio responderit: Quandoquidem particulatim nihil expresserint, in quo malè persona delata se gesserit, placere Regiæ suæ Maiestati, ut unus ex ipsis tribus ad eam ueniat, ac crimina ipsiua particulatim commemoret: Neque etenim Regię suę Maiestatis morem esse, ut sine causa quenquam suorum grauet. Cæterùm eos hæc noluisse animaduertere, sed proposito instituisse, quo eam singularem atque illustrem personam gradu atque honore deijcerent, in quo semper officia Regi grata præstiterit. Cumque Hornensis cum Auraico & Egmondano intellexerit, uoluntatem Regiam, ipsorū intentioni non esse conformem, eos compluribus modis maleuolentiam erga dictam personam ostendisse, quo ex Belgico discederet. Eos in opprobrium atque contemptum eius curasse fieri, insigne rubeum cum capite morionis, quod per Gubernatricem Parmensem ipsis interdictum fuerit. Mox uerò ipsos eorumque complices, quò magis odium erga dictam personā proderent, curasse publicè Bruxellis alijsque in locis circumgestari insigne, plurimis sagittis ornatū. Porrò Regiam Maiestatem de maximis difficultatibus dictæ personæ illatis, atque periculis illi structis & conspirationibus contra eam factis, commonefactam, ne fructu operæ fidelis eius priuaretur, iussisse eam in Burgundiam secedere, ita, ut rectè cōsyderatis inuentionibus & actionibus Hornensis, aliorumque eius complicum, eæ magis contra Regem quàm dictam personam directæ fuerint. Idque inde ostendi, quòd cum res Belgij quo ad per dictam personam administrarentur, tranquillæ fuerint, statim ea in Burgundiam secedente, per Hornensem eiusque complices, illiua præsentia liberatos, non in meliorem statum reductæ, id quod tam prolixè promiserint, sed penitus confusæ ac perturbatæ fuerint. Statim etenim post discessum eius personæ proposuisse eos consilio statuum, res ærarium concernentes in hoc tractandas, quo ipsi pecunia in manu ac potestate habentes, ijs ad uoluntatem suam uterentur, Rege interim indigente. Eoa proposuisse, ut consilium priuatum, quod ultra hominum memoriam sustentatum fuisset abrogaretur, & negocia quæ ibi tractata fuissent, ad consilium statuum reuocarentur: Id consilium ut ueritas euidenter commonstret, eò tetendisse, ut Hornensis, aliorumque complicum eius, potestas adaugeretur, ac Regia imminuta, ipsi faciliua ad finem conspirationis peruenire possent. Hornensem, Auraicum, Egmondanum, Hochstratensem, Marchionem Bergensem, aliosque quosdam, mense Martio anno sexagesimo quinto Bredæ conuenisse, inde Hochstratam abijsse, ubi etiam multi proceres fuerint. In quolibet eorum conuentu, maximè Hochstratæ, quamplurima contra Regem, eius ordinationes & constitutiones, edicta & placita Caroli quinti Imperatoris agitata, ita ut Bredenrodius alijque nobiles confœderati, Hochstratam uenientes, ibi libellum supplicem commonstrarint, quem postea quinto Aprilis

1568 to Aprilis exhibuerint, ex quo mala, ruina, atque destructio omnibus nota profluxerit, confœderatis tunc & postea declarantibus, quod Hornensis, Auraici, & Egmondani fauore niterentur. Bredenrodium aliosque nobiles, qui fœdus fecerint, quod compromissum dixerint, multa tunc effutijsse, per quæ gloris Dei uiolata, & Regiæ Maiestatis honos grauiter læsus fuerit, nimirum quod Inquisitio tyrannidem in se contineat, omnem barbariem superantem, quæ sint uerba iniuriosa, infamia, & nõ tantum scriptu, sed & cogitatu indignia, in subdito contra suum superiorem, maximè cum Inquisitio instituta à Rege in Belgio non sit noua (ut ad circumueniendum populum confœderati postea sparserint) sed ea, quæ retroactis temporibus obseruata in Belgio fuerit, ut eius publicatio ostendat iuri communi conformis. Adhæc dicto compromisso inesse conspirationem & rebellionem cõtra Regiam suam Maiestatem, cum ad eius obseruationem confœderati, duces, capitaneos & milites ad numerum uiginti aut triginta millium aluerint, ut Hornensis & alij dicto mense Martio significarint, se de eo certiores esse redditos.

Quinto Aprilis, anno millesimo quingentesimo sexagesimo sexto, Ludouicum Comitem Nassauiensem, Culemburgensem, Bergensem, & Bredenrodium aliosque nobiles, confœderatos compromisso subsignato, Bruxellas introijsse, & libellum supplicem obtulisse Gubernatrici: Quo die libellus exhibitus fuerit & aliquot ante diebus, Hornensem multa Ducissæ, ad hanc terrendam, inculcasse, quò facilius eam ad assentiendum petitioni confœderatorum adduceret: Tanta etiam arte Auraicum & Egmondanum collusisse, ut cum Bruxellis in pleno consilio statuum, de libello supplice & compromisso, sermones in præsentia Gubernatricis fierent, Hornensis & Auraicus dixerint, se ad sua redituros, & quidem Auraicus, se Belgio excessurum: Egmondanus uerò remediorum ad turbas sedandas pertinentium inuestigationem declinans, se ualetudinis recuperandæ gratia in thermas Aquisgranenses concessurum, licet nullum signum morbi in facie ipsius apparuerit. Omnia uerò hæc facta, ut Gubernatricem consilio, auxilio & ope destituerent, quibus eam contra temeritatem & conspirationem confœderatorum subleuare officij ratione obstricti fuerint. Tantum abfuisse ut uel uerbo uel facto ante exhibitum supplicem libellum, Hornensis confœderatis restiterit, ut nec die quinto Aprilis consuluerit copias conscribi in curia Ducissæ & ciuitate Bruxellensi magna ac populosa, Regiæque Maiestati deuota, uel in alijs locis, quod facilè fieri potuisset, nec eius sententiæ fuisse, ut portæ ciuitatis confœderatis occluderentur: Sed nec famæ suæ, nec reuerentiæ Regiæ Maiestati debitæ, nec obseruantiæ sanctæ Catholicæ fidei, nec edictorum Regiorum ratione habita, conniuendo declarasse, maiorem confœderatorum partem sibi uel cognatione uel officijs deuinctam, atque permisisse ut Auraicus & Egmondanus incendium excitarent & confœderati, horribili impetu atque furore grassarentur. Vtque eò melius suam uoluntatem declararet conformem esse confœderatorum, die sequenti post libellum exhibitum supplicem, cum uoluptate inspexisse Auraicum & Egmondanum, ingredientes domum Culembergici Bruxellis, in quam quidam confœderatorum diuertissent, ac illic Comiti Ludouico & Bredenrodio conuiuantibus in mensa assedisse, ac cum ipsis bibisse, quo tempore immensa insolentia ac impudentia uociferatum fuerit, ut Geusij uiuerent, nimirum confœderati, qui se ita uocitarint. Notoria uerò iuris dispositione crimen læsæ Maiestatis committi, non solum factis, sed & dissimulatione, ac cadere in crimen læsæ Maiestatis, qui bibat & conuersetur cum inimicis aut conspirantibus contra Principem, quales confœderatos fuisse manifestum sit. Vlterius, eum die ipso quo libellus supplex exhibitus fuerit Bruxellis, in domo Auraici diuersatum, ubi in mensa Auraici ederit ac biberit, cum comite Ludouico & Bredenrodio,

rodio, alijsq; confœderatis, ubi itidem uita Geusijs uociferando optata fuerit. 1568

Die Lunæ Trinitati sacro anno 1566. Abbatem S. Bernhardi, nunc fugitiuum, & publicè de hæresi accusatum, conuiuium in claustris abbatiæ Hornensi, Auraico, Egmondano, Hochstrato alijsq; nobilibus adornasse, in eo conuiuas Geusios poculis salutasse, atque alta uoce ipsis uitam precatos: Ita ut Hornensis hanc rem toties in sua præsentia repetitam, tolerando, gratamq; habendo declararit, se deuotum confœderatis.

In conuentu Dufflensi, qui mense Iulio dicto anno 1566. fuerit, conuenisse Hornensem, Auraicum, Egmondanum aliosq; quàm plurimos. Eo tempore & ante, ab ipsis in protectionem atq; tutelam receptos confœderatos consistoriales & mercatores, hoc ipso uerò non solum cōfœderationem approbatam, sed & autoritatem Regiæ Maiestatis uiolatam ac imminutam, attento quod in protectionem & defensionem recipere Regij iuris sit, quod minimè competat superiorem agnoscentibus, quales omnino fuerint Auraicus, Egmondanus et Hornensis, qui tanto plus in hoc deliquerint, quod securitas publica concessa fuerit conspiratoribus, ac rebellibus suæ Maiestatis. Hornensem non commonefecisse neq; Regiam Maiestatem, neq; Ducissæ excellentiam, de hac conspiratione ideò in crimen læsæ Maiestatis incidisse. Præter receptionē in tutelam, Hornensem & complices Dufflæ promisisse confœderatis, nullam ipsis molestiam, neque in præsenti, neq; in futurum illatum iri causa religionis: uerùm si quid enorme accideret, id nobilibus curæ futurum. Hoc ipso Hornensem cum Auraico & Egmondano arrogasse sibi autoritatem superioris, à quo fluant & deriuentur omnes iurisdictiones, ita ne cuiquàm uel suprema, uel media, uel inferior iurisdictio competat, sed si quis eam sibi uendicet, crimini læsæ Maiestatis subijciatur, atq; obnoxius fiat.

Post oblatum libellum supplicem, sub finem Decembris anno 1566. Hornensem cum Auraico, Egmondano, & Hochstraiensi Teuremondę conuenisse, & ibi circiter Ianuarium tractasse de conscribendo milite, et armis capiendis Rege in hasce terras cum armis uenturo: de hac uerò conspiratione ab Hornensi, nec Regiam Maiestatem, nec Excellentiam Ducissę certiorem redditam. Quapropter rursus crimen læsæ Maiestatis eum commisisse. Ducissam pręmonitam, quod confœderati Bruxellas uenturi essent, ad exhibendum libellum supplicem, quinque literas Hornensi scripsisse, ac petijsse, ut ad se ueniret cum alijs quos uocasset, ad deliberandum de rebus maximi momenti, concernentibus seruitium Regiæ Maiestatis, & salutem harum terrarum. Cæterùm eum, ut ipsemet confessus fuerit recusasse uenire prætendentem, quod constituisset domo minimè exire, quò ad responsum acciperet ad literas, quas dixisset, se ad Regem in Hispaniam misisse: Responsum tàm alienum ab officio, ut inde nihil aliud, nisi maleuolentia ipsius, contra Regem suum superiorem & Principem naturalem colligi potuerit, pro quo omni alacritate & promptitudine, uita ac bona profundenda illi fuerint: Eum Secretario suo primo Maij anno 1566. scripsisse, quod cum uideat, nulli remedio locum esse, & quod sua Maiestas in conuentum generalium statuum consentire nollet, se constituisse curia discedere, nec amplius uel Regi uel Imperatori seruire, ac refrixisse studium suum erga Principem. Eum mense Septembri Tornaci à fratre cuiusdam concionatoris hæretici recepisse scriptum, cōtinens in primo articulo, uerum & unicum remedium ad occurrendū motibus exortis: Esse conuocationē statuum generalium, deq; eo Ducissam cōmonefaciendam. Id scriptū tantopere ei placuisse, ut Tornaci expressè dixerit, quod si Excellentia Ducissæ pergeret denegare conuentum, proceres suis muneribus renunciaturos: cum tamen res in eo statu non fuerint, ut congregatio generalium statuum necessaria esset. Eum complicesque ideò tantopere conuentum generalem expetijsse, ut Rex

ad necef-

1568 ad necessitatem redigeretur, consentiendi negotium religionis consilio statuum componi, ipsis ut uerisimile sit, existimantibus, postquàm dicti motus se per uniuersam hāc prouinciam permagni essent, se status cùm populo commoturos, ut in omnibus sequerentur amicos ipsorum ac confœderatos: ac ita Vasalli atque subiecti per obliquas machinationes, leges suo Regi imponerent, ac caput membris subijcerent: Id quod absurdum, monstrosum, & omnibus diuinis atque humanis legibus contrarium sit. Cogitasse eum cum Auraico, Egmondano, eorumque adhærentibus se uoti compotes futuros, nimirum abolitionis, inquisitionis, placitorum, ac usurpationis eminentiæ & autoritatis supra Regiam Maiestatem, & hasce terras: præcipuè uerò unicuique permissum iri, quantum ad negotium religionis attineret libertatem uiuendi ex arbitrio, nulla lege, uel ratione obstante, id quod confœderati falsò libertatem conscientiæ appellarint.

Penultimo Augusti anno 1566. Hornensem cum commissione Gubernatricis uenisse Tornacum, præcedentibus nobilibus ac mercatoribus, alijsque, eo introeunte populum uociferatum, ut Geusij uiuerent, testificantem hoc ipso, quam opinionem de eo haberet, eum uerò nullam significationem præbuisse talem clamorem Deo, æquitati & Regiæ Maiestati, commodoque publico repugnantem sibi displicere, nec inquisijsse de hisce clamoribus, quamuis id facere potuerit. Similiter dicto penultimo die, Gubernatrice per legatos Beauuoisum & Mulbayum & Eplechinum missos, petente, ut Querdius & Villierius tunc temporis Tornaci degentes statim inde discederent, atque legati quæ in mandatis haberent, exequerentur: Eum ita indignatum, ut incontinenti magistratum in curiam conuocarit, atque interea Beauuoisum cum sua turma militari, quæ stipendio Regio aleretur ex arce eduxerit, ut rursus hac ratione declararit satis, quod noluerit Gubernatricis uoluntatem ualere contra confœderatos, sed ipse ijs faueret eorumque respectu expelleret præsidium, quo facilius ipse & complices perficerent peruersas & abominabiles machinationes, quibus & Querdius & Villierius adhæserint, cum tamen ipse satis sciuerit Villierium nouæ religioni addictum esse.

Primo Septembris anno 1566. eum magistratui Tornacensi significasse, sibi expressè iniunctum à Gubernatrice, ut conciones confœderatorum & sectariorum remoueret: Verum antequàm quicquàm cōstituerit, experijsse sententiam magistratus, quid illi è re esse uideretur: hoc ergo facto eum noluisse Gubernatrici obedire concionatores expellere uolenti, sed ex quodam contemptu & inobedientia fouisse, promouisse, et augmentasse motus, atque conciones continuasse.

Tertio eiusdem mensis Septemb. anno 1566. eum prohibuisse Catholicis ac confœderatis & sectarijs, ne alter alterutri impedimentum in religionis exercitio inferret, sub pœna confiscationis uitæ atque bonorum, quo ipso multis diebus Tornaci atque in finitimis locis uigore edicti publicati sub sonitu tubæ, cōciones publicæ habitæ fuerint: In hoc eum dupliciter peccasse: primò, quod permiserit rem in sua potestate non sitam, & uiam aperuerit malignis procedendi ulterius ad suæ conspirationis execrabilis facta, præterquàm quod non potuerit mandata promulgare, sub pœna confiscationis uitæ atque bonorum, cum hæc reseruata sit superiori, aut mandatum ab illo sufficiens habenti, quod Hornensi minimè datum fuerit. Hornensem hac in parte tanto magis culpandum, quod ante talem concessionem, plerique è senatu Tornacensi ei ob oculos posuerint euidentissimas rationes ut eam prætermitteret, sed cæcum ac ardens desyderium, quo ipse ad has res prosequendas flagrarit, omnibus rationibus uiam præclusisse. Adhæc sub discessu è Tornaco, ut ipsemet confessus fuerit, ipsum indulsisse, ut quatuor conciones in loco Halia haberentur.

Quandi u

Quandiu Tornaci manserit, eum permisisse sectarijs, ut ex singulis ciuitatis 1565 domibus tam Catholicis quàm alijs collectas corrogarent, ad ædificanda tria templa usui sectariorum accommodata, plures etiam nobiles ab eo rogatos ut idem facerent, ac ligna pro constructione largirentur: id à se factum, confossum & per hoc testatum, se iniquißima et turpißima sectarijs permisisse, collectam lignorum sectarijs pro concedenda structione ædificiorum improbatorum, quæ nulla ratione excusari queat. Interea temporis eum sæpius magistratui significasse, ne Iconomachię in Ecclesijs factæ, intenderet. Eodem tempore ad preces sectariorum, cum petijsse à Mulbayo ne prǽsidia reciperentur in arce Tornacensi, ac hoc respondente, sibi obedientiam Ducissę prǽstandam, ipsum ira accensum dixisse, fratrem Montignium infortunatum, qui Mulbayum ad eum gradum euexerit. Præterea etiam multos sermones cum Mulbayo contulisse, ad terrorem huic incutiendum, maximè dicto, se uiginti millia hominum adducturum, & si machinæ bellicæ deessent, se non quieturum quo ad conficerentur. Eum cum alijs admonuisse Bredenrodium ut iret Antuuerpiam ad offerendum libellum supplicē Gubernatrici, motibus illic durantibus, ut omnia præsidia extraordinaria abrogaret, & unicuiq; exercitium religionis liberum relinqueret: si uerò id denegaretur, res aliter constituendas præcipuè ratione Valentianorum: Hanc commonefactionem fuisse conspirationem contra Regiam Maiestatem, nec aliter interpretari posse. Sectarios statim post eius aduentum in urbem Tornacensem desyderio crudelitatis in corpora Catholicorum hic humata atq; sepulta exercendæ flagrantes, rogasse, ut ipsis in Ecclesia maiori Diuæ Virginis thesaurum quærere liceret: Id eum licet secularem, nec eius rei concedendæ facultatem habentem, indulsisse, eos ergo pluribus locis perfossis, in humanitate plus quàm barbarica uiolasse monumenta mortuorum, maximè cuiusdam Episcopi, qui illic ante centum annos ecclesiæ præfuerit, ut quibus sensus humanitatis inest, ac tam crudele facinus uiderint, ad id etiamnum exhorrescant. Cæterum Hornensem nō habita ratione humanitatis, nec sepulchrorum, laudasse agilitatem & diligentiam operariorum, in tam facto abominabili, qui tamen nihil aliud inuenerint quàm thesaurum cadauerum. Flagranti tumultu in dicta ciuitate Tornacensi cum sermones habiti fuissent in hospitio Hornensis, quendam nobilem in Hispania causa Inquisitionis detentum, eum dixisse, suum fratrem Montignium iampridem illuc ablegatum fuisse, si uerò detineretur, sibi eum quæsituro quinquaginta hominum millia obligata esse, declarando hoc ipso, ante detentionem fratris, se iturum contra Regem, atq; fratrem ex carcere erepturum: Quæ uerba tam temeraria fuerint, ut à maligno spiritu profecta fuisse uideantur, & ut ob ea in crimen læsæ Maiestatis inciderit. Eum deputatis quibusdam ciuitatis Tornacensis scire cupientibus, quid ratione concionum & aliarum congregationum gerere deberent, respondisse, ne literis quibuscunq; à Gubernatrice aut alijs missis, quæ à se, Auraico, Egmondano, & Hochstratensi, aut alterutro ipsorum subsignatæ non essent, obedirent, ac per hoc dissuasisse obedientiam Regi & Gubernatrici debitam, sed arrogasse sibi supremam autoritatem, quæ Regiæ Maiestati in Tornacenses competat. Eodem tempore & antea eum compluribus loci eius incolis significasse, eos uiuere posse secundum suæ conscientiæ tranquillitatem atq; arbitrium, quasi leges diuinæ & humanæ mortuæ & extinctæ fuissent, sed homines ut bruta animantia absq; legibus & ratione uixissent. Accersiuisse eum eodem tempore quendam monachum cordigerum apostatam nomine Ioannem Callesium, dixerit in multorum præsentia, Regis uoluntatem esse, ut utrique religioni dediti, in pace uiuant: exercitium autem religionis utriusque, in certis capitibus concessum, hoc adiecto ad apostatam, si compromissum seruaret, se eum contra quemlibet defensurum: unde sequi, eum

contra

1568 contra officium id permisisse, & ita de nouo compromissum approbasse, ac securitatis dictæ conspirationi promissione in crimen læsæ Maiestatis incidisse. Quendam Hermannum Martinum eodem tempore captum, quod caput & dux fuerit Iconomachorum, ac qui antea anno millesimo quingentesimo sexagesimo tertio comprehensus ob causam religionis fuisset, ita ut morte adiudicatus fuerit, carcere dimissum ab eo, quantumuis id ei sufficientissime significatum fuerit, quod potestatem id faciendi minime haberet, ut & in hoc se criminis læsæ Maiestatis obstrinxerit. Eadem de causa rursus criminis læsæ Maiestatis reum, quod eodem tempore Tornaci è carcere in libertatem restituerit Gudhelmum Vallensem & Gubertum Blanuueit Iconomachos ac Ecclesiarum destructores. Reseruasse eum sibi pœnam cuiusdam malefici Horieci, quo ad compromissum confœderatorum à Gubernatrice ratificaretur, etsi cognitio dimissionis incarceratorum ad magistratum loci spectet. Et hanc causam fuisse quod Iconomachi impunitatem delictorum sibi promittentes, ad ulteriora maleficia processerint. Confessum eum, se scripsisse literas, in quibus mentio facta fuerit, duodecim aut quatuordecim millium hominum, qui durantibus motibus extra portam Antuuerpiæ conuenerint, licet talis congregatio minime facta fuerit: Sed uerisimiliter id factum ad terrorem bonis incutiendum, & animandum sceleratos. Eum etiam ita honoris sui atque officii Regiæ suæ Maiestati debiti oblitum, ut dum flagrante motu Valentiana rebellio esset, deputatos sectariorum Valentianæ commonefecerit, ne se ad Nocarmensem, Cambrai tunc causa sedandorum motuum hærentem, sese conferrent, atque hoc ipso satis ostendisse, se partium Valentianarum esse, nec expetiisse finem rebellionis, sed eius progressum ac incrementum: Idque eum & aliis modis testatum nam dicto tempore Antoini uersantem, Iacobo Geleo Valentianorum deputato dixisse, quod si hi ciuitatem per tres septimanas adhuc defenderent, id sufficere, hoc innuendo obsessis auxilia non defutura. Eo ergo Valentianos intellectos incitatos ut portas ciuitatis occluderent, nec regis præsidia intromitterent. Plurimis sectariis Valentianis eum requirentibus, quid super transactione libelli supplicis confœderatorum nobilium agere deberent, respondisse: libertatem religionis generalem esse, ut quisque in tranquillitate conscientiæ uiueret, quo ad per status generaliter congregatos aliter statutum fuerit & ad id publicandum, Tornacum ipsum uenisse. Et hæ ferendæ in Hornensem capitalis sententiæ causæ fuere.

Decimo Iunii Iacobus Elector Treuirensis, cum in profesto Pentecostes complures machinas bellicas maiores atque minores ex arce sua Ernbreitstein in cellam Palatinam: dimidio miliari ab urbe Treuirensi sitam, per Mosellã transuehi curasset: Treuirensibus uaccas, oues, capros, aliaque pecora in agris pascentia, per suos egregie armatos, eripit, quosdam ciuium in campis comprehensos eodem abducens, ac mox per Antonium ab Eltz ducem equitum, quos Rheingrauius pro Rege in Galliam duxisset, eiusque equitatum, Treuirẽses nihil tale metuentes ex improuiso circumcingit, iisque omnem commeatum intercludit: Deinde subditorum aliquot millibus ad obsidionem urbis præpropere euocatis, atque militum cohortibus aliquot conscriptis, Treuerim obsidet, ac duodecimo Iunii fontes aquam ciuitati suggerentes, effosionibus aliò deriuat. Causa obsidionis erat, quod oppidani non solum Iacobi Archiepiscopi, sed & eius antecessoris Ioannis de Layen iurisdictioni, in ciuitate Treuirensi, multas uariasque turbationes minime Archiepiscopis ferendas, intulisse censerentur. His, ciuitatem sibi immediate subiectam esse, ac proinde ab absoluta & omnimoda iurisdictione, dependentia, inter hæc iuramentum subiectionis, collectarum impositionem, Senatorum ciuitatis constitutionem, custodiam clauium ciuitatis, executionem sententiarum, causarũ criminalium, & iis connexarum

nexarum

nexarum dijudicationem, competere affirmantibus. Oppidanis uerò omnia 1563
hęc, similiacq́, consuetudine uel præscriptione per possesionem, uel quasi, tem
poris; cuius initij memoria non extet, sibi uendicantibus, ac Archiepiscopo li-
mitato modo se subiectos contendentibus. Cum itacq́ Archiepiscopi interclu
sione commeatus, & sequestratione bonorum ciuium, in diœcesi Treuirensi si-
torum, similibusq́ uijs nihil efficere potuissent, tandem Iacobus Elector, quo
oppidanos ad obedientiam compelleret, statuit, eos armis subigere: Ideocq́ o-
pera agnati Aaronij aliorumq́ usus, ciuitatem hoc die, ut diximus, obsidione
cingit. At si oppidani, mandata de obsidione soluenda, in Camera Imperiali
impetrassent, eacq́ dicto Elzio insinuata fuissent, tamen obsidio sine intermis-
sione, uscq́ ad nonum Augusti continuata fuit.

Iunij die undecimo Henricus Dux Brunsuicensis & Lunęburgensis intra
septimam & octauam horam uespertinam, in præsentia multorum nobilitate
atcq́ uirtute præstantissimorum uirorū, nimirum Georgij ab Hollen, Dietrichi
à Quitzadu, Adriani à Steinberg, Christophori de Streithorst, Burchardi de
Steinberg, Doctoris Casparis Neuij, & Georgij Frederici, aliorūcq́ in arce sua
Vvolffenbyto, post uarios uitę labores placidè in Christo obdormit: Princeps
bellicosus, consilio pollens, ac rerum experientia clarus, uarijsq́ utriuscq́ fortu
næ casibus agitatus. In adolescentia siquidem patri Henrico aduersus Frisios,
unà cum Duce Saxoniæ Georgio alijsq́ Principibus grauissimum bellum ge
renti, atcq́ ad arcem Lihurtum pila bombardæ, anno 1514. uicesimo tertij Iu-
nij, in profesto Ioannis Baptistæ concidenti adfuit, sub eocq́ prims militiæ ty-
rocinia deposuit. Deinde post mortem Maximiliani Imperatoris, bello inter
Ioannem Episcopum Hildensheimensem & Ericum Brunsuicensem Henrici
agnati suppetias implorantem exorto, ei una cum fratre Guilhelmo non con-
temnendis copijs auxilio uenit: fratrecq́ Guilhelmo in pręlio ad Soltauiam op
pidulum ducatus Lunęburgensis, una cum Erico agnato ab aduersarijs capto,
atcq́ hoc Cellas Saxonum, illo Hildensheimium abducto, fratrem captiuum
cum agnato ui liberare constituit. Cæterùm Alberto Moguntino, Friderico Sa
xone, & Ioachimo Brandenburgico, Electoribus intercedentibus, ad præca-
uendam maiorem sanguinis effusionem ab instituto destitit. Mox uerò cum
Episcopus Hildensheimensis à Carolo quinto Imperatore tanquam uiolator
pacis publicæ declaratus atcq́ proscriptus, in contumacia, maximo sententiæ
Cæsareę contemptu, persisteret, Henricus unà cum Erico agnato iam solutio-
ne duodecim millium aureorū, triumcq́ Castellorū traditione liberato, ipsum
in eiusmodi angustias redegit, ut præcipuis plerisq́ oppidis & arcibus diœce
seos occupatis, ac nobilibus sese Brunsuicensium Ducibus dedentibus, ex Epi
scopatu profugere cogeretur, sola urbe Hildensheimensi, & arce Peina longè
munitissima, ita se contra Brunsuicenses defendentibus, ut obsidio earum tene-
tara, re infecta ipsis dimittenda atcq́ soluenda fuerit. Postea rusticis per totam
ferè Germaniam tumultuantibus, ad furorem Thuringicorum, quos Thomas
Münzerus, nouo quodam doctrinæ genere ad se ex agris perduxerat, repri-
mendum, cū Saxoniæ Principibus Ioanne Electore, eiusq́ patruele Georgio,
& Hassiæ Landtgrauio Philippo insurrexit, se non solum fidelem operam in
rusticis profligandis, sed & Münizero in uiā pietatis reducendo, nauauit. Cum
etenim is extremo supplicio afficiendus, admodū perturbato atcq́ deiecto ani-
mo esset, necq́ fidei suæ rationē explicare posset, ut in eo temporis articulo fieri
solet, ipsius cōfirmandi causa, Henricus uoce illi præijt. Cæsis uerò rusticis Du-
derstadiū & Heiligenstadium oppida, eo quod rusticis fauissent, septingentis
equitibus & septem signis peditū occupauit, ciuium unoquocq́ sex aureis mul
ctato. Altero post anno, nimirum 27. Carolo v. Imp. contra Lotrechum Regis
Gallię Francisci ducem, Venetos, ac Sfortiam Mediolanensem, acre bellum gè

 rente,

1568 rente, suarumque partium fortuna nutante, ita ut nouis copiarum uiribus confir manda esset is, Heinricum ætate florentem & bellicæ auidum laudis, oblatis sti pendijs propositisque uberioribus præmijs, è media Germania Saxo numque finibus in Italiam euocauit. Hic ergo paruo temporis spatio ualidissimis peditum legionibus duabus, ductore Marco Sittichio, ac instructissimis equitibus mille, qui ferè omnes cataphracti essent, coactis, per Tridentinas alpes iusto tormentorum apparatu profectus, ac Brixianum & Bergomatem agros effuse populatus, & sæuis etiam incendijs bellum gerens ab Antonio de Læua Cæsariano duce ad Laudem Pompeiam, quæ prima omnium ea bello à Cæsare ad Sfortiam defecisset oppugnandam deducitur. Verùm Sfortianis crebra glandium procella appropinquantes & subeuntes perfundentibus, occisisque aliquot signiferis, eos qui intrare per ruinas ausi fuerãt, cruento impetu in fossam deturbantibus, Henricus, qui Læuam iniquissimo loco pugnam eiuisse animaduerteret, & se eo consilio in Italiam uenisse recordaretur, ut ad ferendã obsessis opem Neapolim contenderet circa Mediolanũ æstiuare, nouaque belli ratione Cæsari operã præstare cogitauit, quod eadem à Mediolanensibus, quę Antonius imperare atque exigere consuesset gratuita alimenta atque stipendia, se consecuturum confideret. Id autem Læua ueritus, nec collegam prępotentem sibi asciscere uolens, Italica simulatione Henrico eiusmodi artibus minimè assueto, facilè persuasit, ut id consilium abijceret, & in Germaniam redeundũ arbitraretur, maximè pestilentis morbi lue (qua tertiam ferè mortalium partem in Italia absumptam ferebatur) in legionibus Germanicis atrocissimè sæuiente, & passim annona deficiente; denique Antonio itinera, quibus Neapolis petenda erat, hinc à Florẽtinis, illinc à Ferrariensibus, ita obsessa referente ut tuto isthuc proficisci non posse censeretur. Itaque peruersis Antonij consilijs deceptus, atque ab instituto petẽdæ Neapolis retractus, per Rheticas alpes, Larium lacum & Grisonum fines in Germaniam rediȷt, magna parte bellici apparatus quem attulerat, relicta: & equis paruo pretio diuenditis, quod plerique eorum prægrandium & grauium attritis ungulis, intumescentibusque talis, debilitati claudicarent: nonnulli uerò ob uiæ asperitatem, laborisque diuturnitatem penitus concidérent ita ut ferè omnibus equitibus, quibus longo tempore instructiores uisi non fuerant, amissis: uix sedecim saluos secum reduxerit. Reuersus ergo domum aliquãdiu in pace & ocio uixit, quoad uiribus recollectis, in grauissimas ac perniciosissimas non saltem ipsi, sed & toti Germaniæ contentiones, cũ ciuitatibus Goslaria & Brunsuico incidit. Nam dũ eas fœderis Schmalcaldici socias grauissimè affligeret, nec ab instituto Cæsaris mandatis, quæ foederis Principes à Carolo v. impetrarant abduci posset: sed fretus potentia fœderis Norici atque quorundam consilijs incitatus, in Electore Saxoniæ Ioanne Friderico, & Philippo Landtgrauio Hassiæ deformandis, nullum ferè genus contumeliæ prætermitteret, res tandem eò deuenit, ut Saxonię Elector, & Landtgrauius Hassiæ angustijs, & grauissima persecutione sociorum commoti, atque iniurijs sibi illatis irritati ipsi bellum inferrent, cuius exitus is fuit: Vt Henricus anno 1542. ducatu toto exutus, hinc inde cum filijs Heroicæ indolis non solũ oberrare, uariorumque auxilia implorare, sed & dum ducatũ amissum pecunijs Regis Galliæ Francisci adiutus, post occupatam Hadeliam recuperare studet, Landtgrauio copias confœderatorum ducenti anno 45. Octobr. die 21. cum Carolo Victore filio natu maximo captiuum se dedere coactus fuerit. Deductus itaque unà cum filio Carolo Cassellas in Hassiam, atque custodijs adhibitis asseruatus, Biblia diligentissime perlegit, ac captiuitatem animo excelso tulit, ita ut eam minimè diuturnam futuram sæpius præsagiret: nec sua spe decidit. Nam cum Imp. Carolo anno proximo nimirum 46. bellum Schmalcaldicis inferenti ita fortuna arrisisset, ut capto ad Albim Ioanne Friderico Electore Saxoniæ,

xoniæ, Philippus Lãdtgrauius persuasus à Mauritio genero & Electore Bran- Anno 1568.
denburgico Ioachimo, ut Cæsari supplex fieret, à Landtgrauio liberatus capti uitatis eius à nemine mortaliũ speratæ, cum filijs Carolo atq; Philippo spectator extitit. Restitutus itaq; in ducatum à Schmalchaldici fœderis socijs derelictũ, munitiones partim dirutas, partim collapsas, reficere, & quasi tabulas naufragio dispersas, colligere, ac ducatum lacerum in unũ corpus redigere cœpit. Cæterùm antequàm institutum perficeret quorundam intempestiuis consilijs (quæ semper Principibus nocuère, & perpetuo quo ad ea sequentur, incõmodabunt) inductus: adijcq; contra Brunsuicensem ciuitatẽ concepti, anno 1550. rursus contra eam eiusq; pagos manifestum bellum suscepit, ac agris Brunsuicensium deuastatis ciuitatem frustra obsedit. Nam illa nobilibus quorũ Henricus quamplurimos ob uarias causas bonis priuarat, in ciuitatem longè munitissimam populosissimamq; receptis, non tantum obsidionem nihili fecit, sed & crebris irruptionibus in castra obsidentis factis multum ei damni intulit, ut interuentu quorundam Cæsar commotus, utrisq; mandaret, ut ab armis discederent, & apud se causam dicerent. Vix uerò hoc bello liberatus, rursus alijs inuoluitur. Nam Magdeburgicis à Georgio Megalopolensi Duce (qui in castris eius militans, copias utrinq; dimissas, in agrum Magdeburgicum longè ditissimum cleri exulantis pollicitationibus deduxerat) uicesimo secundo Septembris cæsis, & re bene gesta, uicinis Principibus iussu Cæsaris ad ciuitatis obsidionem se cõparantibus, Henricus quoq; sua ipsis consociauit auxilia & Mauritio Electori Saxoniæ ad dissipandas copias in agro Verdensi apud uicinas ciuitates à Volrado Mansfeldico, & à Ioanne Hedecco cõscriptas, proficiscenti adfuit. Soluta autem anno pòst Magdeburgensi obsidione, ac Alberto Marchione, unà cum alijs quibusdam Principibus Regi Galliæ militante, Henricus iterum ducatus amittendi discrimen maximum subijt. Nã Volradus Mansfeldicus, qui auspicijs Alberti copias conscripserat, adiutus aliquot nobilibus ab Henrico eiectis, ducatum, eius inuasit, & plærasq; arces, agris finitimis igni ferroq; deuastatis, occupauit, Henricumq; in tantas angustias redegit, ut is ad Cæsarem tùm Metim obsidentem confugerit, deq; sua fortuna conquestus, opem eius alieno tempore implorarit. Non tamen hæc fortunæ iniquitate animum abiecit, sed Volrado Mansfeldico debita stipẽdia copijs soluere nequeunte, ipsi maxima earum parte ad se traducta, bellũ Monasteriensi & Mindensi Episcopis, ac Erico agnato, à quibus superioribus annis offensus fuisset per Philippum Magnum filium militaris indolis Principem intulit, & ab ijs ui pecuniæ per magna extorta, eum Episcopis Franconicis & Norimbergensibus contra Albertũ Marchionẽ, ipsorũ fines, incendijs ac direptionibus, Schuuinfurto Imperij oppido occupato præsidioq; munito depopulãtem subsidio misit. Belli uerò intestini grauissimi periculo imminente, inter Electorem Saxoniæ Mauritium, qui Cæsaris mandato Episcopis & Norimbergensibus opem promisisset, & Marchionem Albertum eiusq; socios, Henricus sui muniendi causa cõmodissimo tempore fœdus cum Mauritio inijt. Nam non longè pòst, Albertus relicto Schuuinfurti, & alijs in locis præsidio, cum passim extorsisset pecuniam, & octoginta sex è Norimbergica ditione simul & Bambergã secũ abductis captiuis obsidibus, in Saxoniam tanta celeritate contendit, atq; in eam belli molem transtulit adiutus ab Erico & nobilitate Brunsuicensi bellicosissima, ut copijs, quas & Mauritius in Franconiam miserat, & Philippus Henrici filius eò duxerat, frustra tentato Schuuinfurto, Saxonia repetenda, eaq; sanguine ipsarum effuso defendẽda fuerit. Vix etenim ijs domum reuersis, atq; ex itinere per aliquot dies refectis, nono die nona tã acre prælium commissum est, ut in eo Henricus duos filios Carolum Victorem, ac Philippum Magnum Heroicæ indolis Principes fortiter pugnantes, amiserit: Mauritius uerò Elector

Anno 1568 tormento manuario traiectus ad ilia à multa dimicatione Victor biduo pòst
uitam finierit, in pugna desyderatis 250. nobilibus, & aliquot comitibus non
exigui nominis. Etsi uerò Alberti uiribus in hoc prælio admodum debili-
taris, Henrico domi pacis spes affulgere uisa sit, tamen ipso ob cladem acce-
ptam minimè animum abijciente, sed falsè dictitante, loco carri euersi, currum
erigendum esse, ac nobilitatis Brunsuicensis opera copias equestres in muni-
tissima ciuitate Brunsuicensi restaurante, Henrico etiam pro se pecuniam Epi
scopis & Norimbergensibus subministrantib. copiæ conducendæ fuêre, quas
Alberti conatibus opponeret. Iis ergò usq; ad mensis Septemb. diē 10. reten-
tis, cùm nummi tardius adferrentur, maximo in discrimine res fuit. Nā Alber-
tus cognito militem, moram hanc impatientissimè ferre, nec usq; adeò ad mili
tiam Episcoporum propensum esse, ad defectionem illum sollicitauit, in Mar-
chionis castra haud dubiè concessurum, ni peropportunè in ipso articulo, cum
æstus ille atq; fremitus iā propè exundaret, decima uidelicet Septembr. die re-
medium allatum fuisset. Quare cū Albertus solutionis ignarus, postridie qui
12. Septemb. dies erat, equestres suas copias Brūsuico eduxisset, manum cum
Henrico conserturus: hic, qui ad uiginti peditum signa haberet (Marchione ne
uno quidem instructo, sed uirtuti nobilitatis Brunsuicensis, cuius ductor esset
Nicolaus Berner inter equites celebratissimus) illi uiriliter totis uiribus occur-
rit, eumq; multis equitum cum Bernero occisis, in ciuitatem compulit, Berne-
riq; hostis sui iurati, (fide atq; uirtute eis laudata) cadauer repertū in monaste-
rio à Vuolffenbyto ad miliarie dissito honorificè sepelijt: erga deuictum huma
nitate, quā sæuitia uti gloriosius Principi esse existimās. Marchione uerò mox
Brunsuico per Thuringiam in Voitlandiam cōtendente: & occupatū ab Hen
rico Plauio Hofium oppidum recipiente, præsidiarijs id incautius asseruanti-
bus, trucidatis, Henricus, qui Alberti uires amplius minimè metueret, & eum
à ciuitate Brunsuicensi receptum adiutumq; ægerrimè ferret, illā se de ea ultu-
rus obsedit. Verùm cum copiæ stipendijs Episcoporum & Norimbergensiū,
ut diximus alerentur: hi reditu Alberti in ditionem propriam, multis præsidijs
munitam, cognito. Henricū cum ipsis in Franconia sibi præsto esse renuncia-
runt. Relicta ergo obsidione Brunsuicensi, is rectà eò contendit, ac in transitu
Mansfeldicis, qui eius ducatum grauissimè afflixerant, ad intercessionē Augu
sti Electoris tūc admissi ueniam dedit. Et Ioannis Friderici, qui cū eo nondum
in gratiā redijsset Cancellarij Minquicij oratione mitigatus, parte mulctę, quā
admodum magnā postulasset, accepta sine maleficio, per Thuringiā ad Liech
tefelsum oppidum ditionis Bambergicæ (in quo tenerentur inclusi milites Al
berti ad nouem signa peditum) transijt, idq; antea à Plauio sociorumq; auxilijs
obsessum, maioribusq; tormentis, quæ Norimberga uenissent, concussum, die
10. Nouemb. capit, ac re ibi perfecta, inde cum socijs Colembachum petijt, Al
berti ditionis oppidum. Ciuibus uerò eo incēso in arcem, præcipuum Alberti
propugnaculum magnoq; præsidio munitū cum bonis confugientibus, Hen
ricus ad Blasseburgi oppugnationem Henrico Plauio relicto, 6. die Decemb.
cum suis copijs contendit Schuuinfurtum, quod oppidum in ripa Mœni posi
tum, Albertus ualido pręsidio tenebat. Verùm cum quicqd esset alimonię uici
nis in locis Albertus in oppidum inuexisset, & post omnia circū ędificia incen
disset, ut obsidendi eo anni tempore facultatē hosti adimeret, simulq; eruptio-
ne facta dimicasset, Henricus nonnullis desyderatis, per agrum Ioan. Friderici
profectus, non magno cū comitatu maxima copiarū parte in Franconia relicta
domū redijt, ac dū res per socios, suasq; copias ad Schuuinfurtū ita administra
retur, ut Schuuinfurto capto, Albertus profligaretur, ipse per inferiorē Saxoni
am, plerosq; tam Principes q̄ ciuitates, & ex nobilitate cōplures, partim ob id,
quod ex fœderis Schmalcaldici formula Saxonē & Landrgrauiū in se pellen-

do iug

do fuuissent, parum Marchioni fauissent, pecuniã poposcit, & imperata facere 1568
coëgit Ioannem Albertum Megelburgium, Franciscũ inferioris Saxoniæ Ducem, Lunæburgẽses, Anhaldinos, Mansfeldicos, aliosq;. Nec in superiori Germania ad Schuuinfurtum re feliciter succedente, uindictæ sumendæ occasioni defuit: Rotenburgo oppido Imperij, alijsq;, atq; inter hos Hennebergicis Comitibus seuerè ob easdẽ caussas mulctatis. Vltione itaq; de aduersarijs sumpta, gazaq; ex tota Germania Vuolffenbytum cõuecta, cũ multis annis coniuge priore Maria Vuirtembergica amissa, cœleba uixisset, Sophiã Sigismundi Regis Poloniæ sororem anno 56. mense Februario duxit, cumq; ea in summa cõcordia cõiugalem uitam degit. Anno uerò deinceps 57. bello inter Henricum Galliæ & Philippum Hispaniarum Reges ardente, cum Christophorus Vvrisspergius copias equestres atq; pedestres Romersloi in finibus ducatus Lunæburgensis, & diœceseos Bremensis, coëgisset, quibus post subactos Vvürstenses inobedientes rusticos Archiep. Bremensis Christophori, Galliarũ Regi militaturus diceretur, Henricus tanq; Saxonici circuli Dux, unà cum agnato Erico ad illas dissipandas contendit, ac Vvrisbergij ad octo milliaria à castris suis copias dimittentis conatum repressit. His itaq; tantisq; rebus confectis, cũ pro sua prudentia intelligeret in uiris Principibus, tam legum atq; iustitiæ studium, pacisq; artes, q; armorum scientiam desyderari, animũ ad Politiæ & Oeconomiæ emendatione conuertit: atq; iudicia superiorib. bellis & mutatione gubernationis, cum magno subditorum damno collapsa, cõmunicato cum doctissimis Iureconsultis consilio restaurauit, atq; ad eam formam redegit, quã omnibus iuris peritis probari constat. Rei quoq; familiaris (cuius negligentia plærorumq; Principũ facultates imminuuntur, & æraria inutilibus expensis exhauriuntur) administrandæ rationes huiusmodi inijt, ut res ad alimoniam & sustentationem suorum necessarias ex re pecuaria plena manu cõficeret, alijs prouentibus atq; redditibus ad necessarios usus reseruatis. Ac etsi natura quasi ad bellũ factus esse uideretur, tamen eius incõmoda ac mala expertus, pòstea pacẽ cum uicinis depositis simultatibus diligentissimè coluit, & reconciliatus his à quib. offensus fuerat, publicæ tranquillitatis magis quã priuatarum iniuriarũ rationẽ habuit. Ac si quæ inter Principes dissidia exoriri cognouisset, ea interuentu amicorũ potius q; armis dirimi studuit. Testatus id est, bello inter Fridericũ Daniæ & Ericũ Sueciæ Reges moto: quod cum perniciosissimũ non saltẽ ipsis, sed & finitimis futurũ perspiceret, ut id cõponeretur summopere annisus est. Atq; ut hoc studio uicinorũ Principum fauorẽ, & amicitiam sibi deuinxit: sic non tantum cõmodis subditorũ assiduis bellis ac deuastationib. exhaustorũ, sed & rebus proprijs optimè cõsuluit: Nam interea & Vuolffenbytum propugnaculis alijsq; rebus necessarijs ita munijt, ut uix ulla arx aut ciuitas in tota Germania firmior, rerũq; omniũ apparatu instructior inueniatur. Ne quid interim dicã de thesauro, quẽ omnium maximũ ab ipso tempore pacis collectũ fertur. Cum itaq; pòst innumeros belli labores, euẽtusq; uarios, autoritate & felicitate florẽns, aliquot annos uixisset, tandem senio confectus, præter opinionem suã in lecto placidè diè quo diximus, uitam finijt, cum sæpius aut in acie, aut in memorabili quopiã conflictu se mori exoptasset. Cadauer eius tumba reconditũ atq; asseruatũ sepulturæ traditũ est 12. Iulij, loco quo ante annos 15. ipse duos filios Carolũ & Philippũ humarat: funus ei faciente Illustriss. Principe Iulio filio magnificẽtia, amplitudine religione, & pietate insigni, mirifico cũ applausu populi ac piorũ omnium, ut eius descriptio publicè edita attestatur. Natus fuit patre Henrico seniore, quẽ ad Liburtũ occubuisse diximus, & matre Margarita filia Erici Ducis Pomeraniæ sorore Buslai. Vxores legitimas habuit duas, priorem Mariam Henrici Vvirtembergici Ducis & Mompelgardici Comitis filiã, sororem Vdalrici Ducis: ex qua filios sustulit Carolũ Victorem & Philippum Ma-

1568 gnum, quos ambos in conflictu inter Mauritium Electorem & Albertũ Brandenburgicum propè Siuershusium cõmisso interijsse meminimus, & Iulium: Filias Catharinam elocatam Ioanni Marchioni Brãdenburgico, Margaretam & Claram, quarum altera nuptui tradita est Philippo Duci Brunsuicensi & Lunæburgensi, Philippi senioris & Catharinæ Comitissæ Mansfeldicæ filio, alia Henrico Duci Münsterbergensi: Secundam uerò duxit Sophiam Sigismundi Regis Poloniæ & Bonæ Mediolanensis filiam, ex qua liberos nullos suscepit. Obijt grãdæuus, & quidem Alberti Borussiaci, quem superius mense Martio é uita decessisse diximus, coætaneus: ita ut hoc anno duo inter Principes Germaniæ omnium ætate maximi, consilio & bellica laude illustres, extremo uitæ die confecto, non longo tẽporis spacio intercedente, ad æterna gaudia migrarint. Sepulturam eius mutatio religionis comitata est, Petro Abbate in monte propè Magdeburgum Euangelicæ religionis professore cõcionem funebrem habente. Ac mox Illustriss. Princeps Iulius exemplum Iosiæ imitatus, abrogatis cultibus Papisticis Euangelij doctrinam, quã iam diu ante patre inuito amplexus fuerat, in tota ditione spargi, atq; Ecclesias iuxta normam confessionis Augustanę reformari curauit: conuocatis ad hoc doctissimis Theologis, inter hos Iacobo Andreæ Præposito & Cancellario Tubingensi, atq; Doctore Martino Chemnicio Superintendente Brunsuicensi. CHRISTVS IESVS conseruator atq; defensor Ecclesiæ suæ, Iuliũ in suo proposito cõfirmet, ac Henricum fructus sanguinis sui, ꝑ redẽptione humani generis effusi, participẽ reddat, eiq; delicta benignè cõdonet. Epitaphijs uarijs memoria eius ornata fuit, quorum alterũ uiuenti disticho, alterũ uerò defuncto octasticho scriptũ, subijcere libet:

Quam mihi dum uixi requiem fortuna negauit,
Hac ego nunc saltem post mea fata fruor.

ALIVD.

Hic Dux Henricus prope corpora chara duorum
Natorum, Mauors quos truculente necat,
Conditur, ac letus cœlesti pace quiescit:
Ridet & ærumnas impie munde tuas.
Quæ mala non uidit, quos non tulit ipse labores
Auratæ chlamydis non minus atq; togæ?
Tertius at, patriæ spes unica stirpis Iulus
(Humanos casus aspice) regna tenet.

Circiter hoc idem tempus Ludouicus Nassauiensis, post uictoriam contra Hispanos habitã, exercitu in duas partes diuiso, Groningam Frisiæ ciuitatem in duobus locis obsidet, non citra multorum admirationem, quod munitione bellica destitueretur, & ciuitatem natura, & arte munitissimam, cõmeatuq; instructissimam. Carolus Comes Megensis, cum octo signis Germanorum, & mille Hispanis: Curtiusq; Martinengus cum trecentis equitibus tenerẽt his q; sæpius eruptiones facientibus, ac eum obsidentib. leuia prælia cõmittentibus, 22. Iunij die, cum obsidentes aggeris, quem obsessi supra fossas quasdam pro equitatu transmittendo iacerent, constructionem impedire molirentur, tanto ardore uelitatio committitur, ut circiter ducenti ex Nassauiensibus occumberent, totidemq; uulnerarentur, ac ex Albanicis non pauci caderent: Martinengo periclitante, dum equus in limo hæreret, ne in hostium potestatem ueniret.

Vigesimo nono Iunij circiter meridiem Mantuæ, quod est Sabaudiæ oppidum duodecim miliaribus Italicis Lugduno distans, tã horribilis turbo, ex improuiso oritur, ut omnia ædium tecta cum caminis auulsa abduceret, tantoq; impetu fundamenta cõcuteret, ut incolæ omnes in loca subterranea cõfugientes, extremum diem instare arbitrarẽtur: In aëre, crassissimæ arbores uolitantes conspicerentur, multi quoq; homines ac pueri, quod maximè miserandũ erat,

tempestate

tempestate uenti in aëre abrepti, nunquàm postea rursus uisi fuerint. Durauit is turbo ad quartam horæ partem: eo cessante plures quàm ducentæ arbores nuceæ stirpitus euulsæ, inuentæ fuêre. 1568

Sexto Iulij die Ioannes Oporinus, Typographus & Ciuis Basiliensis, Vir eruditione, pietate, integritate ac humanitate præstans, ob merita præclara, in re literaria ornanda & amplificanda, doctisq; uiris iuuandis omnium bonorum celebratione dignissimus: cum post immensos in re typographica, labores superatos, per dies uiginti ex catarrho & cephalalgia decubuisset, Basileæ circa horam nonam antemeridianam ex hac uita miseriarum plena sexagenario maior, placidè discedit, ea pacientia, quæ uitæ ante actæ consentanea, innocentiã, pietatem erga Deum ac sensum futuræ beatitudinis testaretur. Elatus est humeris Academiæ, comitatu omnium ordinum honorificentissimo, sepultus in summo templo in societate clarissimorum uirorũ, Simonis Grynæi, Oecolampadij, Munsteri & aliorum, qui uiuacibus ingenij monumentis nominis sibi perpetuitatem pepererunt. Concionem funebrem de ipso habuit, reuerendus uir D. Simon Sultzerus Theologus ac concionator doctissimus memoriamq; eius, uiri docti omnium ferè nationum, eulogijs suis lectu dignissimis prosecuti fuêre: ex quibus Georgij Fabricij, breue quidem, sed perelegans, in optimi uiri memoriam ascribere libet:

Immortale decus tibi donat Oporine uirtus
Famaq; stellifero, quæ uolat alta, polo,
Nam per te Latij libri Graijq; leguntur
Doctrinaq; noua laude reuixit, honor
Clauderis exigua, magno sub nomine, terra
Sed claudi tumulo, gloria tanta nequit.
Nam quot habent apices, tua quot monumenta figuras
Tot meritis par est, reddere grata tuis.

Decimo quarto Iulij Albanus, qui Ludouici Nassauiensis arma per Frisiam circumferentis, grassationes retundere, ac Hispanicarum cohortium stragem ulcisci statuisset, de captiuis in Belgio supplicio sumpto, & præsidijs Hispanicis undiq; euocatis, machinisq; bellicis Mechlinia nauigio Groningam traductis, cum præsidiarijs Groningensibus sese coniungit, ac hostes, qui nocte insequenti sarcinis præmissis s. pontibusq; ruptis, Embdam contendissent, (quo ab Embdensibus tanto facil us commeatu rebusq; necessarijs subleuarentur) insectatus, eorum mille interficit, nec ab insequendo desistens, sed Amisum uicesimo primo Iulij circiter horam octauam transiens, initio mille ac quingentis sclopetarijs, Nassauiensis pedites à pontium transitu hostem arcituros fugat, ac mox ad castra Nassauiensis prope Iemingam ad Amisum locata, contendit. Peditatus ergò Nassauiensis Albanicos aduentantes conspiciens, intempestiuo tempore, cum res armis gerẽda esset, barbaro clamore pecuniam efflagitat, pugnamq; detrectat, quasi non nisi pecunia habita, honestis uiris pro religione et patria uitæ pericula subeunda essent. Hoc ergo Albanus animaduerso, circa horam decimam antemeridianam, mox in castra Nassauiensis irruit, ac statione relicta fugientes, ad quatuor milliaria insectatur, eorumq; aliquot millibus in fuga cæsis, merita stipendia persoluit, ac Comite Ludouico Amisum traijciente, captoq; legato eius, Henrico de Sigen, signis eius militaribus uiginti, ac sedecim bellicis machinis potitur: Numerum cæsorum quidam septem milliũ fuisse scripsere, sed minorem extitisse, stragemq; exaggeratam constat, cum uix uniuersus exercitus, ex quo quamplurimi euasêre, eum numerum conscenderit.

1568 tit. Periêre uerò exulum nobilium non pauci, quorum pecunia & ipsa Albano prædæ cessit. Hochstratensis, qui in castris quoq; fuerat, biduo ante conflictum abierat: Iustus uerò Comes Schaumburgicus, peditatus auaritia conspectis, statim initio pugnæ euasit. Hac ergo uictoria obtenta, Albanus uicesimo octauo totius rei gestæ seriem Ioanni Episcopo Monasteriensi, ac circuli Vvestphalici Duci, literis Groningæ datis significat: de Ludouico Nassauiensi, qui pacem auersetur, ac Cæsarea mandata contemnat, grauissime conquerens, seq; purgans, quod cum exercitu comitatum Embdensem Imperij statum, ac Vvestphalici circuli membrum inuaserit, omnem facti culpam in Comites Embdenses transferens, qui contra Imperij constitutiones, Nassauiensem commeatu subleuarint, receptatione hostium Regis Hispaniarum, hostes eiusdem se declararint, ac in areem Natthiam non solum pecora abacta à Nassauiensibus receptarint, sed & pugna durante, ex nauibus, Hispanicas copias tormentis bellicis infestarint.

Pridie eius diei nimirum uicesimo Iulij, Guilhelmus Auraicus, qui fratre Ludouico in Frisia bellum gerente, in Germania copijs contra Albanum conscribendis occuparetur, scripto lingua Germanica publicè edito, suscepti belli causas exponit, cuius tenorem breuiter commemorari à nostro instituto minimè alienum erit. Initiò itaq; breuiter pro more præfatus, de innocentia sua omnibus notorium atque manifestum dicit. Cum res eò deducta fuerit, ut non obstante suo aliorumq; Aurei uelleris equitum cõsilio, ex optimo propensissimoq; animo profecto, ad euitandas miserias præsentes atq; futuras, Inquisitio atq; mandatorum executio in Belgicum præterito tempore introducta atque instituta. Atq; inde factum fuerit, ut per aliquot annos Inquisitores, contra multos homines, confiscatione bonorũ, quæstionibus, torturis, igne, aqua, laqueo, exilijs, alijsq; modis processerint. Eam persecutionem hoc tempore nõ mitigatam, sed & post Albani aduentum in Belgium indies magis auctam esse. Silentio præteritis facinoribus, quæ à milite Albano indies perpetrentur, uiro bono conspectu grauia atq; molesta. Cumq; Albani eiusq; factionis actiones, contractibus, obligationibus, conuentionibus & promissionibus, inter Regiam Maiestatem & prouincias Germaniæ inferioris initis, subscriptis, ac sigillatis, iuramento Regio contrariæ sint. Satis inde atq; manifestè demonstrari, Albanum, mandato sibi à Regia Maiestate concesso, uarijs in rebus abuti. Et posteaquàm liberaditus ad Regiam Maiestatem auxilio aduersariorum septus ac interclusus sit, tam intollerabiles actiones nullis alijs uijs ac rationibus, nisi legitima atq; à iure approbata defensione cohercerі, reprimi atq; repelli posse. Etsi enim ante hac Ducissa Parmensis tunc temporis Belgij Gubernatrix, conciones Euangelicas quo extrema pericula atq; incommoda eo tempore Belgio imminentia auerterentur, permiserit, cum ea pollicitatione nullum periculum his qui conciones audijssent, uel audituri essent, metuendum esse: Id quod & ipse iussu dictæ Gubernatricis, hinc inde per suæ gubernationis fines publicarit, cum obligatione erga subditos, id inuiolabiliter ipsis seruatum iri. Eo tamen non attento, Albanum eiusq; adhærentes, primo aliquot uasallos Regię suæ Maiestatis, in exilium pepulisse: ac mox ad confiscationem bonorum ipsorum processisse, multosq; etiam uita priuasse. Ac etsi ipse toto tempore gubernationis sibi commissæ, imò ab adolescentia sua nihil antiquius habuerit, quam ut Regiæ suæ Maiestatis amplitudo, autoritas, potentia, ac uires indies propagarentur, & adaugerentur, eius terræ ac prouinciæ, in pace, tranquillitate, ac incremento conseruarentur, omniaq; imminentia incommoda, damna ac detrimenta, quoad eius fieri posset, propellerentur, prout id longo iam tempore, non solum profusione bonorum ac facultatum, sed & sum-

mis uitæ periculis aditis,re ipsa comprobarit atq; ostenderit: Tamen ijs minimè ponderatis sibi,ad citationem ac ignominiosam proclamationem,quasi sui perioritatem ac eminentiam Regiæ Maiestatis affectarit, ac crimen rebellionis commiserit,nulla sufficiente atq; legitima cognitione præcedente, terras, ditiones ac facultates publicatas & occupatas, easq; in hodiernum usque diem detentas esse.Mirandum quod aduersarij sui prætendant,quod Regiæ Maiestatis amplitudinem ac eminentiam affectarit,seq; inferiorum terrarum dominum constituere conatus fuerit,cum contrarium citra ullam suam excusationem inde facilè perspici queat, quod ad uitandas omnes iniustas suspiciones & coniecturas,commissas sibi,Hollandiæ,Zelandiæ,& Vltraiectinæ diœceseos gubernationes,sponte resignarit,dimiserit,ac pro derelicto habuerit,ac præcipuis ciuitatibus & munitionibus,quas in sua potestate habuerit,uoluntariè cesserit,nec clàm,uerùm publicè ac manifestè in Germaniam,quo omni suspicione eximeretur,sese contulerit. 1568

Id uerò se minimè facturum fuisse,si animus suus ad rebellionem spectasset, prout ab aduersarijs suis,ad obducendum causæ colorem,sibi imputetur: Se solum non pati,sed & rogare,ut ad rei ueritatem indagandam, præcipui præfecti, capitanei, & officiales munitionum atque arcium suæ gubernationi commissarum,summa diligentia examinati audiantur: an unquam à se in priuatum commodum sollicitati fuerint ad traditionem,& deditionem ullius ciuitatis, munitionis uel arcis, prout non solum de hoc articulo, sed & de alijs Belgicis negotijs in sua apologia edita extat.

Quandoquidem itaque pro uarijs ac submissisimis seruitijs, profusione bonorum ac uitæ, Regiæ suæ Maiestati præstitis (ad quæ etiam in posterum ei præstanda paratissimus sit) tam intollerandis criminationibus, quarum coràm Deo & hominibus se innocentem sciat,oneretur, & tam miris artibus ab aduersariorũ partibus petatur,id sibi,ut quilibet uirtutis ac honestatis amans, facilè conijcere queat,longè grauissimum molestissimumq; accidere. Nec uerò aduersarios suos hisce alijsq; actionibus satiatos, sed ante paucas hebdomadas, pro ampliori declaratione animi ipsorum hostilis, Comitem Burensem filium suum,nulla teneræ ætatis ac manifestæ innocentiæ eius ratione habita, Louanio, quò eum studiorum gratia miserit, abduxisse,atque in Hispanias ablegasse. Præterea intra perpaucos dies circiter sexaginta nobilibus, alijsq; personis, ac ciuibus Bruxellis, ac ducentis, in alijs ciuitatibus,eorum bonis ac facultatibus publicatis,uitam eripuisse. Et duos Comites & ordinis Aurei uelleris equites,piæ memoriç Egmondanũ & Hornensem,non attento, quod Carolo Quinto Imperatori,in tam multis bellis,ac præsenti Regiæ Maiestati,tam multos annos,maximis sumptibus,& summo uitæ periculo pro uirili,ut notorium sit, fideliter & benè seruijssent, quinto Iunij præterito,capitali supplicio affici curasse,& post executionẽ, capita hastis affixisse.Deinde,post hãc executionẽ,circiter ducentos rursus incarcerasse.Hisce peractis subditi ita consternati,ut perpaucis ante diebus,aliquot millia hominum,terris inferioribus excesserint: Albanum gloriatum,se non solum Auraicum,sed & alios,qui effugerint,quæsiturum,& extrema diligentia clam & publicè, prosecuturum. Quandoquidem itaque ex hisce factis animaduerti atque intelligi queat, quo Albani eiusq; factionis intentio atque propositum spectent: nimirum, ut non solum se(Auraicum) suosq; confœderatos,alios q; nobiles atque ignobiles,sine discrimine,bonis mundanis,honore ac uita,priuet, atque exigua spes sese ostendat,Regiam Maiestatem pro innata naturæ bonitate atque clementia malis præsentibus remedium hoc rerum statu adhibituram esse. Ideo se hisce consyderatis unà cum socijs atque amicis compulsum, pro defensione sui

1568 ipsius ac Belgici afflicti salute, Cæsareæq; Maiestatis, eiusq; filiorum emolumento denique totius Imperij bono, contra Albani eiusq; adhærentium hostilitatem ad preces multorum Regiæ Maiestatis subditorum, hanc defensionem, tanquam extremum remedium alijs lenioribus nihil proficientibus, in nomine Domini suscipere, etsi eam multo libentius prætermittere maluerit. In ea uerò Deo id attestaturo nihil aliud prætendi uel quæri, quàm ut Dei gloria promoueatur, Regiæ Maiestatis subditi, in pristinæ felicitatis statum reponantur, ac in posterum sub debita obedientia Maiestatis suæ eiusq; successorum conseruentur, Albani eiusq; adhærentium persecutio propulsetur, prouinciæ inferiores præsidijs exteris liberatæ, pristina priuilegia atque statuta à Regia Maiestate corroborata, & iuramento firmata, recuperent, exules, proscripti atque captiui, patriæ, liberis, uxoribus, ac bonis ablatis restituantur. Denique ut suæ existimationi ac securitati, cui clam & publicè insidiæ struantur ac bonis & facultatibus debito modo restitutis caueatur: Cum ea oblatione atque expressa declaratione, si talia cum sufficienti atque idonea securitate obtinere queat, se nòn solum præsenti defensioni penitus renunciaturum, sed & cuilibet reipsa comprobaturum suam mentem non aliam fuisse, quàm ut gloria Dei promoueretur, Regiæ Maiestatis eiusq; terrarum salus commoda ac incrementa de die in diem augerentur, crescerent, & dilatarentur. Et hic quidem Auraici scripti tenor erat, Epilogo ea continente, quæ in fine pro more adijci consueuêre.

Vicesimo tertio huius mensis, qui dies erat Veneris circiter horam primam noctis, Carolus Hispaniarum Princeps, Philippi Regis & Mariæ Ioannis Regis Portugalliæ natæ, filius, quem mense Ianuario certo Palatij loco inclusum diximus, in eodem placidè moritur. De mortis genere, non minus quàm causis custodiæ, uaria sparsa fuêre. Cæterùm si secretiorum negociorum aulæ conscijs fides est tribuenda, immedicabili frigiditate uentriculi, qua decimo nono eiusdem correptus fuisset, die post quinto obijt. Magnum hic obitus Regi Philippo dolorem attulit, magis uerò Belgas, qui maximam de eius, ut terrarum istarum unici hæredis humanitate atque clementia spem conceperunt, in tam tristi rerum statu, turbauit. Fertur autem inter cætera eum statim in initio morbi cum errata uitæ, pro more Ecclesiæ, sacerdoti exposuisset, dixisse, in profesto Iacobi è uiuis se migraturum. Vixit annos uiginti tres: natus anno millesimo quingentesimo quadragesimo quinto, mense Iunio, matre Maria, mense Iulio deinceps uitam dimittente. Itaque, ut Carolo quinto Imperatori circiter id tempus in Germania conuentus Vuormatiæ agenti, nuncius, de Carolo nepota nato, ex Hispanijs allatus lætissimus fuit, sic paulò pòst eam lætitiam nonnihil perturbauit obitus nurus. Vt nihil est in rebus hominum omni ex parte beatum. Porro post aliquot obitus Caroli tempus nunciatur mors Elizabethæ Hispaniarum Regis Philippi uxoris: Caroli Galliarum Regis sororis.

Vicesimo octauo Iulij, Ioannes Finlandiæ Dux, Erici Suetici Regis frater, quẽ incarceratũ ab hoc initio belli Danici diximus: Erico fratre iusto Dei iudicio, conscientia scelerũ in rabiem uerso, ipse cũ coniuge & filio carceribus eductus, fratre sana consilia admittere nolente ac procerũ & populi uoluntate, in urbe Stockholmensi obsesso, sui facti causas, scripto publicè edito, exponit. Quæ cũ tales sint, ut Reges atq; Principes, ab iniustis actionib. & tyrannicis cõsilijs reuocare debeãt, obiter eas cõmemorabimus. Initio itaq; notoriũ esse scribit, qua ratione Ericus statim regni initio, usq; ad hoc tẽpus, seniorib. regni cõsiliarijs spretis perimperitos ac iuuenes cõsiliarios, regnum Sueticũ omnium uicinorum Regũ grauissimo odio atq; offensioni obiecerit, ita, ut multorum

Regum

Regum ac statuum uicinorum, qui antea uiciniæ iura optimè coluerint: armis 1568
concitatis regnum eiusq; incolæ in damnũ irrecuperabile inciderint. Eas uerò calamitates atq; miserias non aliunde, quàm ex sequẽtibus causis profluxisse.

Primò, quod Ericus ex odio quodam concepto, se Ioannem Finlandię Ducem, ex consilio & instinctu malorum hominum, præter omnem spem ac expectationem in arce sua Abonensi oppresserit, ac captum unà cum dilecta sua cõiuge, ad quadriennium, grauissimo carceri incluserit: Simulq; Sigismundi Regis Poloniæ affinis sui dilecti arces Vuittenstein, Parnauu & Karks, absq; ulla legitima causa ui occuparit, atq; præsidijs munierit: Ex quibus difficillimũ minimeq; necessarium bellum octennale, magna ex parte initiũ cœperit, atq; fœderi inter Regem Daniæ atq; Polonię occasio data fuerit. Ac etsi apud Ericum Cęsarea Maiestas, & alij quidam Christiani Principes, atq; nouissimè ciuitates Emporicæ seu maritimæ, de pace intercesserint: tamen intercessioni hactenus, ob inscitiam atq; uesaniam hominis, nõ tantum nihil loci relictum fuisse, sed & legatos ciuitatum maritimarum de industria ad annũ detentos, nec adhuc certo responso dimissos, ita ut regnum per hoc, apud quoslibet magis magisq; inuidia oneretur. Ericum etiam non tantum finitimis Regibus, Principibus atq; ciuitatibus, absq; causa iniquissimis deprędationibus ac latrocinijs damna intulisse, sed & contra remotissimos, utpote Regis Hispaniæ, subditos, piraticam instituisse, hisce cum nauibus atq; mercimonijs summam multorũ thalerorum conscendentibus Stockholmam abductis, spe quidem ad multorũ instantiam facta, se omnia soluturum, sed nullo hactenus quicq; obtinente. Quæ res haud dubiè ulteriori exacerbationi contra Sueticum regnum occasionem datura sit.

Secundò, etsi Ericus Rex, se unà cum coniuge, absq; ulla legitima causa longo tempore captiuum detinuerit, suorumq; ducatuũ reditus perceperit, ac sibi proprijs sumptibus in carcere uiuendum fuerit, non tamen fratrem Ericũ hoc satiari potuisse, sed eo tempore, quo miserabilis cædes Vpsaliæ facta fuerit, Georgium Persam in mandatis habuisse, ut aliquot manipulares subornaret, qui ipsum in carcere ex improuiso obrutum, una cum filiolo crudeliter trucidarẽt: ac coniugem interfecti, hæreditario Christiani nominis hosti Moscouitę legatis, qui propterea in Suecia ad totum annum expectassent, traderet. Id quod & factum, nisi diuinitus impeditum fuisset.

Tertiò posteaquàm hoc impium Regis Erici propositum, diuina Dei prouidentia non successerit, eum ad alias technas confugisse. Nam cum statim ab initio regni constituisset, sibi, ducatus dispositione paterna relictos, minimè tradere, sed omnia paterna atq; materna hæreditaria bona denegata extorquere: cum sub prætextu amicabilis transactionis conatum, se oblatione particulę uastatæ, ac nullo titulo occupatæ Liuoniæ pro utroque ducatu & communi iure bonorum hæreditariorum, non tantum circumuenire, sed & contra omnem fraternam dilectionem in extremam paupertatem conijcere.

Quartò, Erici Regis intentionem fuisse, non solum se Ioannẽ, suosq; cognatos, sed & antiquam nobilitatẽ funditus delere, ut præterito anno Vpsaliæ eius rei rudimentum luculentum ediderit, ex uanis & falsis suspicionibus, & solius Georgij Persæ confictis literis, præcipuis nobilibus captis & incarceratis. Postea ex diabolico & sanguinario instinctu Schuuante Sturone, Comite in Vuesterricke & Barone Heringsholmensi, cognato utriusq;, cum duobus filijs Nicolao & Erico (hoc proprijs manibus interfecto) cum alijs tribus equitibus, in carcere teterrimo necatis: Georgio Persa coram iudicio ac Regni consiliarijs confesso, eos innocentes per suas artes interemptos, atque propterea pro sceleratissimo homicida & perfidissimo nebulone declarato. Se statim post liberationem, ex ore Erici fratris audijsse, quod post hæc patrata facinora, cruciatu conscientiæ constituisset, ex Regno Suetico in Russiam

profugere,

1568 profugere, atque patriam, quam in extremum exitium coniecisse, relinquere.

Quintò, etsi multi Reges, Principes, ac exteræ nationes, Erico amicè obtulerint, se ad regni Suecici conseruationē, cōmodum, atque auxiliū, ipsorū sumptib. copias collecturas, quibus Dania inuaderet, eū nihilominus eiusmodi oblationes non tantū noluisse acceptare, sed & in graue regni præiudiciū repudiasse.

Sextò, se communi consilio Regni consiliariorū à Sigismundo Rege Poloniæ per legatos, pacem diligentissimè petijsse, quo Polonicis atque Borussiacis commercijs liberis, Suetico regno necessaria, tantò meliùs importari, atque auxilia contra Danum subministrari possent, eo à Sigismundo affine responso accepto, se nō solum pacem cum Suecis initurum, sed & de rationibus cogitaturū, quibus Dani cum Suecis reconcilientur: hæc & alia Regno salutaria cōsilia, ab Erico cōtempta iactitante, sed cū Polono & Dano, alijsque tā diu belligeraturū, quoad unus ex Suecis residuus sit. Ex quo colligi facilè queat, eius inscitiā tantam esse, ut minimè spectet ea, quæ ad regni cōmodum & incrementum pertineāt.

Septimò Ericum Regem, ex leuitate atque imprudentia in opprobrium, ignominiam & dedecus regni atque familiæ Regiæ, cōcubinam suam, filiam lictoris, in uxorem duxisse, eamque ad Regiam dignitatem, contra omnem honestatem atque humanum captum euexisse, repudiatis affinitatibus aliorumque Regum et Principum, quæ ei obtingere potuissent: cum tamen extera matrimonia petita, patriæ aliquot tonnis auri constiterint, ac per ea, apud Cæsarem, Reges ac Principes in extremum contemptum deuenerit.

Octauo, etsi Ericus eo tempore quō tyrannica cędes Vpsaliæ fieret, reliquis Regni consiliarijs promiserit, Georgium Persam ut autorem talis cædis punitum iri, atque pro confirmatione eius sacrosanctum Sacramentū sumpserit, cum tamen id unà cum alijs quæ simili solennitate in die coronationis pollicitus fuerit, non tantum non seruasse, sed & Persam in pristinum dignitatis locum repositum, alijs consiliarijs exclusis, prætulisse.

Nono, Ericum Regem contra suos fideles ministros ac subditos multa iniqua egisse, nimirū, quod eos falsis criminationibus delatos in ius uocari & accusari curarit, ac legitimis defensionibus instructos, inaudita causa ex sua libidine & arbitrio Georgij Persæ, contra omnia iura ac æquitatē, imò contra propriam conscientiam ad mortem condemnatit, ac condemnatorum bona hæredibus erepta, Georgio Persæ applicarit, prout & recens duarum cohortiū Germanicarum præfectos, nihil tale merentes, ad metalla cōdemnarit. Eum etiam constituisse quendam latrunculatorem Odolfum Argfelonem, perditissimum nebulonem, qui ea tàm contra rusticos Gothicos, quàm alios exteros egerit, ut decantatissima sint. Eum enim id quod probari posit, ultra mille atque ducentos homines, exiguā ob causam uita priuasse, quo eorū bonis potiretur, atque in mādatis habuisse, ut quaternos ditiores rusticos, ex parochijs Schmalandiç occideret, quo sibi & Georgio Persæ ipsorū bona prædæ cederent, id quod & factum fuisset, nisi latronem istum Deus singulari misericordia extinxisset.

Decimo, Ericum Regem multas nouas & inauditas torturę formas excogitasse, quibus exteros atque incolas regni inhumaniter ac miserabiliter uino adusto, ardentibus peluibus, & alijs modis ita excarnificarit, ut pręe doloris magnitudine ea cōfessi fuerint, quę nunquàm facta sint, uel fieri queant: quodque multos alios manib. ac pedibus uinctis crudeliter in profluentē proiectos submerserit, quosdē etiam in carceribus ueneno necarit, atque ad manus sibimetipsis ex desperatione inferendas, contra Dei præcepta ac omnem æquitatem adegerit.

Vndecimo, Ericum non solum politicos regni, contra ueteres cōsuetudines grauissimis contributionibus & exactionibus penitus exhausisse, sed & Ecclesiasticos enormiter onerasse, sacerdotū antiquis reditibus imminutis, scholarū ac xenodochiorum prouentibus attenuatis, ac iuuentute regni, quæ Ecclesiæ

ac Reipub

ac Reipub. usui esse potuisset, in album barbarorum militum relata, atque ad officium lictorum destinata. Anno 1561

Duodecimo, etsi ex praecedentibus quilibet abunde intelligere queat, Erici Regis intentionem ab initio regni, usque ad hoc tempus, eo directam fuisse, ut te cum fratribus, antiqua regni nobilitate, & regni incolis, in extremas calamitates comjceret, atque in exterorum ditionem redigeret: nihilominus tamen adhuc ut antea, pacem eum respuere, omnia bona consilia contemnere, & eò respicere, quomodo se & nobilitatem regni funditus deleat atque extirpet: cum propterea, ad instituti executionem ministros aureis cathenis donasse, quo se & regni nobiles in nuptijs ipsius uel clàm, uel manifestè occiderent. Hoc uerò consilium à Deo Opt. Max. euersum, & promissionem Moscouiticis legatis factam, uxorem Ioannis fratris Moscouitae transmissum iri. Quae quam, aequa, atque fraterna sint, iudicio bonorum sese committere.

Hisce itaque aequissimis de causis, & praecipuè propter suae & sociorum, atque totius nobilitatis uitae defensionem, & propulsationem iniuriae Erici, pacis, tranquillitatis, ac Christianae politiae in Regno Suetico restitutionem, ad preces populi se compulsum, eius onera, miserias, ac calamitatas respicere, ac eum ab ipsius iugo liberare, cum illa fiducia, bonos omnes huic conatui promptissimo animo adfuturos, & pollicitatione, se praeter debitorum stipendiorum solutionem, omnia officia singulari gratitudine, remuneraturum esse.

Hoc uerò scripto publicato, ac populo, insolentiae Erici pertaeso, ab hoc deficiente, Iohannes Stockholmia dedita, Ericum fratrem capit, atque carceribus, in quibus antea se detinuerat, includit, ita ut quanta regulae iustitiae ueritas, quenquam si patiatur id, quod alijs fecerit, aequitati congruere, dictantis, & quanta rerum humanarum uicissitudo atque inconstantia sit, Ericus commonstrarit, atque exemplo alijs Regibus atque Principibus meritò proponatur, ne potentia elati, ac cupiditate dominationis impulsi, bella minimè necessaria contra finitimos moueant, ac iniustè & uiolenter subditos opprimant, sibi ruinam, ac regnis publicas calamitates accersant. De alijs eius actionibus, quae in scripto fratris expositae fuère, nihil à nobis dici necesse est. Caeterùm quod de nuptijs Moschouitis commemoratur, id omniū teterrimum est: Non etenim sufficiebat Erico, fratrem cum coniuge & filiolo, tot annis dura captiuitate ex falsis suspicionibus premere: sed & neci eum iam unà cum filiolo bimulo destinarat, ut proposito hoc patrato, Moscho barbaro crudelissimo, illustrissimam eius coniugem cōtra fas & ęquū tandem traderet, re cū Moscho ita conuenta, ut is promissis Erici fretus capiendae, & ad se deducendae Finlandici uxoris gratia, non exiguum comitatum uirorum & mulierum in Suetiam miserit. Verùm cernens Deus omnia uindex, dum tanta Ericus molitur, anno praecedente iusta poena eum afficit. Paulò enim pòst, quàm consilium cum Moscho inijsset, fratremque suum è uita tollere statuisset, ipse furore correptus, terrore uniuersum regnum impleuit. Atqui cum nihilominus frater rerum omnium ignarus, ad eum deduceretur, iamque è naui egrederetur, in conspectum eius uenturus, omnibus intentis animis rei euentum expectantibus, furor ille, uel quo Ericus exagitabatur, in admirabilem misericordiam conuertitur, ita, ut in fratris conspecti amplexum rueret, atque ante ipsius pedes abiectus, ueniam admissorum precaretur, eumque lachrymis ubertim fusis liberum esse iuberet: Deo uitam Ioanni diuinitùs conseruante, ac quae ad regni pacem pertinere possent, suggerente. Verùm cum illa nihil apud furentem ualerent, ea, quae diximus tandem subsecuta fuère, alijs sapientioribus cogitaturis.

Ne quotanq;

Anno 1568. *Ne quocunq; trahunt adfectus, prona sequantur*
Pectora, sed iustas legum patiantur habenas.
Et vires hominum discant longe esse minores
Diuinis, metuantq; DEVM, qui vindice dextra,
Haud dubiè humanos properat punire furores.

Prout Phineus apud Apollonium in Argonautico prudentissimè dixit. Et eruditè Stesichorus scripsit, Cicadas in campis sonare tyrannorum scelera, & petere uindictam à Deo: idq; ut sensit Ericus, ita haud dubiè & alij ira Dei exardescente experientur.

Circiter hoc idem ferè tempus, nauis Regis Poloniæ, primæ Rosæ nomen ferens, munitionibus, commeatu, ac socijs naualibus instructissima: cū unà cum alijs nauibus naruam petitura esset, atq; prope Dagerortum, sex milliaribus à Riualia Liuoniæ dissitum, in triremem Sueticā incideret, eamq; iactu pilarum bombardicarum peteret, propria munitione nitrati pulueris incensa, cum omnibus nautis naui impositis miserè submergitur. Nauis ea Reginæ Angliæ cum altera Maijflore dicta, erepta fuerat: Ita ut iniquiorem Poloni, quàm Angli in ea fortunā senserint, Deo uolente, ut quod quis in alio culpet, id ipse nec quoq; præstet, nec se debitas pœnas effugiturum speret.

Octauo die huius mēsis copiæ tam pedestres quā equestres, quas superius à Guilhelmo Principe Auraico conscriptas diximus, circa monasterium Rommersdorff, iurisdictionis Treuirensis cōfluunt, atq; magno finitimorū damno illic & in uicinis locis, usq; ad finem ferè mensis commorantur. Equitatus præcipui duces atq; tribuni erant Fridericus de Rolshausem, Mareschallus Hessiæus nobilis expeditione Gallicana anni 62. quem Auraicus in hoc bello sibi legarat, Theodoricus de Schönberg equitum magister, Iustus Comes Schaumburgicus, Albertus Comes Nassauiensis de Vueylburg, Burchardus Comes de Barbye, Otto de Malsperg, Hermannus Riedesel, & Adamus Vueisius &c. Duces copiarum pedestrium Germanicarum erant Nicolaus de Hattstatt Alsatus, genere nobilis, ac belli peritia clarus, qui quod contra uoluntatem Ferdinandi Archiducis Austriæ Auraico contra Albanum militaret, bonorū in Alsatia sitorum discrimen subijt: præter hunc Vitus Schönerus legionis ductor, ut & Balthasar de Vuolffen Gallorum, quorum non parua manus ei auxilio uenit ductores fuêre, Genlius, Mouius, & Lansacus iunior, qui tamen antequā ad exercitum Principis ueniret in itinera mortuus est.

Nono die Augusti, hora 8. pomeridiana, & aliquot minutis elapsis, idq; post Solis occasum, nocte iā obrepente: uerūtamen cœlo liquido & sereno, Cyprianus Leouuitius Astrologus clarissimus, Laugingæ uidit & obseruauit tres Lunas, spacijs inter se æqualibus, atq; satis amplis distantes: quarū illa, quæ in medio cōsistebat, uera Luna fuit, plena ferè lumine (biduò enim ante oppositio luminarium præcesserat) & natiuū geminumq; colorē obtinuit. Reliquæ duæ Lunæ, quæ ab utroq; latere euidenter apparebant, in gyrum similiter ducebātur, ut uera Luna: sed colores diuersos, inusitatos, ac prorsus deformes habuerunt. Quæ luna à dextro latere ponebatur, & uersus plagā mundi orientalem inclinabat, rubicunda nonnihil & quasi sanguine tincta fuit: Quæ uerò à sinistro latere uersabatur, & uersus plagam mundi occidentalem tendebat, terno colore micuit, ac circulo albescente claudebatur. Prior eius triens, qui scilicet uerā Lunam respiciebat, fuit omnino rubicūdus, ac repletus quasi humano cruore. Alter triens, qui nimirum in medio corporis existebat, ceruleū colorē habuit, permixtum aliqua ex parte colore atro. Posterior triens, qui uidelicet à uera Luna se auertebat, spectās uersus plagam mundi occidentalē, flauum colorem, cum quadā albedine & luminositate obtinuit. Atq; hæc ipsa Luna, quę ita à sinistro latere ueræ Lunæ uersabatur, tribusq; colorib. depingebatur, radios prolixos,

attamē tenues, eosq; flauos, albos, ac rubicūdos sparsit à parte sui corporis, quę exactè inter Meridiem & Occidentē constituebatur. Deinde etiā diffudit alios radios, eosq; ceruleos, flauos ac rubicūdos à parte corporis sui, quæ inter Occasum & Septentrionem ponebatur. Hiq; radij initiò se in latū extendebāt, postea in acutum desinebant, ad formam Pyramidis. Illud tātum notandū, quod quemadmodum uera Luna incedebat, & supra Horizontem magis ac magis extollebatur: ita reliquæ quoq; duæ Lunæ collaterales, eodem modo progrediebantur, altera antecedendo, altera subsequendo ueram Lunam. Sed situs Lunæ ueræ fuit in duodecima cœli domo, unà cum ea Luna, quæ à dextro latere collocabatur: illa autem Luna quæ à sinistro latere decurrebat, in undecimam cœli domum incidit. Ac durauit hoc prodigium ad tres quadrantes horæ, ubi deinde duæ Lunæ collaterales sensim dissoluebantur, & penitus euanuerunt. Neq; uerò Cyprianus solus singula ista uidit ac diligenter obseruauit: Verùm aderant alij quoq; huius rei tetræ spectatores, qui omnes simul in ijsdē ædibus fuēre, atq; è sublimi loco hoc prodigium spectauēre, sicut & alij plures ciues Lauingani id animaduerterunt. Quod cū ita se habeat, haud dubie Deus Opt. Max. re tam portentosa, aliquid mirabile significare uoluit, ut de magnitudine iræ ipsius aduersus nostra peccata, admoniti, securitatem excutiamus, ac pœnitentiam ex contrito & humiliato corde, agamus.

Hoc eodem die nimirum nono, eum Imperator ac Electores Rhenani, magnitudine malorum & incōmodorum, quæ Imperio ex obsidione Treuirensi, in tanta uicinorum regnorum perturbatione accidere possent, perpensa, rem eò deduxissent: ut Elector Treuirensis obsidionem se certis conditionibus soluturum promisisset, oppidani ea re diu multumque agitata, tandem acceptant. Earum præcipuæ erant: Ne Elector ciuium corpori uel bonis molestias inferret, ciuibus de hoc sufficienter caueret. Illi eum cum duobus signis peditum, ac equitibus in ciuitatem intromitterent, & muneribus militaribus fungentes in ædes reciperent, equitibus qui non essent curiales uel aulici, mox è ciuitate dimittendis: peditibus uerò in certa loca ciuitatis destinandis. Adhæc ut Capitanei eorumq; adiuncti Commissario Cæsareo atq; legatis Electorum fidem obedientiæ præstare tenerentur. Ciues sub ingressu Electoris ita se gererent, ut ei occasio primo quoq; tempore discedendi daretur: Ad iurium controuersorum, quæ belli occasionem præbuissent, compositionem quod attineret. Iuridici processus formula utriusq; partis ex legatorum iudicio atq; cōsensu conciperetur, eaq; pro controuersiarum diiudicatione obseruaretur: Atq; ita hoc bellum Treuirense, quod maioribus motibus facillimè occasionem præbere potuisset, tandem compositum est. In totius uerò rei tractatione uirtus atq; industria Hartmanni ab Eppingen legati Electoris Palatini ita emicuit, ut & prudentia atq; integritas eius alijs collegis probata, & oppidanis grata & salutaris fuerit.

Hoc eodem mense Imperator Maximilianus post longa Austriacorū Euangelij doctrinam expetētium desyderia, duobus ordinibus, Dynastis nimirum & nobilitati Archiducatus Austriæ, liberam Euāgelij doctrinæ in Augustana confessione expositæ prædicationem, in eorum arcibus, oppidis & pagis permittit: hac tamen conditione, si de ordine rituū, seu agendorū in templis, cum uetustissimarū Augustanæ confessioni adiunctarū Ecclesiarum exemplo congruente antea conuenîant. In hoc uerò quid factum fuerit suo loco dicetur.

Vicesimo tertio huius mensis Princeps Condensis, quę ad declinandas insidias sibi structas Nucetum se recepisse diximus, cum altitudinem murorū eius loci ab aduersarijs descriptam, atque militem in uicina loca confluere intellexisset, ut ex improuiso obsessus illi caperetur. Nucero unà cū cōiuge grauida, liberis, Admiralio, & uxore Andelotij ipsorūq; comitatu discedit, Angulmesiū domicilium

1568 domicilium Rupefucaldi, non absque periculo petens. Nam cum omnes portus ac pontes Ligeris ab aduersarijs occupati essent, cum eo comitatu fluuium uado transire, atque cum se in domicilio Rupefucaldi, minimè tutum esse animaduerteret, inde Rupellas proficisci coactus est. Circiter hoc idem tempus & Cardinale Castillionæo Admirali fratri insidiæ struebantur, dum in agro Bellouaco commoraretur, quarum certior factus fugam capessit, cum usque ad mare eum persequūtur succenturiali milites: ut quidem ille relicta maiore supellectilis suæ parte, coactus fuerit nauem conscendere, & in Angliam continuo traijcere. Cæterùm Condensis antiquā Nuceto discederet literas ad Carolum nonum Galliæ Regem mittebat, quibus eius fidem implorabat, & imminens toti regno ob uiolatas pacis conditiones periculum ei denunciabat, quas de uerbo ad uerbum huc subijcere placet, ut lector ex ijs perspiciat, penes quos culpa pacis ruptæ fuerit.

Aegerrime (inquit) equidem fero, Rex, quòd in omnibus quas ad Maiestatem tuam scripsi literis, ex quo promulgata pax fuit, aliud tibi ante oculos non posuerim, quàm querimonias lamentationesque undique à ditionis tuæ hominibus profectas, & me etiamnum iustissimæ causæ ad scribendas, eodem argumento literas impellant. Si quis enim unquam meritò conqueri, uicemque suam deplorare apud Regem suum potuit, utpote summum suum Principem dominumque, quem ab ipsis iam natalibus sortitus est (qui secundum ei à Deo perfugium aduersus quamlibet uiolentiam iniuriamque esse debet) me sanè in præsentia, aliosque pariter omnes regno tuo subiectos, quotquot religionem puriorem profitentur, id facere apud te longè æquissimum est. Iam pridem enim modis omnibus uexari, omniquê contumeliarum & iniuriarum genere opprimi cœperunt. Quæ mala illi eo maiore cum patientia perferunt, quod semper sperarunt fore, ut aliquando tandem ab ijs respirare daretur: interimque omnes sibi oblatas propulsandarum iniuriarum occasiones (hæ enim illis Dei beneficio minimè defuêre) ultrò dimiserunt, ne pristinos illos tumultus renouarent. Nequaquam autem, Rex, imputandas tibi iniurias illas esse. nemo nostrûm ignorat aut unquam tale quicquàm de te uel suspicatus est: quum id non solum ab instituto tuo, sed & à præclara tua indole sit prorsus alienum. Atque ita rem se habere cum illæ omnes literæ, quas ad me mittere dignatus es, apertè sunt testatæ, tum uerò is, qui nuper à te cum Regina est habitus sermo, quo quantopere tumultuum renouationem exhorresceres declarabas: ideoque illam uti turbas omnes componeret, & cunctas renouandi belli ciuilis ansas præcideret, etiam atque etiam rogabas: quippe quod nō aliud quàm uastationem exitiumque Galliæ esset allaturū. Cui nam igitur tot iniurias illas, totque mala imputamus? Nimirum hosti aduersus principatum tuum coniurato, alijsque eiusdem coniurationis socijs: quorum coitione & arcanis consilijs factum est, ut sextum iam annum perpetua sint in regno tuo dissidia, quæ illi fouent aluntque per sicarios quos ad patrandas cædes in omnibus huius regni partibus conductos habēt: cædes, inquam, eorum qui factionem illorum sequi recusant. Hac autem in re manifestam Maiestati tuæ iniuriam inferunt, quam uelut captiuam detinent, ut te ipso ad euertendum regnum tuum abutā ur, tuamque ipse existimationem in suum discrimen adducas: atque adeò, dum fidem publicè datam frangere te & uiolare cogunt, non ditionis tuæ hominibus duntaxat, sed peregrinis quoque hoc facto nullam uerbis tuis habendam esse fidem ueluti denunties, quo nihil periculosius & perniciosius esse ijs Principibus potest, qui statum suum illabefactum manere cupiunt. Quid enim quæso, dicturi sunt, & quidem meritò, quicunque intellexerint quàm prompti ad morem tibi gerendum fuerimus, arma exuendo, copiasque nostras amandando quum primum fieri potuit, domos nostras repetendo, nuda pectora gladijs hostium exponendo, idquê sola

tua

tua sollicitatione freti? Quid? committes'ne ut dici posit fidem à te datam, *Anno 1568.* casium instar fuisse in quas delapsi, qui prompto & alacri animo tibi parent, fideliterq́; seruiunt, à malis hominibus trucidarentur? tantum abest ut illorum obedientiæ & fidelitatis gratia relata sit. Quousq; cogi te fines exercitum alere ad tuendos occultos hostes, & eos quos in tua ditione ad tibi seruiendum omnium promptißimos habes? Age uerò, quid dicturi sunt quicunque audient, nos, ex quo pax inita fuit in domibus nostris securè somnum capere non potuisse: imo uerò, quòd uitam nostram certis periculis expositam uiderémus, uxoribus, comitatos, ipsosq; inter manus liberos circumgestantes, sedes & domos subinde commutare coactos? Quid amplius? ex quo etiam in hunc locum non longè ab extremis Galliæ finibus dißitum confugimus, mißi identidem fuerunt exploratores, qui murorum altitudinem metirentur, & quibus artibus imprudentes opprimi possemus circumspicerent. Quinetiam hoc ipso tempore, ne tam insolens consilium frustra captum esset, hunc ipsum locum uersus summissa fuit magna pars earum copiarũ quas in hunc demum usum, circumueniendis uidelicet nobis comparatas tamdiu aluerant, adeò ut nos nunc quoque migrare & ab omnibus rebus imparatos uagari necessitas cogat, donec dederit Deus ut locum aliquem nanciscamur, in quo aduersus consilia eorum qui unà aduersus Gallicam coronam iampridem conspirarũt, tutum aliquod perfugium inueniamus. An uerò ullis historiarum monumentis tale leuitatis genus proditum legimus? Ita ne committes ut fidem à te datam, irritam illi red didisse, qui autem fideliter tibi seruiunt, oppresi fuisse dici queant? committes'ne ut dici posit unius hominis auctoritatem cum suæ factionis hominibus, tibi alijsq; omnibus Principibus, proceribus alijsq; nobilibus uiris, quotquot in hoc regno sedes habent, iugum imposuisse, eoq; te redigisse ut temetipse conficias? Quousque liberum illis erit, patientia tua, nomine & autoritate sic abuti, ut suis ipsius manibus, florentissimum hoc regnum tuum euertatur? Quousquè tandem fideliter tibi seruire credentur qui nunquam non tuam istam coronam non ambierunt, ut eam deinde cum extraneis partirentur? Quousque tandem rebelles esse tuæ Maiestati dicentur, qui ultro & alacri animo sese tuo Imperio subijciunt, cuius arctißimo uinculo iam inde à cunabilis adstricti sunt, & quibus nihil antiquius est, quàm ut tibi obsequantur, ac pacificè sub legum tuarum autoritate uiuant? Nimia tibi prolixitate molestus, Rex, si quæcunque huc pertinent sigillatim persequi uellem. Ideoque cum etiam eadem fusius tractentur in supplici quodam libello, quem tibi ab hoc nuntio offerri iussi, illis quæ ibi dicuntur contentus ero. Maiestatem'que tuam supplex orabo, ut eum in manus sumere, perpendere, & attente consyderare dignetur, tanquam ab eo profectum, qui maximè amplificandæ Regiæ tuæ dignitatis cupidus est, ab eo, inquam, cui nihil magis cordi est, quàm & uiuere, & mori sub arcto illo iugo & obedientia, quam tibi iam inde ab ipsis natalibus debet. Rex, Deum Optimum Maximum precor, ut te sancto suo præsidio asiduè protegat & cum prospera ualetudine quam longißimam, & quam felicissimam uitam tibi largiatur. Et hæ literæ Condensis ad Regem Catolum erant, quibus Regi datis ab eo, qui ipsas perferebat, hic statim capitur, Equitiq; ordinis in custodiam datur, nec quicquam literis illis respondetur. Porrò uerò Condæus cum Rupellas uenisset, tantas copias cogit, quantæ aduersariorum uiribus sustinendis sufficerent, euocato ex Britannia Andelotio alijsq; nobilibus atque proceribus, reformatæ religioni adhærentibus, maximè Pictauis, Sanctonibus, Engolismensibus, alijsq; finitimis & copijs pedestribus per Acierum, Baudinum, Mouuantium, alios'que

Anno 1568. in Languedoco Prouincia, & Delphinatu quotquot conflari poterant mira celeritate conscriptis. Regis mandato omnes dimissæ copiæ reuocantur, nouarum delectus habentur: mandatumq́ue, uti ad decimum Septembris omnes adsint Stapulis. Belli administrandi cura Duci Andegauensi Alexandro Regis fratri adolescenti demandatur, aderant ei tamen peritissimi duces militares. Regioq́ue nomine promulgatur rescriptum à Prouinciarum præsidibus, Regem iubere omnes reformatæ religionis uiros, peræque ac alios suos subiectos, esse in sua tutela: facultatem eis esse expostulandi de iniurijs: uti ex æquo & bono ad illorum defensionem, remedia expediantur illis uerò defendendis Præsides inuigilent.

Circiter initium Septembris Auraicus copiarum quas Rommersdorfi confluxisse diximus delectu habito, tandem inde mouens, Rhenum traijcit, & ad S. Vitum suæ ditionis pagum contendit. In exercitu habebat peditum Germanorum decem millia, Gallorum & Vualonum ut uocantur, millia quatuor, equitum selectissimorum millia septem Ductoribus atque Tribunis quos diximus. In uexillis gestans Pellicanum, cum symbolo, PRO LEGE, GREGE, ET REGE. Machinas bellicas secum ducens decem, sex ut uocantur campestres: quatuor uerò maiores exiguo apparatu necessario atque nitrato puluere instructas. His autumno appropinquante & tempore admodum pluuioso atque iniquo contra peritissimum, & cùm ab alijs rebus necessarijs, tum copijs longè paratissimum, hostem contēdit. Continebat se is, quo Auraicum Mosæ transitus arceret Mastrichi, atque in finitimis locis ualidissimis copijs Germanorum legionibus quatuor, quarum Duces erant Landronius, Philippus Eberfteinius, Schaumburgius, Hispanorum signis quadraginta, Vuallorum totidem, & equitum Germanis, Belgis, Italis, & Burgundionibus constantium millibus octo.

Nec uerò solum robore uirium, sed & arte hostem aduentantem transitu prohibere satagebat. Nam & pontem super Mosam ex nauigijs construxerat, quo loca per quæ hosti ueniendum erat depopularētur, eiq́ue commeatum præriperet, & suis prædatum excurrentibus succurrere posset tribulosq́ue ferreos in loca uadosa Mosæ, per quæ Auraicum nauibus & pantonibus destitutum, transire posse putarat, coniecerat, quibus tam equi quàm pedites læderentur.

Cæterùm Auraicus Aremburgo, ui expugnato, Eppeno inter Coloniam & Duram, & Hormesone castellis Regis Hispaniarum captis, præsidijsq́ue firmatis, ne hostem qui commeatum illi interciperet, post se relinqueret, cum exercitu progressus, Albano minimè conijcere nequeunte: an uel in Gallias ad Condensem, uel in Belgicum tenderet, ad Mosam tandem peruenit, & sursum atque deorsum circa eum uagatus: quo in loco latissimus erat, sed minimè profundus, ipsum cum uniuersis copijs Albani consilijs elusis, suisq́ue illæsis propè Stockheimium traijcit, rapiditate fluminis, muricibus in Oceanum abductis. Mosa siquidem ex monte Vogeso, non longe ab ortu Matronæ & Araris fluuiorum profluens, & per Eburonum, Menapiorum & Sicambrorum agrum labens, tandem in finibus Batauorum parte quadam circa Nouimagium ex Rheno recepta, quæ Vualis appellatur. Oceanum influit, sicq́ue in Celtis oriens Belgis immergitur.

Decimosexto Septembris Iohanna Nauarræ Regina, quæ cognita uiolatione pacis in Gallijs in auxiliū Condensis quadraginta duo signa Vasconū, & octo alas equitum conscripserat, Bergeracum perueniens, Regi, Reginæ matri, Regisq́ue fratri, literis per Legatum Regium ad ipsam missum, causas, cur unà

unà cum filio & filia Catharina sese Condensi coniunxerit, significat. Quia ue 1568
rò eæ grauissimè scriptæ fuêre nec tantum causas redintegrati belli explicant,
sed & illustrissimæ heroinæ constantiam, animiq; magnitudinē omnib. secu-
lis laudandā commonstrant, tenorem earum subijciemus. Ad Regē itaq; scri-
ptarum tenor hic erat.

Quum literas tuas accepi magnam iam itineris partē confecerā, ea quæ con
tigit mutatione perculsa. Neq; tamen prorsus inopinata accidit, utpote hostiū
nostrorū animis ab aliquo iam tēpore eò insolentiæ & modo non, furoris pro
rumpentibus, ut his illa tranquillitatis spes quam tuum pacificationis Edictū
attulerat, extincta omnino fuerit. Huius enim tui Edicti non solum parū ualu
it autoritas, sed Cardinalis Lotharingi instigationibus abrogatum planè fu-
it. Repugnans enim ijs quæ tibi subiectis, qui reformatæ religioni nomē de-
derunt, es identidē pollicitus, tantū suis effecit literis, partim ad supremas curi
as, partim ad quosdā priuatim scriptis, ut nullus Edicto illi locus relictus sit,
sed quæcunq; illo imperabas, irrita fuerint, omniq; effectu caruerint, cuius rei
uel ipsa sum locuples testis, quantum quidē certè ad Aquitaniā attinet. Inte
rim uerò dū suspensos oēs tenuit, resq; in dubio reliquit, non cōtentus stragi-
bus ijs fuit, q̄ passim editæ fuerūt, sed, usq; ad sanguinis tui Principes progre-
di nō dubitauit. Cuius rei exemplū uel in fratre meo Principe Cōdęo, ædidit
quē adeò persecutus est, ut tādem propinquorū auxiliū implorare necesse ha
buerit. Quum aūt & filio meo genere & mihi affinitate tam cōiunctus sit, san
guinis pariter & amicitiæ rationē habentes, illi deesse non potuimus, sed quæ
cunq; illi à nobis præstari hæc imperant obtulimus. Animum tuum profectò
perspectum exploratumq; habemus, quum & literis, & coram etiam uerbis
eum satis superq; testatum feceris: scimusq; alia te à nobis officia non desyde
rare, quàm quæ cum omni fidelitate, obedientia, obseruantiaq; præstare tibi
debemus: quæ quidem huiusmodi sunt, ut ijs deesse ne cum certo quidem ui
tæ periculo uelimus. Sed hoc quoque non ignoramus, te pro tua in nos pro
pensa uoluntate, salutis nostræ, non exitij, cupidum est. Suppliciter igitur te
oro, Rex, ut in bonam partem meam hanc migrationem interpreteris, quum
eo animo unà cum filio meo migrauerim, ut Deo meo tibiq; summo meo Re
gi, ac meo sanguini seruirem: atq; ut uitam omnesq; fortunas meas impen-
derem ad repellendam uim, quam quidam illis inferre conantur, satis apertò
iam marte grassantes. Suppliciter, inquam, te oro, ut tibi persuadeas, tria illa
esse demum propter quæ arma sumpsimus: ad obsistendum ijs qui in ruinam
nostram coniurarunt, & ad seruiendum tibi, tutandosq; sanguinis tui Princi-
pes. Ad me quidem certè quod attinet, in eo me læsit Cardinalis, quòd autho
ritatem potentiamq; tuam in uiolentiam mutare uolens efficere conatus est,
ut filius meus mihi è manibus ereptus ad te perduceretur: perinde ac si sim-
plex & nudum tuum mādatum non satis in illum pariter & me potestatis ha
beret: quum contra tam promptum illum, tamq; promptam me ad tibi serui
endum habeas, ut assiduitatem nostram cum Cardinalis incuria comparans,
ausim tibi polliceri: ut etiam quidam nobilis quem ad tuam & ad Reginæ pa
riter Maiestatem mitto, declarabit: nec non Dominus à Motta, qui plenè de
instituto meo edoctus à me discedit: quod certè nunquam aliud erit, Rex,
quàm ut uitam ac fortunas conseruationi dignitatis tuæ & regni impen-
dam. Hoc autē ut Deus suis donis beneficijsq; magis ac magis cumulet illū
supplex oro, atq; ut tibi diuturnissimam largiatur uitā. Porrò quas ad matrē
Reginam scripserat, eæ & prolixiores & uehementiores erant, ita sonantes.

Initio mearum literarum, Regina, coram Deo pariter & hominibus te-
stabor nihil apud me magis syncerum manere, quàm summum desyderi-
um, quod me hactenus tenuit, tenet, ac tenebit, seruiendi Deo meo, Re-

1568 giq, patriæ item meæ ac sanguini. Quum autem his me deuouerim, non potui mihi temperare, quin relicta domo, ad offerendum illi quicquid in me opis est, ac uitam quoq; ipsam proficiscerer, quod iter mihi iam ingressæ D. à Morta occurrit. Verum te suppliciter oro, Regina, ut si forte longior in literis meis fuero, id tu temporum necessitati tribuas, quæ me tot summis difficultatibus implicauerunt, ut non possim non consilium meum tibi exponere, animiq; mei penetralia tibi reserare, ut in illis ueluti legas omnino contraria illis, quæ (ut mihi persuadeo) confingere & comminisci apud te conabuntur: iterum re etiam atq; etiam oro, Regina, ut excusatam me habeas, si, antequã sermonem de statu rerum mearum instituam, ab eo tempore ordiar, quo Guysiani ea perpetrarunt. Quum nimirum defunctum Regem maritum meum ad se pellexerunt, recuperãdi nostri regni spe proposita. Satis superq; nosti quali tunc hominum generi se permitteret, totumq; traderet, me quidem certe ægerrimè id ferente, ausim uerò dicere & te, tanto enim me honore tunc temporis dignabaris, ut tuo ipsius id mihi testareris. Memineris quæso quam me fidelem experta fueris, quæ, quum uerè de huius regni periclitantis conseruatione ageretur, ei meum erga maritum amorem postposui, adeò ut meos liberos certo periculo exposuerim. De bonis fortunisq; meis taceo, quã illis quæ multo potiora sunt non pepercerim. Recorderis, obsecro, sermonum quos apud me habuisti, quum ex Belloaquensi fonte discederes, & fiduciæ quam in me tunc collatam habueris: cui certè nihil ob ullam rerum mutationem decessit. Recorderis etiam, si libet, me, quum in Vindocinorum fines peruenissem, literas tuas unà cum mandatis accepisse, quibus fideliter obtemperauerim. Veniant denique tibi in mentem quæ meo in Aquitaniam aduentu egi, & quidem ita, ut in omnibus uoluntati tuæ satis fecerim: quemadmodum tuis mihi uerbis œconomus meus Rochus affirmauit. Interea uerò, Regina, accidit ut marito meo orbarer, & calamitatum quibus uiduæ obnoxiæ sunt, particeps fierem. Absit tamen ut nunc, quum de generali rerum statu agatur, commemorem quam uarijs modis priuatim ipsa tractata fuerim. Iterum enim coram Deo & hominibus testor, desyderium quo teneor seruiẽdi Deo meo, meoq; Regi, & amorem quo patriam prosequor, eosq; potissimum qui sanguine mihi iuncti sunt, ita mihi omnes pectoris partes occupare, ut nullus in eo locus priuatæ commotioni relinquatur. Ad ultimos igitur tumultus ueniam, qui tunc initium habuerunt quum Cardinalis Lotharingus unà cum suæ factionis hominibus in eas, quas omnes norunt angustias nos redegit. Per id tempus in mea ditione cõmemorata sum, nullàque in re ullam Regis tuæue Maiestati operã præstare mihi licuit, quod facultas desyderio meo impar esset. Prohibebat enim eorum hostilitate, qui profectò nunc quoque obstacula, si potuissent obiecturi mihi erant. Cæterum eorum quæ toto illo tempore egerim quum rationem abundè tibi iam reddidisse existimem D. à Motta (quem semel atque iterum ad me misisti) ea certè rursus commemorare nihil attinet. Potius igitur quid animum meum angat & obfirmatũ reddat, exponã. Regis Edicta cerno nõ solùm ita infringi, ut cum prætextu aliquo id fieri uideri possit, sed prorsus cõuelli, autoritatem eius prostratam iacere, promissaq; quibus Regiam suam fidem interposuit, irrita & uana reddi: atque horum omnium Cardinalẽ Lotharingum autorem extitisse. Quem certè hominem tibi melius depingere haud queã quàm tibi notum esse scio. Perspiciendum, inquam, præbent, & ij qui cum ex pacificationis edicto quietem sibi tandem tranquillitatemq; intra suos lares pollicerentur, contrà profugi per Galliam uagari coguntur, à sua patria ueluti nutricè intempestiuè ablactati, dum præsidiarij milites eorum facultates compilant atque exhauriunt. Quod que his grauius est Cardinalis ille Lotharingus &

gus,& quotquot eius partes sequuntur audatiores ea patientia facti,eò pro- 1568
gressi sunt,ut etiam aduersus ipsius Regij sanguinis Principes grassentur,qui certè rami sunt ex ea stirpe prodeuntes,quam radicitus euellere statuerũt,posteaquam suis eam ramis spoliauerint. Gallicus igitur stirpis Regiæ sanguis, is est profectò,qui eos tantopere urit: ut etiam ostenderunt in ijs quæ aduersus Principem Condæum fratrem meum, & paruos eius liberos moliti sunt, & adhuc moliuntur,quibus auxilium ferre,ut sanguis filium meum meq; iubet,ita minimè illis deesse certum est. Sed & mandata Losio aduersus filium meum data nolim hoc loco præterire.Hoc autem sicut & cætera, Cardinalis & sociorum eius consilijs acceptum ferri debet. Cæterùm non ignorò fore, ut ad aliarum exemplum,quas accipere undique de his rebus soleo,potius quam ex animi mei sententia scriptas esse has literas dicant ij quibus recitabuntur. Sed (mihi crede) quum nos,quotquot religioni reformatæ nomen dedimus ad eundem omnes scopum tendamus, fieri non potest quin eædem ex omnibus querimoniæ audiantur: nec est quod quisquam à stirpe tàm illustri quàm est Borbonica (quæ Liliorum Gallicorum ramus est) aliud quàm fidelitatem proficisci posse existimet. En tibi, Regina, tria illa quæ me huc perduxerunt. Primum est, seruiendi desyderium Deo meo: quum uideam omnibus ijs, qui religioni reformatæ sunt addicti multas insidias esse paratas. Alterum, ut Regi meo seruiam, & nec bonis, nec uitæ ipsi parcens,perficiam ut eius de pacificatione Edictum integrum seruetur, quemadmodum illius fert uoluntas: atque ut Gallia, patria nostra, mater nutrix'que tot tantaq; uirtute præditorum hominum, minimè ita exhauriatur, ut ultro derelictos suos alumnos mori sinat. Tertium autem est sanguis ipse (ut dixi) qui nos ad ferendas modis omnibus suppetias, Principi Condæo fratri meo uocat,quem profugum quidem adeò persequuntur: minimè profectò ex Regis uoluntate,sed eorum impulsu qui nimium iam diu eum quem minimè promerentur gradum,apud eum,sicut & apud te,obtinuerunt:qui'que uobis oculos claudunt, ne sua facta conspiciatis, & aures obturant,ne querimonias nostras audiatis. Quod utinam,Regina,Deus sanctam suam gratiam tibi largiatur,qua oculos aperiens,& aures referans, intueri audire'que sinat quàm ardenti affectu unusquisque nostrûm ad ea omnia feratur, quæ ad conseruandam Maiestatibus uestris suam amplitudinem pertinẽt. Quum porrò ex ijs quas ad me per Dominũ à Motta mittere dignata es literis manifestè,perspexerim quosdam animum tuum in nos exacerbasse, ex meis nobilibus quendam ad te unà cum illo mitto,ut omnia quæ ad te scribo, ita se habere tibi confirmet: utpote cui fusè omnia exposuerim, & cui hoc nominatim mandauerim,ut te commonefaciat quam tibi necesse sit cùm alijs de causis, tum ad authoritatem tuam dignitatem'que conseruandam,ut ab ijs desciscas qui illam imminuere conantur,ideoq; euertere illos nituntur qui contrà saluam tibi illam manere cupiunt. Explora nos diligenter, discrimenq; inter probos & improbos statue.Deme quidem certè peculiariter hoc tibi persuade, me incredibili pacis desyderio teneri, sed adeò firmæ, ut & impijssimi homines concutere illam non possint. Quod si tanto me beneficio dignaretur Deus ut aliquid opis ad eam conferre possem, tam me beatam existimarem , quàm lubenter & uitam,& reliqua omnia huic rei impenderem. Quod superest Deum precor,Regina,ut tuam Maiestatem tueatur,tibiq; diuturnam ac prosperam uitam largiatur. Porrò literarum ad Regis fratrem scriptarum, uerba hæc erant, perbreuia quidem, sed ponderosa & admodum aculeata.

Scio te, quod ad potestatem attinet,ita secundum à Rege obtinere locum,

1568 ritò omnes quos sibi subiectos habet, illiq; pariter ac tibi seruire parati sunt, meritò in te oculos conuertant: ut omni ope miseram Galliam à tempestate, quam toties in eam incumbere uidemus, defendere uelis. Eam autem inuehit quorundam audatia, quibus illam pessundare unicum semper studium fuit, ut authoritatẽ potentiamq; sibi ædificarent, lapidibus ex eorum ruina comparatis, quibus illa tanquam columnis innititur. Sed uix mihi tantum bonum polliceri audeo, ut aliquod apud te pondus mea uerba habeant: utpote cuius animum aduersarij ab ijs alienaturi sint. Illis enim nihil aliud propositum est quàm efficere ut Regis Edicta infringantur & quicunq; ea salua manere cupiunt, trucidentur. Potissimum autem exitio principum tui sanguinis imminet, ut uel ex ijs patet, quæ nouissimè ad intercipiendum fratrem meum Principem Condæum molitus est. Qui tamen ne primus pacem obrumperet, unà cum uxore paruisq; liberis recessum aliquem petere maluit. Quæ causa filium meum meq; pariter ad hoc iter suscipiendum impulit, ut ijs omnibus quæ Deus nobis suppeditat adminiculis usi, sicut à nobis consanguinitas flagitat auxilium feramus. Te autem suppliciter oro, ne dubites quin, ubicunq; terrarum filius meus & ipsa uersabimur nobis hoc propositum sit, ut Deo & Regi seruiamus, totoq; uitæ nostræ tempore omne illud obsequium persoluamus, quod illi debemus, atq; tibi: cui me cum humili salutatione commendatum esse cupio. Quoniam autem Dominus à Motta singula tibi fusius commemorabit, finem hic literis meis imponam, supplex Deum orans, ut tibi fœlicissimã longissimam uitã largiatur. Nec uerò hisce literis ad Regem, Reginã matrem, Regisq; fratrem scriptis contenta, etiam Cardinalis Burbonio mariti sui, atq; Bondensis fratri iugum Lotharingi Cardinalis non secus, ac si suffraganeus eius esset ferenti scribit, eumq; hisce uerbis compellat.

Regiæ utriq; Maiest. exponent Dñs à Motta, & is nobilis quẽ unà cum eo misi (quod & ex meis ad illas literis potes intelligere) quibus & quàm iustis de causis huc me contulerim, ubi Dominus à Motta me nactus est, de persequendo itinere cogitantem, quod à me ad seruiendum utriq; illarum institutum est: quas certè tempus est ut liberius quàm antea cõmonefacias de extremis, in quas Gallia nostra delapsa est, calamitatib. Nã si quotquot sub Regis ditione sunt, id facere tenentur, quantò magis tu, cui hic etiam honor contigit, ut earum sis consanguineus. Itáne uerò aduersarij nostri te semper ueluti suffraganei loco habebunt? te'ne contumelijs atq; iniurijs in persona Germani fratris, sororum & nepotum, impunè afficient? Quod si te non tangit consanguinitas, prohibetq; religione illorum patrocinium suscipias, saltem conspirationis illius recordare, quam nuper ægrotante Regina moliti sunt unius noctis spatio ea te commouit, & ita quidem ut in somnem illam egeris: sed omnis de illa cogitatio repentè tibi euanuit illorum uerbis pellecto. Quid? si te religio diuersa separat à nobis, ideòne sanguis etiam persequatur? amor ne ille à natura insitus, & quę ab eo proficiscũtur officia, ideo cessare debẽt? Non equidem, mi frater, imò te oro atq; obtestor, ut uindicẽ te pro uiribus præbeas iniuriatũ quæ fratri nostro illatæ fuerũt. Filius certè meus, ut ego, (ille, ut often dat iniurias illi factas in se redundare: ego, ut quo debeo honore prosequar familiam in quã nuptum data sum, & quã pro mea agnoscere cupio) ad illũ pergimus, eo animo ut omnia illi quemadmodũ par est, officia offeramus: ea in re cum omni debita obedientia & fidelitate Regi nostro seruiẽtes. Quoniã uerò mulierũ est, corumq; qui arma nõ tractant (in quorũ numero es) totis uiribus anniti ut pax ineatur, fac obsecro ut firmã illam stabilemq; habere possimus: ad me certè quod attinet, me meaq; omnia huic rei impendã. Hoc prætetea persuasum habe, tria esse quæ me filiũq; meum huc perduxerint: nimirum

Deum, Regem & ſanguinẽ noſtrũ:quibus ſeruire cupimus,ſed quum Dñs à Motta certiorẽ te de ſingulis facturus ſit nihil ſupereſt niſi ut tibi à Deo ſanctam ſuam gratiam uitamq́; feliciſsimam & longiſsimam precer. Et hæc quidem à Nauarra ſcribebantur. Rumore uerò copiarum eius continuo ſe dedit Sanianum Angelicum oppidum munitum & copioſum in agro Santonico itidem arx Blaia maximi momenti Accedunt & Condæo aliæ urbes Fontenæum,Sanmaxentum in Pictauino agro. 1568

Circiter hoc idem tempus Andeloto copijs quas in Britãnia ſumma celeritate pro Condæo coëgerat.Salmuriũ oppidũ ad Ligerim occupare cogitãte, ut & tunc ſibi & in poſterum ſocijs eſſet opportunus traiectus.Martinengius Britanniæ præfectus,uir rei militaris peritiſsimus Regis nomine exercitum contra eum educit,& nocturno impetu ex Andeloti militibus circiter ſeptingentos in pago quodam ignobili,in quo tum fortè pernoctabant occidit,maioremq́; partem diſsipatam,& inopinato caſu perterritam in fugam cõijcit, receptis quinq; ſignis militaribus,quæ ad Regem Pariſios tranſmiſſa tanq; læta ſpolia triumphantium more in templo D.Mariæ ſtatim ſuſpenſa ſunt.

In eo improuiſo tumultu Andelotus qui tum forte fortuna in uicino pago pernoctabat,periculis ſeſe ſubduxit,felici ſibi Martinẽgij errore uſus,quẽ fortuna in auerſum ab hoſte locũ deduxerat, ac recollectis copijs Martinẽgium citato curſu Salmurum contendentẽ,quod iam Regio præſidio tenebatur,ita perſequitur,ut impedimẽta relinqueret,quæ ab Andelotianis capta & direpta fuerunt obtrũcatis ad quadraginta cuſtodib. armatis.Obſtructa uerò per põtes uia trans Ligerim Andelotius aliud conſilium fluuij trãſeundi init,cũq; uado bis per tẽtato fluuius imperuius comperiretur,aquis autumnalibus tumidior,mox tamẽ una ex parte uadum adeo facilè repertũ eſt,ut totus exercitus continuò illac,ſublatis ſignis tranſiret: & pedites armati tormentarijq́; inſtructi,omniaq́; iumẽta & currus,quib. impedimẽta ferebãtur, ad ulteriorem ripam ſine ullo periculo peruenirent ſummo haud dubiè rei nunq; hactenus auditæ miraculo. Inde actis Deo Liberatori gratijs, toto exercitu Pſalmo 73. cantato:Notus in Iudæa Deus, & magnum in Iſraël nomen eius,ita,dum ſe itineri accingũt,conſpiciuntur aliquot equitũ turmæ ad eam partẽ: quibus cõfeſtim miſſæ aliquot turmæ Andelotij mãdato eas in fugã uertũt,nõnullis interfectis,urbe ad tutũ perfugiũ hoſtibus fugientibus commodè tributa.

Inde libero itinere Pictauinam regionem ingreſsi Tuarſium oppidum deditione capiunt:cumq; obuio Amiralio coniungunt ſe Andelotiani : indeq́; coniunctis uiribus Partenæum nobilem urbem capiunt,oppidanis ſeſe ultrò dedentibus : at ſacrificulis cõpluribus,cum temerario ductore (dum ſe ad arcem obſtinatiùs defendere inſtituunt) ab exercitu obtruncatis.Capitur,Orione,Dux Roarius & Rupellam mittitur.

Ad finem huius menſis, copijs ab Andio Aurelijs collectis fulmina regiorum Edictorum repetuntur:quorum uno, omnis relig. ref. uſus atq; adminiſtratio prohibebatur.

Et norunt omnes, ait, Maiores noſtros Reges feliciſsimæ memoriæ, auum & Patrem ut ſe Chriſtianiſsimos & Eccleſiæ propugnatores demonſtrarẽt,omnes legitimas rationes adhibuiſſe,quibus & illa cõſeruaretur & religionis diuiſiones per conciones ſecretas & reprobatorum librorum diſſeminationes,natæ tolerantur.Et poſt infelicẽ obitum patris noſtri Henrici,Optimatum nonnullos,à nouæ opinionis miniſtris concitatos,ſeſe alienaſſe atq; controuerſias mouiſſe,nullo quidem religionis zelo, ſed ambitione regni iſtius gubernandi ſub Rege Franciſco fratre noſtro, quamuis è legum præſcripto maior eſſet,& præterea maritus, atque auctoritate, ingenio, uoluntateq́; ad rectè gubernandum ualeret, cum ſapienti cõſilio Reginæ matris noſtræ alio-

LLll 4 tumq́;

1568 rumq́ optimorum lectiſsimorumq́ uirorũ,qui demortuo Regi patri noſtro
ſemper adfuerant,& ab illo fratre noſtro ueſtigiorum paternorũ ſtudioſo reti
nebantur. Quod perſpicuè demonſtrauit, ille quandiu regnauit:regnumq́
haud dubiè in eam formam reſtituiſſet,qua illud repererat ſi uitam diutiorem
Deus illi conceſsiſſet, tunc tamẽ Regni ſtatu perturbato à nonnullis Optima
tum,qui cum non auderent manifeſte ſuam de Regno occupando uolunta-
tem patefacere,miniſtrorum illorum nouæ opinionis opera,tumultum Am-
boſianum exuſcitarunt, per ſpeciem libelli ſupplicis, cum fidei confeſsione
offerendi Regi fratri noſtro: qui quamuis mali illius authores noſſet, maxi-
ma tamen clementia atque illi naturali, Patris cœleſtis exemplo, cùm ſpera-
ret illius Dei Optimi Maximi beneficio,ſe plus utilitatis relaturum,miſericor
diæ uia,quàm ſuppliciorum rigore,Edicto ueniam dedit omnibus ſuis ſubie
ctis à fide deuijs,qui uiam uellent repetere.

Et alio Edicto eos qui nollent uiã repetere,reliquit in poteſtate iuſtitiæ Ec-
cleſiaſticæ,quæ nõ eſt ſanguinolẽta,dum modo publica trãquillitatẽ minimè
interturbarent.Nihilominus tamẽ Rex à ſua ſpe decidit,per ſecretas optima
tum illorum obſtinatorũ coitiones molientium armis, Regnum adhuc per-
turbare. Et cum rem certò ille reſciſſet,coactus fuit armata manu Aurelian
petere,ut rebus prouideret, conuocatis in hunc finem Regni uniuerſis ordi-
nibus.Quo in loco Deus ad ſe illum uocauit,nosq́ infirmiore ætate ad duo-
decim annos natum minus aptum ad maximum iſtud Regnum adminiſtran
dum.At commodius auxilium quod reliquiſſet nobis Dominus,matris nimi
rum Reginæ conſilium in rerum noſtrarum adminiſtratione, fuit ualdè im-
peditum atque retardatum, minoris noſtræ atque infirmæ ætatis contem-
ptu, ab Optimatibus illis, & poſt fratres noſtros, nobis proximis,& illis qui-
dem ab eadem matre noſtra diſſentientibus,eiq́ repugnantibus, & quò ſeſe
munirent patrocinium nouæ illius opinionis ſuſceperunt,quæ illorum fauo-
re & conatibus mirum in modum propagata eſt atq́ amplificata. Cui rei ut
prouideremus ubi primum inaugurati ſumus, Sangermanum Principes no-
ſtros & priuati conſilij noſtri uiros,& omnes quidem Senatus Pariſini conſi-
liarios adeſſe iuſsimus,& illorum ſententijs Edictum fecimus,quo prohibui-
mus omnem religionis adminiſtrationem aliam ab ea,quæ in Eccleſia Catho
lica,poſt receptam fidem Chriſtianam, ab maioribus noſtris Regibus fuiſſet
recepta & ab Religionis Chriſtianæ Antiſtitibus edocta atque confirmata.
Quod uerò animaduerterent nouæ illius opinionis fautores,ambitioſa ſua
conſilia hoc Edicto maximè impediri,noluerunt pati illud obſeruari : at om-
nibus in locis nouam illam opinionem amplectentes,homines exuſcitarunt,
à quibus Edicti illius noſtri effectio impediretur, & per ſpeciem turbarum
quæ illorum opera per uniuerſum regnum quotidie excitabantur, prætexe-
bant nullo modo fieri poſſe, ut illud Edictum obſeruaretur: & authores erãt,
ut quò eſſet ſolennius & auguſtius ex omnibus Parlamentis exquiſitorum
hominum fieret conuentus, qui de componenda religionis re ſententias
ſuas dicerent,eq́ illarum præſcripto Edictum conderetur: & quidem eo mo
do,dum potentiores ſunt in conſilio noſtro conflato ad ſuum arbitratum con
uentu, quod inſtituerant conſequuntur, uti nimirum duarum religionum
exercendarum facultas tribueretur. Edicto illo Ianuarij menſe facto, quod
Edictum, Regina mater, præter ſententiam ſuam, quæ ſemper pia & Chri-
ſtiana fuit, paſſa eſt obtinere, quemadmodum & cognatus noſter Cardina-
lis Borbonius, Turonius, Dux Mommorencius Conneſtabilis,Mareſcallus
Santandræus primarij & antiquiores è noſtris adminiſtris, quos Pater & fra-
ter nobis reliquerant:qui Reginæ matri tunc demonſtrarunt,minus illud ma-
lum

lum esse, cum illius religionis administratio extra urbes Edictó designaretur: 156
& quod sperandum esset fore, ut cum ad maiorem ætatem peruenissemus,
nostra authoritate & potentia illud emendaremus atque restitueremus. Itaq;
Regina mater singulari fide atque constantia perrexit nos, fratresq; nostros,
& sororem, in Catholicæ, Apostolicæ atque Romanæ doctrinæ, quam maio-
res nostri abhinc mille annos & amplius susceperunt & retinuerunt, & illius
ui præclarè rem gesserunt, ueritate retinere, cuius rei nomine & nos, & omnes
nostri subiecti perplurimum Reginæ matri profectò debent. Et quamuis Edi-
cto illo Ianuarij satis superq; nouæ opinionis hominibus satisfactum esse de-
beret, nisi aliud consilium aliamue uoluntatem habuissent quàm conscientia-
rum suarum libertatem: tamen illa indulgentia nostra minimè contenti pau-
lo post promulgatum illud Edictum peruersas suas uoluntates manifestè de-
monstrarunt, priuata authoritate armis aduersum nos sumptis, nostris urbi-
bus occupatis, peregrinis in hoc nostrum regnum intromissis, & omnibus
hostilibus uijs usurpatis, pugna etiam ad Druydarum agrum in nos commis-
sa, in qua Deus nobis uictoriam dedit, populi sui nobis, subditi misertus. Vt
etiam rebelles nostros subiectos clementia uinceremus & ad nostram obedi-
entiam reuocaremus. Sperãtes fore, ut Deus aliquando, cum ad maiorem æ-
tatem progressi essemus, ad Ecclesiæ suæ obedientiam concordiamq; restitue-
ret, condonauimus eis aliud Edictum, quo suæ religiõis facultatem aliquam
tribuebamus. Et quamuis ex eo tempore ut omnem illis metum, suspitionẽq;
adimeremus, ipsorum etiam sententia multa decreta de pace publica fecisse-
mus: tamen uariè & licentiosè illa uiolarunt: quamuis & nos, ut eorum, pa-
ci bonoq; consuleremus, nostrum illud Edictum, quod ut temporarium, ex
nostræ uoluntatis arbitratu poteramus reuocare, sanctè obseruauerimus, nec
ullam unquam illis occasionem dedimus resumendorum armorum. Quod
tamen nihilominus fecerunt nuper, & ad nos, matrem, fratresq; & sororẽ ac-
cesserunt, prætexentes postea se illò uenisse ut supplicem libellum ad suæ reli
gionis conseruationem nobis offerrent. Nobis tamen manifestè bellum indi-
xerunt, & quidem eò usq;, ut Lutetiam primariam nostram urbem quantum
potuerint, obsederint, multasq; nostras urbes occuparint, peregrinosq; in
Regnum nostrũ introduxerint, & nos ad pugnam in ipsis propè Lutetiæ por
tis elicuerint, ut obsidionem solueremus, in nos denique omnes hostiles uias
usurparint. Dum tamẽ uolumus parcere sanguini nobilitatis nostræ, alio rũq;
nostrorum subiectorum, miserti populi nostri à duobus exercitibus uiolati,
& conantes eos clementia nostra peruincere, illis pacem à nobis petentibus,
idem illud Edictum condonauimus, pollicentibus certò, se illud obseruatu-
ros. Qui tamen præter illam suam promissionem, cum nullatenus nos in E-
dicti oseruatione defuerimus, noluerunt nobis restituere Rupellam, Montal-
banum, Castra & complurimas alias urbes in Oscitana, & conuentus armato
rum hominum uarijs in Regni locis habuerunt, multos Catholicos subiectos
interfecerunt, cum peregrinis belli consilia agitarunt, bellũ deniq; ad Rupel-
lam uicinasq; regiones manifestum excitarunt, eo prætextu, quod nõnullos
à suis dicunt fuisse interfectos: quarum rerum ut haberentur quæstiones &
legitimè supplicia statuerentur, mandaueramus.

Cùm uerò uideamus illos tam sępè nostra abuti bonitate & clementia, nec
possimus de prauo illorũ cõsilio amplius dubitare, uti nimirum cõstituant su
premum alium Principatum, nostro, qui à Deo institutus est, ablato dele-
toq;: istiq; artibus subiectos nostros à nobis diuellant atque disiungãt. Præ-
textu etiam condonatæ illius Religionis & conuentuum, quos agitant spe-
cie suarum Concionum atque Cœnarũ, in quibus fiunt pecuniarũ collectæ,
hominũ delectus, societates, coniurationes, cõsilia, & intra, & extra Regnum

1568 arreptis armis, & quidē ita nobiscum agant ut uicini, non ut subiecti: hostesq; se & uerbis & scriptis, omnibus deniq; modis, demonstrent: ut non possimus illos ullis beneficijs retinere: at omnino conentur nostram dignitatē, nostrāq; religionem abolere: quam à maioribus nostris susceptam parati sumus omnino retinere: agnoscentes hoc summum Dei beneficium, qui huc usq; nobis illam cōseruarit, aduersus tot tantasq; malarum artium machinationes, & nobis hoc tempore tribuerit opportunè ætatem, ingenium & facultatē regni nostri administrandi: & adiutorē fratrem ducem Andegauensem, summū nostrū legatum, nostræ dignitatis studiosum & religionis unitate cōcordē atq; unanimē, ut est quoq; Dux Alenconius frater. His de causis & alijs quāplurimis grauissimis, de matris nostræ, fratrū, Principū, consilijq; nostri uirū sentētijs & iuditijs, Edicto irreuocabili & perpetuo inhibuimus, atq; inhibemus omnibus cuiusuis cōditionis per uniuersum regnū subiectis nostris, statuo capitis, fortunarūq; omniū supplicio, aliā religionē quàm Catholicā & Romanam, quam maiores nostri tenuerunt, & nos illorū exemplo etiamnū tenemus. In hunc uerò finem decernimus. Vt omnes illius religionis ministri, intra 15 dies ab Edicti istius promulgatione ex omnibus regni nostri finibus discedant. Nolumus tamen illos homines religionis, quæ uocatur, reformatæ, in conscientijs suis uexari dūmodo ne aliæ religiōis, præterquàm Catholicæ & Romanæ, ullā agant ullibi administrationē. Hac nimirum spe illud cōdonantes fore ut aliquādo instinctu diuino & Ecclesiæ antistitū diligentia omnes nostri subiecti in unam religionē reuocētur. Omnibus uerò qui uigesimo ab literarum istarum promulgationis die, arma deposuerint, & pacatè, ut fideles subiectos decet, uixerint, omnē culpam noxāq; earū rerum omniū cōdonamus, quæ ab illis aduersum nos familiāq; nostram fuerint agitatæ: quos oēs si nobis obsequantur in nostrā tutelam patrociniūq; sumimus: nostrisq; administris omnē erga illos rigorem seuerè inhibemus. Et omnes dissensiones inter quoscunq; tandem extiterint, communes seu priuatas perpetuo silētio sepeliri uolumus: omnesq; adeò iniurias seu uerbo, seu reipsa, inhibemus. Qui secus fecerint, rebellium pœnas ijs cōminamur. Viginti uerò diebus præteritis aduersus obstinatos omnium legitimarum rationum summo rigore agemus: nec illis ullo modo parcemus. Hoc Edictum uolumus ubiq; promulgari & seuerè obseruari, nosq; rerum singularum indies diligenter admoneri. Quas res nostri administri industriè curent.

Aliud Edictum omnibus publicis munerib. seu fori seu ærarij, interdicebat ijs qui reformatam religionem professi essent. Eos qui arma non sumpsissent, at pacatè domi uiuere instituerent abdicabat quidem planè Magistratu: ita tamen ut præter commune illud beneficium ab superiori Edicto tributum pacatè domi uiuendi, promitterentur etiam certi aliquot annui reditus ad ærarium Parisini Prytanæi, qui & ipsis perpetuò deponderentur.

Hæc Edicta summo studio ab Parisino primū senatu, deinde ab omnib. alijs summis Regni curijs recepta maiori etiā alacritate atq; celeritate promulgata fuerūt eodē die, omnibus solennibus ritib. diligēter obseruatis, quasi Regno post diuturni belli uexationes diuulso profligatoq; iucūdę pacis nūcius affulgeret. Latuerant domi ista edicta ab Regijs consiliarijs iam pridem quasi Regio mandato descripta, Hispaniarum tamen Regi, Pōtificiq; ostētata ad spem fœderis efficiundi at tunc demum promulgata fuerunt, & aptè quædam, temporis rerumq; habita ratione, accommodata. Et præter fœderis illius præstationem erant aliæ causæ quæ Ecclesiasticos homines aliosq; omnes Pontifices, & quidem maioris notæ ad arma alacrius sumenda, pecuniamq; ad bellū liberaliter contribuendam, uehementer incitarent: nimirum maximarum facultatum proscriptiones, quibus per illa Edicta patefiebat aditus.

Allatum

Allatum etiam erat Pōtificis Romani diploma, quo cōcedebatur Regi, ut ex Ecclesiasticis facultatibus ad pecuniæ summā quæ annuos redditus quinquaginta millium aureorū æquaret, distraheret diuideretq́; causa addita, ad bellum hæreticis inferendū, illosq́; aut planè delendos, aut ad Romanæ Ecclesię obedientiam reuocandos: multa prius locutus de immani hæreticorū audacia, deq́; illorum nefandis cōsilijs, quæ cum Germanis Anglisq́; agitant. Sed quod Edictū superius Regis tempore antecederit, & expreßiores illa de hæreticis delendis causæ adiungerētur, Cancellario Hospitalio sententiæ illius principe nonnullis consiliarijs Regijs uisum est minimè opportunum: quòd ita uideretur bellum à longo tempore apparatum, fœderisq́; illius sacri, quod tam studiosè celatum fuisset, perspicua indicatio. Itaq́; statuitur aliud diploma à Pontifice curādum: interea istius usus esset, propter præsentes neceßitates. Hospitalius propter illam subtiliorem monitionem, odium maius: & ut ad ea tempora parum utilis, domum est continuò amandatus. 1568

Decimoquinto Octobris Nauarræa quam superius Rupellā conceßisse diximus, rem illic grauiter gerebat, nauibusq́; aliquot instructis quo orā illam maris tutaretur, & facilior esset aditus in Angliam quam amicam esse maximè causæ intererat, ad Angliæ Reginam literas dat per Castellerium nobilem uirum quem claßi illi præfecerat: susceptiq́; belli rationibus explicatis, sese ei causamq́; commendat. Et præter, ait, uoluntatem Sereniß. Regina quā maximam semper habui, ut in tua beneuolētia perseuerarem, offertur hodie occasio, quæ profectò me grauiter accusaret, nisi tibi per literas significarē causas, quæ me huc cum liberis quos mihi commodatò tribuit Deus, adduxerunt, & tantò grauior esset mea culpa, quantò ille pro sua maxima bonitate tot tātaq́; tibi contulit beneficia, talemq́; zelum dedit ad propagationem gloriæ suæ, tibi nimirū Reginæ, quam ille elegit singularē Ecclesiæ suæ nutricem. Iure igitur optimo ad te referuntur, quæ ad istam ueritatis & Ecclesiæ Dei defensionem spectant. Atque equidem, ut norim te generalem rerum nostrarum statum rescijsse, oro te etiā atque etiam Illustrißima Regina, tibi persuadeas, tres esse causas (quarum uel minima satis uirium debet habere) quæ me, ut è ditione mea huc uenirem, coēgerunt. Prima nimirùm est religionis causa, quæ in hac nostra Gallia optimatum quorūdam multis artibus opprimeretur, ut me mei proculdubio puduisset, meum nomen inter fideles censeri, nisi, quò me huic errori atq́; horrori opponerem, ad istius causæ defensionem oēs facultates rationesq́; quas mihi tribuit Dominus, cōportassem, & nisi filius meus & ego cum hoc tam illustri Principum Optimatumq́; cætu nos cōiunxissemus, qui omnes quemadmodum ego, & ego quemadmodum illi cōstituimus Maximi illius exercituum Dei auspicijs & nutu, nec sanguini, nec uitæ, nec facultatibus ullo modo ad hāc rem parcere. Secunda causa, quam prima nimirùm secum trahit est nostri Regis Obsequium: quandoquidem religionis ruina, sit Regis & Regni ruina: quorum conseruandorum eo uinculo obligamur atq́; obstringimur. Et quoniam filius meus, & ego hunc locū honorēq́; à Deo consecuti sumus, ut Regem sanguine proximè attingamus, hæc res nimirùm, Serenißima Regina, compulit nos ut festinaremus, & nos ijs opponeremus, qui Regis nomine & facilitate abutentes, cum ipsum efficiunt suorum detrimentorum auctorem, & (quamuis per se sit feracißimus fideiq́; suæ tenacißimus) suę fidei suarumq́; promißionū uiolatorē per eas artes ac uias, quas ad pacificationis Edictū perfringēdum cōmenti sunt. Quod quippe Edictū, ut, dum integrè obseruaret pacē inter Regem fidelesq́; suos subiectos cōtinebat fouebatq́;: ita, uiolatum, eorundem subiectorū fidelitatem inuitat ad luctuosum bellū, & ita coactū ut nemo sit nostrū, qui nō ad illud uiolēter pertrahebatur. Tertia causa Sereniß. Regina, filio mihiq́; peculiaris est: nimirùm, quòd animad-

1568 nimaduertimus antiquos capitalesq; Dei nostræq; familiæ hostes im pudẽti exitiosaq; malitia constituisse genus nostrum omnino abolêre, cùm & Princeps Condæus frater meus, ut cõsilia aduersum ipsum familiamq; inita euitaret, coactus fuerit cum uxore & liberis locum perfugij securitatisq; perquirere. Præterquam quod etiam certo cognoram delegatos fuisse certos homines qui mihi per insidias filium abriperent meum. His nimirum argumentis rationibusq; concitati, non potuimus non in unum conuenire, ut unà cõiuncti uiueremus & moreremur: quemadmodum sanguinis uinculum quo sumus mutuo coniuncti, huic rei nos obligat, atq; adeo ut id faciamus, imperat. Hæ sunt, Regina, tres causæ quæ me ad ista arma compulerunt: Haud quaquam cœlo per illa bellum gerimus, nec Regi nostro: Maiestatis, nec diuinæ, nec humanæ sumus Dei beneficio, rei at & Deo nostro & Regi nostro fideles sumus. Quod oro etiam atq; etiam tibi persuadeas, & nos tuo auxilio & fauore iuues: matrẽq; & liberos, tuæ dignitatis tuiq; obsequij per studiosos, habeas commendatos.

Nimirum fidelibus Anglia maximè fauit secunda hac in grauissimis tẽporibus beneuolentiæ demonstratione, Gallos sibi necessarijs beneficijs in perpetuum obstringens atq; obligans, exulibus etiã tuto ad perfugiũ loco liberaliter tributo & tenuiorũ inopia munificè subleuata in istis bellorũ tumultib.

Decimosexto Octobris Cæsarea Maiestas legatum Gallicũ qui ad ipsam & alios quosdã Germaniæ Principes à Rege ablegatus erat, ut de insolẽtia subditorum, qui rursus arma cœpissent conquereretur, & ab ea peteret, ut sua autoritate obsisteret ac inhiberet, ne Condianis è Germania suppetiæ siue equestres, siue pedestres subministrarẽtur, Vienna dimittit, resposo huiusmodi, ut se calamitate regni florẽtissimi ex animo affici: petitioni uerò Regiæ minimè annuere posse ostenderet: quod quidem cum & humanitate, & prudentia plenissimum, multorumq; notitia dignum sit eodem tenore quo hinc inde diuulgatum fuit subijciemus. Post præfationem itaq; solitam. Quod (ait) Orator de insolentia quorundam subditorum Serenissimi & Christianissimi Regis retulerit, qui neglexerint Serenitati eius debitam obedientiam præstare, posthabitis etiam & contemptis uiolatisq; tam pactis cõuentis, quàm Regijs Edictis, in Regno isto æditis, & præsertim Principis Cõdæi, ut qui huc usq; apud Seren. eius nunq; comparuerit, nec debitæ submissionis & humiliationis officium, prout tenebatur, Serenitati eius exhibuerit: sed potius cum suis præcipuis sectatoribus & complicibus sinistra consilia agitauerit, nouisq; motibus excitandis studuerit. Et quod Sereniss. eius istiusmodi illorum contumacia & temeritate coacta fuerit, contra eundem Principem ac eiusdem sectatores & socios, & quoscunque alios eius religionis complices arma capere qua illos omnes regno Frãciæ expellat, & in eo unius tãtum religionis, nempe Catholicæ, usum ac exercitium instauret, &c. Maiestatem suam Cæs. diffiteri non posse, quin his intellectis non parum perturbata fuerit. Neq; enim cõmiseratione & dolore indignũ esse, quod florentissimus regni istius status, nunc rursus in eandem ex qua nuper primum uix ægerrimè emerserat calamitatem reciderit, quoniam manifestum sit, non solum ex antiquissimis præteritorum seculorum exemplis, sed & ijs, quæ nostra primum ætate, multis in locis acciderint, quantum damni semper dederint Reipub. Regum, Principum, ac subditorum discordiæ & intestina bella. Ideoq; Maiest. suam Cęsareã ut Imperatorem Christianum pacisq; & tranquillitatis cõmunis semper cupidissimum, non abs re, singulari cura & solicitudine affici, propter istud tam præclarum Christianitatis regnum, in eo que perinde ac in alijs omnibus regnis & prouincijs Christiani orbis, nihil magis cupere & optare, quã communem concordiam & quietem seruari atq; custodiri, & à fundendo sanguine

Christiano

Christiano abstineri. Cum iam satis superq; infideliũ armis & continuis in- 1581
cursionibus atq; imẽsa potentia Christianorum uires sint attritæ, nec opus sit
eas etiam domesticis motibus magis affligere.

Equidem Maiestatem suam Cæsaream existimare, Serenissimum & Christianissimum Regem, ad hoc nouum bellum contra subditos suos suscipiendum, non nisi urgentissimis causis fuisse impulsum, & priusquam rem tãtam aggrederetur, accuratissimam adhibuisse deliberationem, adeò ut fortasse superuacaneum esset, Maiestatem suam Cæsaream de eiusmodi consilio & instituto aliquid in medium afferre, ne quis putet Maiestatem suam Cæsareã, quid ipse agat, in regno suo modum uel legẽ præscribere. Non posse tamẽ Maiestatem suam Cæs. quid ipsa sentiet & optet, planè reticere: Maiestatem nimirum suam Cæsaream consultissimum censere, eas rationes & uias iniri, quibus Christiano sanguini parceretur, & inter Regem ipsum Christianissimũ, eiusq; subditos mutua concordia ac firma & bona pax sanciretur, adeoq; amplissimo illi regno pristina trãquillitas restitueretur, eaq; occasione Serenitati illius istæ tam graues curæ atq; molestiæ minuerentur adimerenturq;. In quo siquid possit Maiestas sua Cæsarea boni præstare & promouere, in eo se promptam & beneuolam exhibituram.

Nam ne enumerentur pericula & incõmoda publica, quæ uideãtur ex istis motibus Gallicis toti Reipub. impendẽre, quorum utiq; rationem haberi cõueniat, Maiestatem suam Cæsaream, magnopere uereri, ne bellum hoc, quod alij interpretentur moueri contra Edicta nouissima, quæ primum per Serenis. quondam Regem Franciscũ fratrem ac prędecessorem ipsius Christianissimi Regis, & postea etiam per Serenitatẽ eius de religiõe fuerunt ædita atq; promulgata, Serenitatem eius passim in grauissimam inuidiam adducat. Siquidem iam etiam latè per Germaniam (ubi res ista dudum percrebuerit.) de Serenitate illius ac potioribus consiliarijs eius ob id ualde incommodi & odiosi circumferãtur sermones, ex quibus non obscurè liceat colligere, præter Seren. Reginam Angliæ, de cuius animo iam Regi Christianissimo ex oratoris eius declaratione bene constet, non defuturos etiam alios haud paruæ conditionis Principes, qui non solùm fauore & quadam animorum propensione in partes subditorum illorum sint inclinaturi. Verùm illis etiam re ipsa propter communitatem causæ quicquid possunt auxilij laturi.

In qua quidem animorum exasperatione Maiestatem Cæsaream non uidere, quid utilitatis Serenissimus & Christianissimus Franciæ Rex sperare & percipere possit ex illo, quod Serenitas eius requirat à Maiestate sua Cæsarea, auxilio & promotione, pro conscribendo si opus sit in Germania milite, uel quantopere etiam Serenitas eius hoc rerum & temporum statu auxilijs Germanicis niti queat.

Longè maiores autem difficultates habere quod secundo loco à Maiestate sua Cæsarea ex parte Serenissimi & Christianissimi Franciæ Regis postuletur, ut scilicet Maiestas Cæsarea obsistat, inhibeat, & authoritate sua impediat, ne Serenitatis eius subditis aduersarijs è Germaniæ suppetiæ siue equestres, siue pedestres subministrentur. Si namq; anno præterito cum belli causa esset plausibilior, Rege Christianissimo authoritatem suam contra inobedientes subditos uendicante & tutante, Cæsarea eius Maiestas summa adhibita diligẽtia non potuerit impedire ne admodum numerosæ copiæ equitum & peditum Germanorum in subsidium illorum, qui tum contra Serenit. eius arma cœperant proficiscerentur. Quid iam faceret Cæs. sua Maiest. cum lõgè alia quàm antea, adeoq; odiosissima belli causa, quam multi sibi cum ijsdem Serenitas eius subditis cõmunem esse statuant, expressis uerbis proponatur & publicetur? Quin imò periculum subesse uideatur, si Maiestas sua

1568 Cæs. sese illis qui partibus dictorū Serenit. eius subditorum faueant oponere, & interdictis à ducendis, in Galliā copijs, illas retrahere conetur, ne arguatur facere contra libertatem Germaniæ. Et sic Christianissimo Regi nihil prodesse, Verum etiam semetipsam in odium grauissimum & suspicionem conijcere, quod ipsa quoq; sese istiusmodi belli participē reddat, postpositis ijs, quæ in hac parte Maiestati suæ Cæsareæ pro Cæsarei sui muneris ratione incumbant. Cum tamen Maiestas sua Cæs. omnibus modis sibi cauendum ducat, necubi Imperatorio officio suo defuisse uideatur.

Ita existimasse Maiestatem suam Cæsareā sese facturā rem sua integritate dignam ac fraternæ, qua complectatur ipsum Christianissimū Regem, beneuolentiæ ualde congruam, si hæc quæ Maiestati suæ Cæsar. in hoc tam arduo negotio occurrerent, & quid Maiestati suæ Cæs. de ijs omnibus uideatur, Serenitati illius ingenuè & cādidè proferret. Quæ ut ex animo proficiscantur integerrimo, ipsiusq; Christianissimi Regis amantissimo, & pacis deniq; & utilitatis publicæ studiosissimo: ita quoq; sperare Cæsar. Maiest. Seren. illius ea in optimam partem accepturam esse, cui Mai. sua Cæs. iterum atq; iterū pacatū & tranquillū Regni gubernū & optatā in rebus omnib. fœlicitatē præcetur.

Vicesimo Octobris conuentus Theologorum Electoris Augusti & Iohannis Vuilhelmi ducum Saxoniæ tandem Aldenburgi inchoatur. Cum enim longo tempore inter Scholarū atq; Ecclesiarum utriusq; dictotum Ducū doctores de quibusdā Christianæ religionis articulis tanta certamina atq; dissidia fuissent, ut utrinq; se corruptelarum, errorum, & defectionis à confessione Augustana insimularent, ac scriptis hinc inde æditis ac sparsis arguerent. Illustrissimi Principes Elector Augustus & Iohānes Vuilhelmus Saxoniæ Duces, perspicientes eiusmodi certamina minimè ad ædificationem facere, sed summam necessitatem efflagitare, ut ad propagationem uerbi Dei, & confessionis Augustanæ, inter Scholas, Ecclesias, Concionatores atq; Theologos ditionis utriusq; Christiana concotdia foueretur, & mutuus consensus in doctrina ad posteros transmitteretur, è re fore statuerunt, aliquot præcipuos, doctos atq; pacis studiosos Theologos cum aliquot politicis cōuocare, ijsq; iniungere, ut de controuersis articulis amicè, placidè, atq; Christianè ex uerbo Dei colloquerentur, atq; quoad id fieri posset, conciliarentur.

Forma uerò colloquij utrisq; approbantibus esset, ut duodecim Theologi, & sex Politici absq; ullo mandato, quod iam instructionē uocant primo Maij Ceitzam mitterentur: nimirum à parte Electoris Augusti sex Theologi, Politici tres cum uno Notario: nomine uerò Iohānis Vuilhelmi totidem. Vterq; quos Theologos atq; Politicos missurus & ad hoc negotium deputaturus esset, alteri mēse antè significaret. Theologi in præsentia Politicorū de articulis controuersis remotis omnibus affectibus, pro inuestigatione ueritatis, amicè, placidè, Christianè citra ullum præiudicium colloquerentur & conferrent: nimirùm de articulo iustificatiōis, & quomodo in eo de necessitate operum loquendum: Secūdo de libero arbitrio & articulis ab eo dependētibus. Tertiò de Adiaphoris. Politici, quò hæc rectè & ritè perficerētur, attenderēt, & re, & necessitate exigēte colloquētes cōmonefacerēt, quò colloquium ordinatè ac placide administraretur. Si Theologis necessarium uiderēt. Scripta quædā de articulis cōtrouersis ędita inspici, ea ꝓponi, & examinari, ac Theologos inter se inuicē amicè cōferre debere. Facta collatione, & disputatione finita, ac Theologis consentientibus hi formulā in scriptis cōprehenderent, quomodo de tribus istis articulis in Scholis & Ecclesijs Christianæ atq; secūdum normam uerbi Dei & cōfessionis Augustanæ ad euitandam sententiarū diuersitatem doceri, prædicari ac scribi deberet. Placito & cōuētioni Theologorū utrorūq; relinqueretur, quomodo Antitheses doctrinatum in dictis tribus articulis cō-

cipien-

cipiendæ, & quæ locutiones ac propositiones, ut falsæ ac dubiæ in Scholis & Ecclesijs fugiendæ essent. Omnia uerò solùm ad doctrinas & res ipsas dirigenda, nec ullam condemnationem personarum instituendam esse. Anno 1558.

Si diuina gratia affulgente Christiana concordia inter Theologos coiret, & eius formula ab ipsis inscriptis redacta esset, Politici consiliarij quoad Principes inter se de publicatione eius & alijs necessarijs pro conseruatione Christianæ concordiæ conuenirent, de formula recessus statuerent. Cæterùm conciliatione Theologorum in uno uel pluribus articulis hac uice non procedente, nihilominus articuli, de quibus conuentum esset, scripto comprehenderētur, & Principibus unà cum necessaria, ac luculenta relatione de controuersis adhuc mitterentur, eorumq; sententiæ consilio ac placito relinqueretur, quid in ijs pro Christiana concordia agendum & suscipiendum esset.

Adhæc Politici consiliarij Theologos diligenter admonerent ijsq; nomine Principum iniungerent, ut interea temporis quoad Elector cum agnato alijs legitimis ac Christianis medijs dissensionem de articulis controuersis tolleret (ad quod ut maturè id fieret haud dubiè uterq; ipsorum propensissimus esset) omnibus insectationibus, conuitijs & diffamationibus personarū scriptis atq; uerbalibus utrinq; abstinerent. Et hæ quidem leges colloquij utrinq; in die trium Regum anni huius Vinariæ approbatæ erant. Cæterùm ob uaria negocia incidentia re dilata, ac loco mutato die tandem quo diximus Aldenburgij conuenitur. Porrò uerò Politici & Theologi utriusque partis hi erant, Iohannes Vuilhelmus Dux Saxoniæ, &c. Ipsemet præsens, inspector & gubernator colloquij: Electoris Saxoniæ Politici, Iohannes de Bernstein, Iohannes de Zescha, Laurentius Lindemannus Iuris Doctor: Theologi Paulus Eberus, Henricus Salmuth, Andreas Freihub, Petrus Prætorius, Theologiæ Doctores Casparus Cruciger Iunior, Christianus Schutz, Hēricus Mollerus Notarius, Magistri. Iohannes Vuilhelmi Politici, Eberhardus de Thanna, Petrus Premus Iuris Doctor, Henricus ab Erpha: Theologi Iohannes Vuigandus, Iohannes Fridericus Celestinus Doctores. Christophorus Irenæus, Bartholomæus Rosinus, Alexius Bresnicerus, Timotheus Kirchnerus, Martinus Burggrauius Notarius, Magistri.

Circiter hoc idem tēpus nimirū die 20. Auraicus, quē Mosa traiecto in Belgicæ ditionis agrū uenisse diximus, auxilijs Gallicis secum coniunctis, omnes uias præclarè quidq; agendi tentat, atq; ut hostē ad præliū eliciat, fluuium qui Diœcesim Leodiensem à Brabantia disterminat, Tilmonte oppido, ad dextrā relicto, transit, ac cum hoste minimè de summa rerum decertare uolente, quod hic fortunę inconstātiam uereretur, multas leues pugnas uario successu usque ad uicesimum septimum eiusdem mensis committit.

Vicesimoquinto Octobris, cū Acierius nobilis Occitanus pro Condæo copijs conscriptis ac Rhodano traiecto ad Perigordiū peruenisset, ductorib. Petrogordio ac Mouuantio cōsilium eius negligentib. horum copiæ in agro Pictauino à Regio exercitu ualidissimo, quē Montpenserius & Brisacus ductabant, fugantur, qui septēdecim signa equestria à Mouuantianis recepta, Duci Andegauēsi Regis fratri, summoq; militiæ Imperatori per prouinciales ad Senonū urbē transmiserunt: occubuêre itidē Mouuātius Petrogordiusq;: at Acerius omnib. collectis copijs & Mouentianis reliquijs: Postridie uenit Albeterram uicū Montpenserius uerò nihil aliud molitus Perigordiū urbē regredit.

Primo Nouemb. die, Acierij copijs residuis cum Condæo coniunctis, continuò de Montgenserio persequēdo consiliū initur: & ad eā rē copijs equestrib. primę aciei assumptis, & Occitanorū tormētariorū maxima parte, Amiralius Bertriziū uicū contēdit ubi substitisse hostē nuntiabatur: at re explorata, compertum est illum maxima celeritate discessisse: itaque re infecta ad Condæum

redit

narrationibus celebrem ut totis uiribus belli aleam tentarent, periclitarenturq́;,contra Heluetiorum agmen duxerunt. Sed Heluetijs in æquiorem locum ſeſe recipientibus, ſclopettarij regij rem geſſerunt, ita ut poſt quatuor horarum ferè uelitationes, ſub noctem Hugenoti receptui canentes, ſpacio miliarij Gallici recederent. Sed poſtridie Hugenotis in aciem rurſus prodeuntibus, uterq; exercitus ſub ſignis totum diem conſtitit neutris æquiore loco cedere, pugnamq; tentare uolentibus. Ita tandem Hugenoti conuulſis ſignis caſtra mouerunt. 1568

Vicesimotertio huius menſis tres naues Hiſpanicæ precioſiſsimis mercimonijs & ſumma pecuniæ octingentorum millium coronatorum oneratæ, cum ad euitandas inſidias Condenſium in Angliæ portum appuliſſent, publica autoritate detinentur, ac, ut uulgò dicitur arreſtãtur, de quo latiùs ſuo loco dicetur.

Vicesimoſeptimo Iohannes Vilhelmus dux Saxoniæ, quem ſuperiùs ad conuentum Theologorum, Aldenburgium ueniſſe diximus, Antonium Fumæum legatum Gallicum, qui eò ad ſollicitanda auxilia pro rege uenerat, reſponſo uerè Chriſtiano, dignoq; maioribus ſuis dimittit: nimirùm ſe magno animi mærore percepiſſe contra conuentiones in proximo bello initas, nouos tumultus in Gallijs ortos, & iterum ad arma uentum eſſe. Celſitudinem enim ſuam, ut & illuſtriſsimos maiores ſuos ſingulari amicitia & beneuolentia erga Reges & Regnum Galliæ affectam eſſe. Inteſtina autem bella omnium eſſe pernicioſiſsima, & plerunq; ſemina diuturnarum diſſenſionum relinquere conſtare, ut & in Italia inter Guelphos & Gibellinos acciderit. Hocq; bellum Gallicum eò eſſe periculoſius, quòd altera pars cauſam eius in religionẽ, altera in rebellionem transferat. Eſſe autem expreſſo mandato filij Dei diuina ab humanis diſcernenda: & licet Magiſtratus & poſsint, & debeant inquietos & inobedientes ſubditos legitima pœna compeſcere, tamen non ſolum nullũ ius habere in res diuinas, ſed & uerbo diuino ſubiectos ac miniſtros Dei eſſe, ad Chriſtianam doctrinam per iuſta media Synodorum, Colloquiorum & ſimilia promouendam. Vim etenim arma poſtulare, religionem uerò doctrinam flagitare. Hoc diſcrimen olim Chriſtianiſſimos Imperatores obſeruaſſe, Conſtantinum, Theodoſium, Martianum, Iuſtinianum, Carolum Magnum, Ludouicũ Pium, & plures alios, quos imitati ſint Illuſtris Principis Iohan. Guilhelmi maiores Fridericus, Iohannes, & Iohannes Fridericus, ſanctæ & honorificentiſsimæ memoriæ Principes & Electores Imperij. Exortis enim diſſenſionibus in Eccleſijs de indulgentijs prudentiſsimè cauiſſe, ne inde noui motus & tumultus excitarentur, & religionis controuerſias uiris, eruditione, pietate & uirtutibus præſtantibus pie commiſiſſe, qui omnia certamina ad fontes ſacrarum literarum reuocarent, & diligenter inſpicerent primitiuæ Eccleſiæ doctrinam & diſciplinam. Ex qua pia & ſancta diligentia plurimas Eccleſias in Germania, ſine omni periculo & detrimento Reipub. in doctrina & ritibus reformatas eſſe. Ac poſtquam potentiſsimus Imperator Carolus Quintus (ſanctæ memoriæ) quibuſdam Germanicis Principus & ſtatibus Imperij confœderatis bellum inferret, & conaretur confeſsionem ſibi anno triceſimo Auguſtę exhibitam aufferre, haud felicẽ habuiſſe exitum, atq; tantum Illuſtriſs. Electoris Iohannis Friderici ſenioris intellectu & conſtantia in religione commotus, ut & liberè eum benignè dimiſerit & publicis literis confirmatit, Maieſtatem ſuam ipſum, poſterosq; ſuos, religionis ergò nunquam moleſtaturam eſſe. Et hanc illuſtri laude celebrati Principis piam fortitudinem non minimam cau-

1568 sam fuisse constitutionis illius, quæ de pace Religionis inter Cæsarem & ordines Imperij facta sit. Quamuis autem ipse Zuuinglianam seu Caluinisticam religionem (ut uulgò nominantur) actionesq; eorum omnes nō probet, tamen non dubitare suam Celsitudinem, inter ipsos & præsertim simplices auditores complures esse, qui syncerioris religionis & tranquillitatis cupidi & amantes sint, quorū uitæ & bonis non solum parcendum, sed & conscientijs consulendum esse, pietatem & humanitatem suadere: neq; expellendos doctores fore, si puram Euangelij doctrinam amplecterentur, & cōfiterentur, publicamq; disciplinam non perturbarent, ne Magistratus (ut Gamaliel dicebat) uideatur Deo resistere uelle, néue contra Christi doctrinam triticū cum Zizania euellatur. Quare Illustrem Celsitud. suam optare, Regem clementiss. piè discernere causam Religionis à negotijs Politicis; & in reformanda religine sequi Christianissimorum Imperatorum, sub quibus Christiana religio floruerit, exempla: Id Celsitudinē suam à Deo Opt. Max. precari, & ut in politicis, sic quoq; hac in re, suam operam pio & officioso studio polliceri. De fœdere cum Pontifice Romano & Hispanorum Rege inito famam non solum ad aulas Principum peruenisse, sed & totam peruolasse Europam. Et Illustrem Principem, Regiam Maiestatem celare nolle, in proxima expeditione Gallica, cum Fuldam transiret, quosdam legatos electorum sibi retulisse, Cæsareos cōmissarios in mandatis habuisse à legatis electorum Politicorum petere, postquam sua Maiestas percepisset, Pontificem Romanum, Regem Hispaniarum & Galliarum fœdus contra Vltramontanos inijsse, ut hæc dominis suis indicent, ne sua Maiestas in suspicionem ueniat, eam quoq; eius fœderis sociam esse. Tum legati Gallici cuiusdam mandatum, quod Germani Instructionem appellant, ad Ducem Bauariæ Albertum per totam Germaniam euulgatum esse, in quo non obscurè suaderi etiam alijs Principibus fœdus ad tuendam & restituendam Catholicam religionem. Ad quod negocium conficiendum etiam omnes uires & opes regias promitti & deferri. Deinde notum esse Hispanos in Belgicis hostiliter sæuire non solùm in eos, qui arma arripuerint, sed & eos qui bono Zelo adprobarint confessionem, quam Augustanam uocent. Et non solum non fuisse seditiosos, sed & tumultuantibus restitisse. Quod certissimum argumentum sit, hoc Belgicum bellum cum fœderatis, contra omnes, & præcipuè Germanos, hanc religionem profitentes, susceptū esse ac geri. Velle autem Illustrem Principem de Rege, titulo Christianissimi ornato, & sua natura clementissimo, optima quæq; sperare, nec dubitare suam Maiestatem perpensuram, si tale fœdus reuelatum fuerit, hoc ansam & causam daturum subitis tumultibus, seditionibus, ciuilibus bellis, & maximis deuastationibus, non solùm in Gallia & Germania, sed & in uniuersa Europa. Nam non solum exacerbari Caluinistas, sed etiam status Augustanæ confessionis compelli quærere salutaria remedia. Nec etiam eos ordines Imperij qui etsi adhuc consentiant cum Ecclesia Catholica, tamen pietatis tranquillitatisq; amantes sint, conatum hūc probare. Minus quidem curare has rationes Ecclesiasticos, quàm Politicos, eo quoq; nomine, quòd illi non tantam curam habeant posteritatis, quantam hi ex quorum progenie familiæ conseruentur, & regna & principatus gubernentur. Inde haud dubiè etiam clementissimum & prudentissimum Imperatorem Maximilianum secundum commotum esse, suis subditis in Austria emendationem Ecclesiarum iuxta Augustanam confessionem concedere. Veram enim religionem non esse causam seditionum, sed potius neruum omnis disciplinę & obedientiæ,

modo

modò Dei obedientia iuxta regulam Apostolicam præferatur mandatis humanis. Causarum autem omnium eam, quæ propriè sit Christi & sponsæ suæ grauissimam esse quis dubitet? In qua tamen summos Monarchas, Reges & Principes, ut Biblicæ, Ecclesiasticæ & aliæ Historiæ testentur, nō absq; singularibus pœnis Dei peccasse. Qui enim in his delinquat, eū pupillam oculi Dei tetigisse putari. Quapropter Illustrem ducem Iohannem Guilhelmum ex Christiana pietate & singulari amore erga Maiestatem regiam & totum regnum Galliæ omittere nequiuisse, quin harum rerum Regiam Maiestatem officiosè & amicè commonefaceret, & officij Regij admoneret, ne forsitan, ut multis quoq; acciderit potentissimis gubernatoribus, quędam ignoranter agerentur, quarum postea pœniteat. Nam detrimentum Ecclesiæ & Reipub. non facilè reparari. Quod autem attineat ad Regiæ Maiestatis petitionem, Illustrem & Generosissimum Principem, non minus quàm maiores suos nobilissimo Regno Galliæ ex animo fauere, semperq; amicitiam & necessitudinem, natura, cognatione & beneuolentia multis non solùm annis, sed & seculis consistentem & confirmatam suis officijs & studijs augere & ad posteros propagare. Et hanc ipsam ob causam initio susceptæ gubernationis, quamuis religionis, politiæ, & subditorum cura & necessitates aliud exposcerent, tamen in honorem Clementissimi Regis & tutelam Regni se ipsum ducē equitatui iuxta conuentiones conducti præbuisse, ac præterea tria millia conscripsisse. Nec unquam Regiæ Maiestati officia & obsequia sua, quantum salua Religione & conscientia fieri possit, defutura, præcariq; à Deo Regiæ suæ Maiestati, Veram uerbi diuini cognitionem, felicem successum in gubernatione, bonam ualetudinem corporis atq; salutarem & firmam concordiam & pacem in regno.

Hoc eodem die nimirum uicesimonono Nouemb: Erasmus Episcopus Argentinensis, cum ab obitu Guilhelmi prædecessoris è uita euocati anno millesimo quingentesimo quadragesimo primo, Episcopatui magna laude præfuisset, ex hac mortali uita ad æuum perpetuum & ad cœlestes sedes ab hoc ingrato seculo migrat. Natus patre Christophoro Limpurgensiū Barone cui familię perpetuus Pincernatus Imperij est à maioribus tributus, & matre Agnete Comitissa Vuerdenbergensi, anno millesimo quingentesimo septimo cum domi rudimenta literarum unà cum fratre Alberto sub Ludouico Kielio Lucernate didicisset, ac Thubingæ à Iohanne Stoffleroin Mathesi, à Cunrado uerò Bruno & Iohanne Marquardo Iureconsultis in Iuris prudentia instructus fuisset, in Gallias Lutetiam se contulit, ac cùm aliorum doctorum, tùm uerò Iohannis Sturmij uiri doctrina & prudentia clarissimi familiaritate usus, tanta & tali morum, iuuenis cum esset, suauitate uixit, ut hæc ipsa suauitas tantū ei pararet autoritatis inter æquales propter prudentiam quantum uoluptatis propter humanitatem. Deinde hasce uirtutes sibi à natura inchoatas, officijs uitæ confirmatas, in Germaniam secum profectas, ita retinuit, & ita coluit, ut Episcopatus honorem neq; optatum, neq; petitum, collegæ, qui tum Argentinæ erant, ei cum summa gratulatione & lætissimis uotis detulerint: Episcopus factus, magnarum uirtutum magna documenta dedit, ut humanitatis in familiaritate, lenitatis in errore, clementiæ in uenia, misericordiæ in pœnis, iustitiæ in sceleribus, æquitatis in ratione, patientiæ in iniuria, frugalitatis in re domestica, moderationis in liberalitate, ita, ut quas uirtutes Xenophon in suo Cyro prædicat, in hoc principe, si magna maximis cōparare licet, apparuisse fatendum sit. Constat enim ex familiaribus neminem offensum ulla unquam seueritate, neminem in erratis ueniam petijsse cui non ignouerit, etiam in delictis, in mulctis, atq; suppli-

1568 cijs ita se gessit, ut in seueritate refugium haberēt homines miseri, humani-
tatis, & in uitijs, & criminibus Respub grauitatē non desideraret, atq; ambas
hasce res ratione bona atq; moderatione recta assequebatur. Iniurias & pri-
uatas, & publicas ita dissimulauit, ut nulla unquā extiterit ulciscendi cupi-
ditas: frugalitatis & parsimoniæ testem habuit successorem, percipientem
quæ ille post se reliquerat in cellis uinarijs atq; frumentarijs & in faculitati-
bus annuis. Et tamen in hac ipsa frugalitate nemo extitit, qui de ipso cōque-
reretur, uel qui non præter mercedem beneficium acciperet. Præter has uir-
tutes tam pacis publicæ amans, tam cupidus cōcordiæ inter omnes ordines,
tam auidus literarum fuit, ut solus uel cum principibus uiris dignus atque
pernecessarius uisus sit, qui duplicatam ætatem uiueret. Pacem siquidem
ita amauit, ut belli rumorem etiam sæpe extimesceret: Neque unquam Im-
perij dissidium approbauit: & pacem etiam iniquam armis anteponendam
putabat, neque bellum fuit ullum, cuius exitum non prouideret: Pacis ad
hæc studium demonstrant multæ controuersiæ à se cum alijs tum Reipub.
Argentinensi uel remissæ, uel dissimulatæ, quas à maiorib. acceperat. Porrò
in hac religionis dissensione omnem moderationē cautionemq; adhibuit,
ut ne dissentientibus sententijs animi dissiderent, & pertubaretur ociū pu-
blicum. In Pontificibus multa requirebat, multa improbabat: Pontificatum
tamen ita improbabat, non qualis esset, sed ut autoritate patrum, quorum
erat studiosissimus, constitutum credidit, quia in re quod fieri debebat, po-
terat prouidere, quod uerò fieri per homines non poterat, ferre potuit, non
potuit corrigere. In dijudicatione uerò controuersiarum Ecclesiasticarum
plerunque autoritate Lactantij, Cypriani, & Hieronymi in Epistolis nitēba
tur, quorum scripta diligentissimè peruoluerat, ita ut doctissimis Theolo-
gis à quamplurimis conferretur. Literarum amorem luculentissimè decla
rauit, quod, ad dignitatem Episcopalem euectus, Iacobo Surmio & Marti-
no Bucero autor extitit, uocandi e Gallijs Iohannis Sturmij ad scholam Ar-
gentinensem constituendam, quæ ad annos triginta hactenus ita floruit, ut
nulli dubium sit, quin se sit ipsa posthac superatura & profusura fructus lon
gè meliores atque uberiores, quàm usque ad hoc tempus mortales sense-
rint, si uiam à Sturmio ingressam prosequatur. His ergo uirtutibus orna-
tus cùm esset, ac difficilima tempora Germaniæ imminerent anno ætatis
sexagesimo primo dominica prima aduentus anni huius placidissimè nulli-
us doloris aut ægritudinis significatione, ullóue corporis motu aut pertur-
batione, moritur, cum adhuc uerbis ei præiret quidam sentienti & intelligen
ti usque ad extremam animam, astante Sebaldo Rutræo doctore medico
Argentinensi successorem habuit Iohannem Comitem de Manderscheidt
& Blanckenheim, de quo in Ianuario anni subsequentis dicetur.

Circiter finem Nouembris Auraicus cum nullæ rei præclaræ gerendæ
occasiones præberentur, quod Albanus rem fortunæ committere nollet, &
ipsius copiæ oppidis præsidio ab Albano firmatis, omniq; commeatu inter-
cepto, tempore hyberno summa rerum penuria conflictarentur, per Eburo-
num agrum ad Picardiam contendit: adeoq; Sanremiacum & Ribemontem
uenit cum uniuerso exercitu, Condæum adeundi (ut constantissima fere-
bat fama) consilio uidebatur præclara occasio rei bene gerendæ: Et, si ulte-
rius fuisset progressa, maximum ad luculentiorem pacem momentum ha-
bitura. Omnes iam uicinæ urbes consternatæ, & Lutetia quidem ipsa tre-
pidabat: nec aderant militarium auxiliorum rationes. Audio ad Pictauinam
regionem, Aumalio ad Lotharingiā satis occupatis. Itaq; Orengianus, dum
ulterius in Galliam ducere instituit, Germanorū copiæ id negant, iam elapsi
temporis

tempòris stipēdia petēdo, infensioribus animis. Tribuni excusabāt, nec se ad 1568
bellum in Gallia gerendū militiam Orengiano pollicitos, nec id se facere posse quòd Regi essent beneficiarij. Dissipatis ita ducū militumq; animis, & dissipatur exercitus: Germanis dictitantibus, se post tot inutiles labores in patriam uelle redire: Gallorum etiam cōplurimis inter istas distractiones quotidie diffluentib. Et quoniā per illā partē præclusus erat in Galliā aditus, Orengianus cū nōnullis Gallorū ducibus, Germaniā cum exercitus reliquijs repetere instituit, ut cum Duce Bipontino, qui auxilia ad iuuandos Principes religionis apparabat, sese cōiungeret. Hic fuit exitus militiæ Orengianæ.

Tertia Decemb. die, Heluetij, quòd Auraicus Princeps ex Belgio re infecta rediens, circa id tēporis in Galliam peruenisset, Regiq; impetrādi per regnum trāsitus gratia, quatuordecim currulia tormēta donasset: & quòd Daumalæus Hugenotos qui circa Neoburgum & Montē Belligardi mille quingentorum numero coierant, non procul â Mediomatricum urbe cecidisset profligassetq;: lætitiæ publicæ & gratulationis causa omnia maiora tormenta emiserunt.

Circiter duodecimum Decemb. diem Regij Mirabellū in Pictonibus capiunt, eiq; Comitem Ludium præficiunt ad arcis obsidionem continuandā, eamq; decimo sexto subsequente per speciem colloquij intromissis militibus capiunt, ac mox persæuiente iniquissima hyeme, ut hostiles exercitus sub dio castrametari nō possent, uterq; exercitus in hyberna deducitur Andij, Pictauium, Salmurium, Chinonem: Condæi, Tuarsium & Montreuibellæum.

Vicesimo Decemb. Albanus felici successu rerū contra Auraicū inflamatior, cognita arrestatione nauiū Hispanicarū in Anglia facta, omniū Anglorum Antuerpiæ & alibi in Belgico negociantiū ædes firmissimis custodijs sepit, bona arrestat, & mercatoribus ne hæc sub grauissima pœna aliò transferant, interdicit. Mox quoq; Geusiorum reliquias per uniuersum Belgiū perquirit, atq; nouis uectigalium oneribus in populum iniectis ob impensas belli factas. Tornaci autem & Valencenis, ad quinquaginta ciues, per publicos carnifices decollari iubet.

Decembris die uicesimo octauo, qui erat dies innocentiū puerorum, uesperi circiter octauā & nonam Illustriss. Princeps uerè Christophorus Dux Vuirtenbergensis ac Teccensis comes Montis Pelicardi â puero uarijs casibus iactatus, literis excultus, exterōs expertus, linguarū peritus, experientiâ clarus, periculis infractus, bello strenuus, imperio iustus, cōsilijs prudens, & pacificus, Ecclesiæ nutritius, studiorū Mœcenas, exulū asylum, uirtutis theatrum, pietatis exemplū, pater patriæ, infinitis laborib. exhaustus, placidè in Domino Stutgardiæ obdormit. Exigit autē optimi ac laudatissimi Principis uirtus, eiusq; erga Ecclesiam, literas atq; Remp. merita postulāt, ut nonnulla de eius uita, morib. ac rebus gestis breuiter attingamus. Natus est ergo insignis Heros in amœnissima arce, quæ est ad oppidū Vracense, anno post recuperatam humano generi salutē millesimo quingētesimo decimoquinto 4. Id. Maij post secundā horā matutinā, patre Vdalrico Duce Vuirtēbergico, cuius tantum animi robur fuit, ut nullis reb. aduersis frangi potuerit, tāta in re militari industria, ut à cōfœderatis Sueuis ditione sua pulsus, eā profligatis disiectisq; omnibus recuperarit. Mater ei fuit Sabina Illustriss. Principis Alberti Ducis Bauariæ filia de cuius uirtutibus & obitu diximus superiùs inter alia, quæ acciderunt anno sexagesimo quarto in mense Septemb. Admodum uerò puerum mox iniqua fortuna excepit ut rectissime nomē Christophori accepisse uideretur: Nam cùm pater à Sueuici fœderis socijs anno millesimo quingentesimo dicimonono tota prouincia sua exueretur, quod

1568 Reutlingam ciuitatem Imperialem obsidione cinctam occupasset, Dux Christophorus uix dum quatuor annos natus in Boioariā ad Guilhelmum & Ludouicum duces auunculos deportatur, à quibus per aliquot annos sustentatus fuit. Etsi autem per ætatem tum fortasis non satis intelligeret quibus præsidijs & commoditatibus careret, tamen cum naturæ quodam ductu omnes amore parentum & patriæ teneamur, fieri non potuit, ut Christophoro admodum teneræ ætatis Principi illa non & molestiam & triste desyderium crearent. Hinc à Serenissimo Rege Ferdinādo, cui iam de Prouincia atq; agro Vuirtenbergico cesserant confœderati, Oenipontum translatus, inde Neapolim Austriæ, atq; Lomum Stiriæ oppidum missus. Et cùm in puero iam ad liberales disciplinas præclara indoles & eximia uoluntas ad uirtutem eluceret, non quid sibi isto rerum statu maximè expedire uideretur, spectauit Rex Ferdinandus, sed quid & se Regem, & tot regibus progenitum, & Principem Austriacum maximè deceret de Duce Christophoro consulere atq; statuere cœpit. Quare cum ea tempestate Michaël Tiffernus celebris Philosophiæ professor Viennæ, (quem infantem fascijs inuolutum, Turcis pro suo more prædam & cædes per Pannonicos Germaniæ fines agentibus extortum & educatum fuisse constat) nobilium atq; illustrium adolescentium institutiōe clarus haberetur, ideoq; magno in honore apud omnes esset, eum Rex Duci Christophoro præfecit, & mandauit ut nō solum ijs artibus adolescentulum imbueret, quibus iuuentus uulgò ad humanitatem atq; uirtutem informari solet, sed illis etiam disciplinis erudiret, quæ maximè uirum Principem decerent. Quòd ille tanta diligentia, studio ac fide perfecit, ut certè nulla unquam Ducis Christophori in literis mentio fieri queat, cùm qua non coniungatur immortalis Tifferni laus & prædicatio. Cum uerò iam adoleuisset prima tyronicia aulica apud Imperatorem Carolum Quintum fecit, itaq; se gesit, ut optimo Imperatori propter præclaram ingenij indolem, & semina uirtutis ac bonitatis, quæ se luculenter in eo ostenderent charissimus esset, ipseq; anno tricesimo secundo à bello Turcico per Noricum & Italiam domum reuertens, eum secum in Hispaniam adducere cōstituerit. Sed cùm Christophorus certior factus à suis hoc agi, ut unicus hæres in ordinem Ecclesiasticum redigeretur, è comitatu Cæsaris diuertens, cum Tifferno (discipuli adeò studioso, ut nullis suis incommodis nullis periculis adduci potuerit, ut ab eo, quoad uixit, unquam discederet) fugam capesit, & per Alpes Carnicas, perito quodam itinerum & claustrorum duce ad suos in Baioariā euasit. In qua fuga cùm insequētibus Hispanis ipsius equus labore fractus, grauiter claudicare cepisset, Tiffernus celeriter equorum facta cùm eo commutatione, cursum per ambages tenere iubet, ipse eū quo dux uectus erat, equum in lacum qui fortè aderat impellens, submergit, ibiq; inter arundines ac salices per illam noctem atq; diem sequentem delitescens insequentium conatus frustratur, ac se præsenti periculo liberat, quod ex itinere retracto et potisimum imminere uidebatur. Hinc paulò pôst patris, qui armis ducatum recuperare cōstituisset, suasu atq; consilio in Francisci Regis Galliarum clictelam se contulit, ibiq; non solùm Gallicam linguam ita didicit, ut eleganter & sciteè ea uteretur, sed & cū magnis uiris prudentibusq; quotidie uersaretur, & à Rege perhumaniter & liberaliter haberetur. Cumq; Rex in armorū tractatione periculisq; adeundis animi quandam celsitudinem dignam illa familia, dignam Germano Principe, cum heroica corporis statura & robore coniunctam animaduerteret, & eo tempore expeditio in Pedemontium pararetur, Rex ei uix annos uiginti duos nato tria & uiginti signa militum cōmisit, quæ ita duxit, ut multa industriæ, uirtutis, fortitudinisq; documenta ederet.

ederet. Expeditione autem ista cõfecta grauissima eum pericula excepere. 1568
Nam dira lues & pestilentia, exercitum quem ducebat, inuasit, & ipsi eodẽ
tempore secunda mensa infecta apposita, qua usus fuisset, in morbum & do
lores totius corporis grauissimos incidit, ita, ut de eius incolumitate propè
fuerit desperatum. Sed ex eo morbo, mense exacto, Domini benignitate re-
creatus, cum in aulam rediisset, ac nocte quadam Regi opera data, unà cum
comitibus duodecim in oppido Chastellereaut domũ se recepturus esset,
sexaginta armatoa insidiatores obuios habuit, qui ita eum inuasere, ut in
manu uulnere accepto, nõ citra periculũ sibi suisq; uim patefecerit. Deinde
cum anno tricesimo octauo Imperator Carolus & Franciscus Galliarũ Rex
ad Aquas (ut uocant) mortuas Paulò tertio Pontifice arbitro, de pace age-
re uellent, & in itinere Niceę Franciscus & Papa fuissent congressi, Rex (ut
moris est) Pontifici dextrum pedẽ sedenti pronus osculatur, subsecuti sunt
reliqui Principes & magnates, Dux Christophorus autem, etiam monente
Conestablio hoc facere recusauit, nec se abiicere ad pedes Põtificis uoluit,
& suo exẽplo etiam Germanos Proceres permouit, ut tale obsequiũ Pon-
tifici negarẽt. Quę res apud Gallos tunc Pontifici addictissimos admiratio-
nem habuit maximã. Sed cùm interea pater Vdalricus auxilio propinqui
Philippi Cattorũ Tencterorumq; Principis, cuius tunc per Germaniã pri-
ma in re militari gloria, & non cõtemnendę equestres pedestresq; copiæ e-
rant, auitam ditionẽ anno millesimo quingẽtesimo tricesimo recuperasset,
ipse qui persecutiones nonnullorũ, quando homines, propter cõfessionem
Augustanam, nouis suppliciorũ generibus cõficiebantur, ferre non posset,
in Germaniã reuertitur, ut in expeditione Turcica, quæ tunc ab imperii or-
dinibus suscipiebatur, noua uirtutis documenta ederet, sed patre ita uolente
mutato cõsilio in aulam cognati Ducis Bauarici se confert, ac postea suasu
parentis atq; cognatorum cõsilio Annam Mariã Georgii Marchionis Bran
denburgici pientissimi & generosissimi Principis filiã in matrimoniũ duxit,
ac nuptiis nulla pompa celebratis, quod Sponsę pater in ipso nuptiarum ap
paratu, mortuus esset, Mompelgardũ cõcessit, ac ibi lectioni Bibliorũ & scri
ptorũ sacrorũ totũ se dedit, & fundamẽtis antea in religione fideliter positis,
pręclarum ędificiũ solidę cõfirmatęq; assensionis superstruxit, ita ut postea
ingenti ac periculoso bello Germanico moto, in quo Carolus uictor multa
nouaret, ipse quantumuis patre de ditione periclitante religionem ac fidem
suam palàm profiteri, ac Basileam cõcedere, quàm formulã religionis à Ca
rolo Quinto præscriptam recipere maluerit. Patre uerò anno Domini mille
simo quingentesimo die sexto Nouemb. naturæ cõcedente: Quo tempore
Tridentinũ concilium habitum fuit, ad restaurandã antiquam & catholicã
Ecclesiam, ipse summa subditorũ uoluntate, & expectatione ducatus admi-
nistratione inita, statim in eam curam totus incubuit, ut compositis rebus,
& pulcherrimo ordine distributis officiis domesticis, Ecclesiæ, scholæ, atq;
iudicia rectè cõstituerentur. Quare primum clarissimũ, & diuinarũ humana
rumq; rerum peritissimum uirum D. Iohan. B. aliosq; Theologos, do-
ctrinæ Ecclesiasticæ genus, ad sacrę scripturæ normam, ueluti ad lapidẽ Ly-
dium exegit, ac uiroa doctos & docendi facultate prẽditos passim Ecclesiis
præfecit. Librũ quoq; in quo capita doctrinę Euangelicę, paucis illis quidẽ,
sed fortissimis scripturę & patrũ testimoniis ędidit, per legatos ad Episcopos
tum Tridenti agẽtea, misit, ac ne patrociniũ libro deesset, etiã Theologos ho
mines doctos ablegauit, ut coràm agerent atq; docerent, uictis etiam in tam
bona causa animũ nõ deesse. Mox uerò cõcilio absoluto, Ecclesięq; Halcyo
niis datis, Ecclesias restituit: uiros doctos superstites, mira liberalitate colle-

 git:

1568 git: certã & scripturę cõsentaneam formulã cæremoniarũ tradidit. Cõcilium Ecclesiasticũ ex doctis & prudentib. uiris cõstituit, q̃ & matrimonioiũ causę disceptarẽtur, & quędã sacri ordinis emẽdarẽtur, cuius seuerus cẽsor, quoad uixit, fuit, parochiarũ prouentu sustentationi pastorũ non sufficiente, ex annuis redditibus horũ inopiã subleuauit. Cæteras Ecclesiasticas opes quę in illa prouincia permagnæ sunt sic tueri solitus, ut nihil earum in profanũ usum cõuerti, nihil omnino distrahi pateret: Si aũt redditus per quæstores colligere, ut eorũ causas nihil faceret deteriores. In ipsis porrò cœnobijs, totius prouinciæ iuuẽtutem ad Ecclesię munera & ad omnes Reip. functiones institui præparari, & expoliri uoluit. Compositis ad hunc modũ rebus Ecclesiasticis Academię Tubingensis renouãdæ studiũ suscepit, numerum professorũ à patre Vdalrico constitutorũ augens, ac ne quid cõmoditati beneficiariorum, qui Principis stipendio ac liberalitate, numero centũ & quinquaginta, fouerẽtur, deesset, collegium ipsorum nouis & sumptuosis ædificijs amplificauit, suppellectile librorũ instructissima exornauit, quo qui in cœnobijs cognitione linguarũ, atq; artiũ dicendi imbuti, Theologiæ studiũ inchoassent, tantò rectiùs feliciusq; in maiorib. disciplinis cursum suũ conficerent. Huic tam insigni Academię ut nulli Germanicarũ Scholarũ nec studiosorũ, nec doctorũ frequentia per multos annos cesserit, aliud ornamentũ adijciens pædagogium Stutgardianũ, in quo pueri & adolescẽtes ad literas Latinas & Græcas discendas missi, se maioribus studijs præpararẽt. Hac cura generosissimus Princeps defunctus, iudicia cõstituit, & cũ animaduertisset subditis per prouinciã ualdè detrimentosam & penè inexplicabilem litium materiã ex eo nasci, quòd ꝓpter superiorũ temporũ iuris Cęsarei ignorantiam, aliud de plerisq; negotijs in parum iustã consuetudinem uenisset, quod tunc ex Cæsareo iure oppugnaretur à doctis, expeditam iuris formã de cõmercijs, de successionibus, delictis, cæterisq; politicis negotijs, populari lingua promulgauit, etiam ea definiẽs, quæ iam diu in iure Cæsareo cõtrouersa, & penè æquis rationũ momẽtis in utramq; partem distracta essent. Huic affine & illud, quod cum in prouincia sua ponderum ac mẽsurarum magna uarietas esset, quæ subinde & magistratibus labores magnos, & contrahentibus inter se magnas contentiones pareret, ipse eorum ratione habita, ea ad æqualitatem & æquitatẽ redegerit, egregiè dicens, se in ducatu suo, ut religionẽ unam, ita & pondera mensurasq; similes habere uelle.

Exin restituta disciplina, satisq; moribus publicis, edicta salutaria, de ferarum securitate, seueriùs à patre proposita, ita constitutis gradatim sæpiùs delinquentibus pœnis, rem temperauit, ut neminem nisi petulantissimum, & quem ipsa contra magistratũ peccandi pertinacia delectaret, durius tractari uoluerit, iudicans pro sua pietate & sapientia optimus & præstãtissimus Princeps, nõ esse illa acerbius exigenda, quæ parens & distributrix rerum omniũ natura in promiscuo hominum usu reliquisset, licet à maioribus iam diu usurpata, ac possessa. Cęterùm ut in religione cõseruanda, pius, scholis sustentandis liberalis, ac iustitia administranda sedulus fuit, sic & cæteræ eius actiones splendidissimis uirtutum radijs eluxẽre. Nam in subditorum querelis audiendis ita benignus fuit, ut nulli quantumuis pauperi aditum denegârit, sed libellos eorũ supplices ipse receperit ac legerit, hoc nõ solùm sibi mirabilem amorẽ populi cõciliãs, sed & calumniatorib. uiam præcludẽs cum ex eorũ relatione nec error, nec fraus ei obijci posset. In onerib. à populo exigẽdis mitis, quẽ nulla alia de causa in rem suã onerauit, quàm ut ingens æs alienũ, sumptib. bellicis à patre conflatũ, atq; in hæreditate repertum, dissolueret, reliquũ sumptum ita faciens, ut luxũ uitaret, ac rei familiari tu-

ſtituendæ ſtuderet, ſubditorũ opes dubijs temporibus ſuam potentiã ac præ- 1568
ſidium interpretans, cõtraq́ tenuitatẽ eorũ ſuam infirmitatẽ & inopiam quã crebras exactiones, neceſſariò cõſecutuтam uidebat. Licet aũt ipſe temperantiæ ac frugalitati operã daret, tamen cum hoſpites honeſti aduenißent, munificentiſsimus fuit, nullis omnino ſumptibus parcẽs, eos nõ uno loco (quod ab alijs fieri ſolet) ſed per totã ditionẽ ſuam hoſpitio magnificè excipiẽs, & per ſuos legatos & honoris cauſa deducẽs. Similiter miniſtris ubi honeſta ſtipendia dedit, doctorũ lucubrationes ſibi dedicatas liberaliſsimè eſt remuneratus, ac eos qui in ipſius ſeruitijs cõſueuiſſent, rude donatos ad annos uitæ munificẽtiſsimè ſuſtẽtauit: uiduis & pupillis ex publico alimẽta cõſtituit: pauperes tanto fauore eſt proſecutus, ut nõ modò eos iuuaret, ſed & ſtatuta publicè ederet, quomodo ipſi accipiẽdi & eleemoſina recreãdi eſſent. Ac ut erga ſuos benignus, moderatus & liberalis extitit, ſic beneficentiã eius multi exules & homines docti, Germani, Itali, Galli, Allobroges & Belgæ ſenſere, quib. ſalaria annua decreuit, ut aula ipſius officina liberalitatis, & portus miſerorũ fuerit, pacis uerè & cõcordiæ ſtudiũ, quantum in ipſo fuerit, nõ ex eo ſolũ liquet, quod ipſe ſemper ab omnib. turbulentis cõſilijs abfuit, ac quò pacẽ illibatã cõſeruaret, nec uicinos offenderet ſæpè laceſsitus de iure ſuo ceſsit, ſed & q̃d ne alij per Germaniã principes ad arma decurrerẽt, ſemper quantũ in ſe fuit, obſtitit, magnoq́ ſuo cũ incõmmodo & detrimẽto aut miſsis legationib. aut ipſe profectus, interceſſor & pacificator grauiſsimas diſſenſiones ſuſtulit, multorũq́ animos planè exacerbatos, ſua ſanauit prudẽtia & bonitate: Ita ut propter hãc unicã uirtutẽ, laudatiſs. Imp. cõſilio ei legatio in Galliã pro Meti repetẽda in Comitijs Auguſtanis decreta, & negociũ grauiſs. & periculoſiſsimũ inter Albertũ Marchionẽ Brandenburgicum, ac ipſius aduerſarios Epiſcop. Vuirtzburgicũ & Bãbergenſem cõmiſſũ fuerit. Hoc ergò animo cũ eſſet, per 18. annos, quib. prouinciã rexit, ab armis quieuit, & bellũ nõ neceſſariũ gerẽtes, nõ à iuſtitia ſolũ diſcedere, ſed etiã aureo hamo piſcari cũ Auguſto Cæſare ſapiẽtiſsimè iudicauit. Veruntamẽ ei nec animũ, nec uires, ad tutandũ ſuos cõtra uim atq́ iniuriã, defuiſſe, Eluangana propugnatio contra Teutonicos ſuſcepta & uindicta, de Vdalrico Rechbergio præpotẽte nobile, ſumpta, ſatis teſtãtur. Imperatori, ac inter exteros, Regi Galliæ, & Electoribus qui ſuperiore gradu erãt, ſua ſtudia, ac uicinis principib. præclarã uoluntatẽ ita approbauit, ut illis ſummopere acceptus, his uerò chariſsimus eſſet. In negocijs omniũ ſuſcipiẽdis atq́ tractandis adeò ſedulus ac indefeſſus, ut multitudine laborũ mortẽ ſibi alienißimo Reip. & Eccleſ. tempore acceleraſſe à pleriſq́ putetur. Etenim cùm nondũ annũ quinquageſimũ egreſſus eſſet, magnã imbecillitatẽ omniũ uirium ſenſit, ac ad finem uſq́ uitæ ualetudine haud cõmmoda uſus eſt, ſed ea tamen, quæ ipſum à Reip. & rerũ priuatarũ cura non auocaret. Nam & ſtatuta & ordinationes emendauit & auxit, & omnia ita cõſtituit, ut & Reip. & Eccleſ. ſtatũ tranquillũ poſt ſe relinqueret, cæterùm imbecillitate ob mœrorẽ ex morte filij Eberharti cõnceptum inualeſcẽte, migrationẽ ex hac uita nõ ſolũ meditatã habuit, ſed etiã quaſi ſatur dierũ cũ patrib. eam maiorẽ in modũ expetijt. Quare cœna Dominica in ipſo Natiuitatis Dñi die accepta, ac ſummo beneficio incarnationis Dominicæ totis iſtis ferijs ad animũ reuocato, tandem in uera agnitione filij Dei in die Innocentiũ inter horã 8. & nonã ita placidè obdormiuit, ut circũaſtãtes dubitarent, nũ dulci quiete frueretur, an uerò animam ageret. Cùm regnaſſet annos 18. menſem unum, dies 22. uixiſſet annos quinquaginta tres, menſes 7. dies ſedecim. Vxorẽ habuit eã quã diximus, Annã Mariam Brandenburgicã, ex qua pulcherrimos duodecim

1568 liberos partim Mompelgardi, partim Stutgardiæ suscepit, Eberhardum primogenitum, eum de quo ante sepè diximus, Maximilianum, Huldericum, qui omnes immatura morte, patre superstite, erepti fuère, Ducem Ludouicum, unicum ducatus hæredem natū Stutgardiæ, anno 54. 1. Ianuarij quem Deus quam diutißimè superstitem seruet, ac efficiat non solum hæredē & successorem ditionis auitæ, sed & pietatis, uirtutum, & ornamentorū patris. Filias autē Heduuigim: nuptam Ludouico Landtgrauio Hessię, Philippi filio secūdo genito 10. Maij anno sexagesimo tertio Elizabetham: elocatam Georgio Ernesto Hennenbergensi Principi, primo Iunij anno 68. Sabinam Vuilhelmo Lantgrauio Hessiæ Ludouici prænominati fratri. anno 1566. 12. Februarij, Eleonoram Principi Anhaldino, Ioachimo Ernesto anno 71. octauo Ianuarij in matrimonium traditam. Aemiliam, Dorotheam Mariam, Annam, Sophiam, adhuc hoc tēpore innuptas, Sepultus est Tubingæ, magno suorum mœrore & luctu, & positus ad sepulchra maiorum suorum. Funus ipsius omnibus doctis & orationibus & Epicedijs cohonestantibus.

Circiter finem Decembris Germanicæ copiæ quæ Regiæ pecuniæ merebant propè Moguntiam Rhenum transmittunt. Erant ad quinque millia & sexcenti equites: primarij erant duces, Philibertus Marchio Badensis, duo Dietzij nati ex sanguine Hessiaco, Vuestenburgius, Leiningius, Comites Ringrauij & Bassompierrius. Hoc nuncio accepto Aumalius minabatur Bipontino, & ipsius regioni: res tamen à Bipontino ita prouisa est, ut Aumalius nulla mala ei intulerit.

DE REBVS IN ORBE GESTIS

ANNO M.D.LXIX.



1569 Sexto Ianuarij Elizabetha Regina Angliæ, cognito, mercimonijs Anglorum in Belgico negociantium ab Albano manus iniectas esse, scripto publicè lingua Anglica edito, arrestationis naurium Hispanicarum causas explicat, & de iniuria Albani conqueritur. Quia uerò totius rei historiam id continet, sententiam ipsius breuiter subijciemus. Atque initio quidem cōmemorat, se cognouisse, qua ratione ex iussu Ducis Albani Gubernatoris Belgij, nomine Serenißimi Hispaniarum Regis Philippi, in ditione eius, omnia mercimonia Anglica arrestata, atque subditis suis mercatoribus Antuerpiæ, & alibi, militares custodiæ uicesimonono Decembris adhibitæ fuerint: facto sanè nouo, nec inter regnū Angliæ & domum Burgundiacā antea audito. Quare Regiam suam Maiest. uniuersos & singulos suos subditos in regionibus dicti regis, quæcunque ex sint, negociantes, cōmonefacere, ut in posterū se domi contineant, nec amplius ullas negociationes illuc exerceant, donec sua Maiestas certior de regis fratris sui animo reddatur, quo cognito, se eum uniuersis suis subditis citra moram publicè manifestaturā esse: Proinde Maiest. suam mandare atque iubere omnibus magistratibus & administris ciuitatū, castellorum, portuū, aliorūque locorum, ut omnes personas, cuiuscunque status & conditionis Hispaniarū subiectas, uel in eius terris habitantes, uel quacunque ratione eū agnoscentes, cū bonis, mercimonijs, & nauibus arrestent, quoad Regia sua Maiest. aliud statuerit, hāc esse eius seriam iussionem & uoluntatem, propter arrestationem, quam Dux Albanus contra Anglos subditos fecerit. Adhæc mandare Maiestatem suā, si quo in loco uel in oppidis, uel portubus, in quibus Regis Hispaniarum subditi uersentur, sui, uel emendo, uel alia quacunque ratione ac fraude, ipsos ab arrestationis periculo eripere conentur, ut ij per deputatos cōprehensi & bonis, & corpore mulctentur. Maiestatem uerò suam hac de causa id præcipere, quo hæc arrestatio

sit quasi repignoratio & cautio incommodorum, quæ ex improuisa arresta- 156
tione ab Albano facta, exoriri possint: uelle etiam suam Maiestatem, ne dicti
Regis subditi in prosecutione arresti uel corpore, uel alia quamcunque ra-
tione lædantur uel offendantur, nisi sese huic mandato opponant, & ei pa-
rere detrectent. Idem quoque in bonis ipsorum seruandum esse. Etsi
quis subditus Regis prætendat, se non subiectum huic arresto, eum scire de-
bere Regiam Maiestatem nihil contra eum iniqui statuturam: Verum cùm
nesciat, quomodo cum subditis suis hinc inde in regnis & ditionibus Re-
gis habitantibus ac negociantibus, agatur, id æquum esse: contentam tamen
fore idonea cautione, quod reuocatus ad iussum Maiestatis suæ, re uel cor-
pore se sistere uelit. Si uerò id facere renuat, id mercatori Anglico præuio
inuentario bonorum iniungi debere quoad Regia Maiestas certior fiat,
quomodo cum eius subditis extra regnum agatur. Maiestatem etiam
suam perpendisse, multos negociatores & alios, propter motum Belgicum
& alia nocumēta uitanda, ex Belgico in Maiestatis suæ regnum profugisse,
ibiq; sedes fixisse, honestam atque tranquillam uitam degentes. Ideoq;
uelle ne illi ulla ratione, sed solum fraudem usurpantes, ac Magistratibus pa
rere nolentes, & in aulam uenientes, ut fideiussores pro alijs fiant, & pro ex-
terorum bonis sollicitent, offendantur. Quandoquidem itaque Maiestas
sua cognouerit, subditis suis in Belgico manus iniectas, causa cuiusdam na-
uis recens arrestatæ, & trium uel quatuor actuariarum, quæ cum certa pecu
niæ summa in portus Maiestatis suæ appulerint, hanc è re existimasse decla-
rare rei gestæ seriem, quò perspici queat, qua ratione delinquentes, qui-
cunq; etiam ij sint, id sine ullo iure ac ratione fecerint. Primò etenim Ma-
iestatem suam per administros certiorem factam, in quodam portu Regni
sui quatuor naues Hispanicas appulisse, cùm pecunia ad Italos quosdam, &
Belgas mercatores pertinente. Piraticis uerò nauibus quibusdam se osten-
dentibus, ita, ut Hispanici mari sese minimè committere auderent, sed uere-
rentur, ne solum in illo, sed & in portubus inuaderentur & uiolenter cum
pecunia abducerentur: Maiestatem suam ministris omniū portuum regni
præcepisse, ut exercitoribus & nautis id significaretur, & ij, alijq; omnes sub-
diti Regis Hispaniarum contra Gallorum & Piratarum incursiones defen-
derentur. Postea legatum Hispanicum in Anglia maioris securitatis ergò,
etiam pro defensione & securitate contra Gallos sollicitasse, eoq; facto,
ipsi mandata, quæ suis missa fuerint impartita & concessa fuisse. Mox ue-
rò legatum Reginæ supplicasse, ut Maiestas sua assensum præberet merca-
toribus, & alijs, ad pecuniam deputatis, eam siue mari, siue terra Dobram
transferendi, cùm significatione pecuniam regiam esse: Ad hoc Regiam
Maiestatem suam respondisse, se ei petitioni annuere, & qua uia legatus uel
let, se mandaturam, quò eius petitioni satisfieret: legato gratias agente, ac in-
dicante, se id Duci Albano significaturum, & quamuis uiam amplecteretur,
sibi quoque probatum iri. Interea Regiam suam Maiestatem percepisse,
Gallos in portu, quò naues cùm pecunia appulerint, grassatos, atq; naues ad-
ortos, ita ut nisi auxilia per suam Maiestatē disposita, opera administrorū &
aliorum subditorum suorum comparuissent, naues unà cum pecunia exceptę
atq; abductæ fuissent. Legato regio hęc significata, & Regiā Maiest. perpen-
dentē, sumptus, quib. naues custodiendæ essent, & ignominiā, si eæ in regno
deprehensæ abducerētur, thesaurū nauibus exonerari atq; in loca tuta absq;
ulla uiolatione custodiri curasse. Quia uerò Regia sua Maiest. certò postea
cognouerit pecuniā istam mercatorib. pertinere, & perpēderit, qua ratione is
thesaurus piculo Piratarū subduceret, nec iniquū uel incōsultū esset, uigore
consuetu-

1569 consuetudinis inter Reges ac Principes seruatæ, in proprijs regnis, nationibus ac ditionibus cum mercatorib. ac negociatorib. quorũ pecunia sit cõtrahere & agere. Ideò, quo Regiæ suæ Maiest. uel ea tota, uel pro parte, idonea cautione præstita, mutuarentur, illam egisse, ut antea cum Regis subditis factum fuerit, nec lõgè antè alij Principes fecerint. Idem quoq; cum alia naui, quæ lana Subanthonii onerata, & in qua pecunia recondita fuerit, factũ esse. Cùm uerò nauiculæ Gallicæ exploratoriæ ei quoq; insidiatæ, administris & eorum deputatæ custodiæ magnas pollicitationes fecerint, ne eam tutarentur, Maiestatem suam, Capitaneum insulæ Vicli eò ablegasse, quò nauis ista tantò melius nõ saltem custodiretur, sed & exoneraretur. Id quod si factum non fuisset, nauem intra tres uel quatuor horas à Gallis abductã fuisse. Eam uerò quoq; ad mercatores spectasse, quos antequam Capitaneus in protectionem suam receperit, ei magnam pecuniæ summam à Piratis promissam: uerùm eã spreta, ut æquum fuerit, ipsum naues militibus armatas in mare magno sumptu duxisse ad dictam nauem protegendam.

Rebus ita stantibus, Hispanicum legatum uicesimónono Decembris obtulisse suæ Maiestati literas à Duce Albano scriptas, simulq; petijsse, ut ea, naues cum pecunia Regi Hispaniarum pertinente, in portu detentas relaxaret, liberasq; dimitteret: Eam uerò respondisse, se naues detinere tanquam fratris sui Regis Hispaniarum, simulq; illi ostendisse literas administrorum, ex quibus magnam horum diligentiam perspiceret adhibitam, in ijs contra Gallorum inuasionem defendendis. Etsi uerò Maiestas sua cognouerit, pecuniam, non Regis, sed mercatorum esse, de quo intra triduum uel quatriduum plura significatura esset; pollicitam tamen eam, sub dignitate sua regia, nihil se in hoc actũram, quod regi fratri suo oneri futurum, prout intra triduum uel quatriduum, cum reuerteretur intellecturus esset. Discessisse hoc responso legatum à sua Maiestate, eiq; acquieuisse. Hoc interim spacio autem, se ex portubus ulteriorem significationem expectasse, quomodo legato reuertenti finale responsum redderet: Nam constituisse se, non solum naues regias cum bonis impositis restituere, liberasq; dimittere, sed & sub fide sua deducere terra mariq;, prout antea promiserit. Interea uerò antequam legatus redierit, suam Maiestatem cognouisse, omnia bona, mercimonia, naues, aliaq; suorum subditorum Antuerpiæ arrestata, his captiuis in ædibus asseruatis, prædicto uicesimonono die Decembris, quo legatus in aula fuerit: ita ut quilibet facilimè perspicere & animaduertere queat, postquam arrestatio suorum facta sit eodem die, quo legatus tam amicè à Maiestate sua discesserit, hanc extra omnem culpam esse. Permittere ad hæc Regiam suam Maiestatem iudicio uniuscuiuslibet, an talis actio ex bona intentione profecta, uniuersalem, & tam improuisam subditorum suorum ab Albano factam arrestationem mereatur, maximè cum sua Maiestas nullam causam habuerit Regi fratri suo, uel eius subditis aduersandi, nisi quatenus id æquitas & ratio ferat. Quare Regiam suam Maiest. apud omnes excusatam esse uelle. Et hoc quidem scriptum sexto Ianuarij in Anglia publicatum, postea in uarias regiones diuulgatum est.

Decimoseptimo Ianuarij Philippus Hassiæ Landtgrauius, Philippi senioris & Christianæ Ducissæ Saxoniæ filius, cum desponsata sibi Anna Elizabetha Illustrissimi Electoris Friderici Palatini & Mariæ Marchionissæ Brandenburgicæ filia, nuptias Heidelbergæ celebrat.

Vicesimoseptimo Ianuarij armis undiq; circa Argentinã strepentibus, in locum Erasmi Argentinensis Episcopi, præter multorum opinionem eligitur Iohannes è Comitibus de Mandetscheidt, Coloniensis & Argentinen-

sis

ſis Canonicus, ac mox Richardus Comes Palatinus Rheni præpoſitus & 1569 canonicus Eccleſiæ eiuſdem utraq; dignitate ſe abdicat.

Ineunte Februario Auraicus è Belgio per Gallias, ut diximus reuerſus Tabernis Alſatiæ, indeq; ſoluens, Argentinæ cum ſuis copijs appellit. Milite uerò magna importunitate ſtipendium flagitante, ita, ut uix præ eius furore tutus eſſet: tandem undecimo Feb. res eò deducitur, ut ad trium mẽſium ſtipendium ſolutum equitibus quatuor florenis numeratis, reſiduũ intra duodecim annos promitterentur: Vrania ac ditione Montfortenſi cum alijs reſiduis bonis ipſis pignori ſuppoſitis.

Eodemq; menſe Aumalius ex Lotharingia cũ exercitu peruenit, ſed paulò pòſt magno damno in Alſatia, finitimisq; locis perpetrato, unde uenerat, rediјt. Interea uerò dum Aumalius Condianos in uicina Germania inſectatur: Regina Nauarræ, circiter hoc idem tẽpus, Niortũ ad Cõdenſem aliosq; religionis ſocios profecta, quo ſumptus belli ſuppeterent, bona Eccleſiaſticorũ, ciuib. oppidorum occupatorum diuendit, atq; ex ijs nõ paruã pecuniæ quantitatẽ cõflat, ac Ceſſacum Centurionem ẽquitũ Guiſiacorum captum, per ſocios Rupellam ablegat.

Decimo nono huius menſis Vuolfgangus Palatinus Rheni, religionis in Gallia cõſeruandę ac propagandæ gratia auxilia Nauarræo, Condenſi, eorumq; ſocijs promiſiſſet: Regi, qui aliquoties literis atq; legatis miſsis eum à propoſito deterrere conatus fuerat, reſpõdet, atq; cauſas belli à ſe ſuſcepti explicat. Cum uerò multorũ de Gallicana ipſius expeditione, ſiniſtra iudicia fuerint, tenorem ipſius literarum hic obiter inſeremus, ut eo cognito, æqui lectores ſiniſtris atq; peruerſis aduerſariorum eius iudicijs neglectis, inſtituti huius ſuſcepti rationes, potiùs ex intentione & uoluntate Illuſtriſs. Principis quàm nęnijs diffamationibus aduerſariorum æſtiment. Literarũ itaq;, à nullo alio quàm ab ipſomet Principe idiomate Germanico compoſitarũ tenor hic erat: Se Regiam Maieſt. certiorem reddere, ſibi ab Illuſtriſs. Principis Claudij Lotharingi Ducis Aumalęi miniſtro Philippo de Scardet, literas die decimo octauo Nouemb. nouiſsimi Mezirijs ad Gardam ſcriptas redditas eſſe, quib. ſignificarit, cõmuni fama per totam Germaniã ſparſa, ad eius noticiã perueniſſe, ſe copias ꝓ auxilio hoſtiũ Regiæ ſuæ Maieſt. (ut ab ipſo appellentur,) conſcribere, literas quoq; in Burgundia intercepras, idẽm cõfirmantes quarum exemplũ per dictũ miniſtrum ſibi miſerit. Quare ipſi ratione prouinciæ à Regia ſua Maieſt. demandatæ iniectas ſuſpitionis ac diffidentiæ cauſas, eũ de ſe, tum alijs rebellibus Regiæ ſuæ Maieſt. opẽ auxiliumq; laturis: ac ideò ipſum reſponſum in ſcriptis à ſe petijſſe, quò expeditio à ſe ſuſcepta tendat, & an ut hactenus Regiæ ſuæ Maieſt. amicitiã atq; uiciniam coluerit, ita eam in poſterum cõtinuare cogitet. Nam ipſi à Regia ſua Maieſt. expreſsim iniunctũ, ut copijs, quas iam habeat, & ex alijs locis expectet, omnib. qui contra Regiæ ſuę Maieſt. ſceptrũ, autoritatẽ ac cõmodum, rebellib. fauorẽ atq; auxiliũ pręſtare conẽtur, ſeſe opponat: nec quicquã prætermiſſurũ, quod officiũ exigat, alijs quoq; uerbis adiectis, eum reſpõſum poſtulaſſe: Se ad haſce literas ipſi reſpondiſſe, quod Regię Maieſtatis mentẽ animumq; ſuũ intra breue tẽporis ſpaciũ declaraturus eſſet. Quò ergo ei ſatisfaceret, ſe Regiã ſuam Maieſt. celare nolle: quod poſteaquam ſuperiorib. annis ſui ſubditi ducatus Bipõtini, per uarias multiplicesq; expeditiones Gallicanas, tã in redeundo, quàm eundo grauiſsimis dãnis affecti fuerint, ſe à ducibus præfectis atq; uicarijs, prout par fuerit, nũquam de cõmeatu requiſito, ac nõ ſolum recẽs uariæ ac periculoſæ machinationes intra & extra imperium Germanicæ nationis concitatæ ſint, ſed & numeroſus equitatus in procinctu conſpectus, qui

per-

1569 per ducatũ suũ Bipontinũ in Gallias trãsire cõstituerit,ut & fecerit,sibi necessitatem impositã, ut pro defensione ditionis suæ ac subditorũ, copias equestres atq; pedestres cogeret.Interea uerò etiam se à Rege Nauarrę,Principe Cõdensi,alijsq; eorũ religioni cõfœderatis , sępius rogatũ, ut ipsis cõtra hos, qui eos apud Regiã suam Maiest.in crimen uocare,ac uita,bonis,& facultatibus spoliare conẽtur, auxilio succurreret:Id quod ex singulari & Christiana cõmiseratione,qua una cũ alijs Electoribus,Principib.ac statibus, cõfessionis Augustanæ doctrinã amplectentibus,erga eos tanquã afflicta Christi membra afficiatũ,ipsis denegare minimè potuerit , sed certis modis ac conditionib. promiserit.Cæterùm Regię suæ Maiest.persuasissimũ esse debere, expeditionẽ istam minimè contra ipsam,sed potiùs pro salute & cõseruatione autoritatis eius suscepiã:cùm Rex Nauarræ, Cõdensis,eiusq; adhærẽtes sibi significãrint,ipsos minimè Regiæ suæ Maiest.inimicos atq; rebelles subditos esse,aut cõtra suæ Maiest.sceptrũ quicquam moliri, ut falsò de hoc ab aduersarijs apud Regiã suã Maiest.insimulentur,sed q; eius fideles atq; obedientes subditi atq; ministri sint,& maneãt,simulq; sanguinẽ,uitam ac bona pro ea profundere,atq; omnẽ debitã obedientiã,in temporalib.atq; politicis pręstare uelint, modò libertas conscientiarũ in causis religionis ipsis cõcedatur,prout ea in factis confirmatis,& promulgatis edictis pacificationis ijs promissa atq; induta. Verùm instigatione quorundã irrequietorũ,ac publicæ tranquillitatis inimicorũ abolita atq; sublata fuerit : ipsorũ tanquã præcipuorum autorũ nouæ religionis uitæ atq; saluti insidijs struitis, ut id p totã Germaniam nötoriũ ac manifestũ sit,cũ ea ulteriori declaratione,si is durante expeditione animaduersurus esset,ab ipsis aliud q̃d,quã libertatẽ religionis à Regia sua Maiest.permissam quæri,ac ipsos obedientia excussa q̃d cõtra Regiæ suæ Maiest.autoritatẽ & existimationẽ agitare,ne tunc,non tantũ nullũ auxiliũ suis copijs ipsis præstaret,sed imò ad partes Regias cõcederet, ipsosq; tanquã sceleratissimos homines atq; rebelles subditos persequeret, eodẽ modo,q̃ in nouissimo bello & Comiti Palatino Iohanni Casimiro suo cognato,idẽ significarint.Cõdensem aũt eiusq; socios, eo tẽpore nõ tantũ inobedientiæ minimè cõuictos,sed & in gratiã Regiæ Maiest.receptos atq; actiones ipsorũ edicto renouato approbatas:q̃d tamẽ in singularẽ contemptum Regiæ suæ Maiest.ab aduersarijs ipsorũ statim uiolatũ,nec in minimo seruatũ fuerit ipsis,uel ad hoc spatiũ. Cum itaq; res ita se habeat, nõ esse ab humanitate alienũ,tam illustriũ ac pręcellentiũ hominũ, nec minimorũ mẽbrorũ laudatissimi regni Gallici, quorũ aliqua ex sanguine regio pgnata, Regię suę Maiest.ut naturali ipsorũ Dño,& à Deo ordinato magistratui, in reb.politicis omnẽ debitã obedientiã pręstare parata sint,cõditionẽ cõmiserati,ac ab ipsorum aduersarijs haud dubiè Regię suæ Maiest.florẽti ætate in commodũ eorũ abutentib.Regia edicta cõtemnentib. ea absq; ullo metu infringentibus,Regia deniq; Maiestate contra ipsos concitata,externa auxilia sub nomine regio quæri,remq; eò deduci,ne religioni adhærentib. pacificatio inita ac cõfirmata seruet,sed cõtra eam summopere grauent, offendãtur ac opprimãtur,atq; in cõscientia turbati,cũ liberis & uxorib.facultatib.ac bonis excussi,in exiliũ pellant,ac nullo habito discrimine sexus ætatis, cõditionis, & gradus miserè torqueantur,& occidantur:prout cõmuni fama phibeatur à nouissimę pacificationis tẽpore,aliquot millia hominũ,cõtra fidem atq; securitatem datam, interfecta fuisse, sub prætextu nominis ac iussus Regij, & quasi tales Regię suæ Maiest.rebelles sint:cũ tamẽ inter ipsos multi inueniantur decrepiti senes,qui nunquam arma gestãnt,& mulieres & pueri nõ intelligentes quid sit rebellio:præterquã quod hactenus non fuerit auditũ

Condia-

Condianorum quenquã contra edicta quid perpetrasse, sed quod coetũ ob- 1569
seruatione se defendi optarint, modò per aduersarios idipsis liceret, unde facile colligi queat, eos innocentes rebellionis argui & insimulari. Ad hæc aduersarios conari, suam Maiest. incitare, ut Principem Condensem, eiusq; adhærentes, de nouò armata manu ex regno pellat, solamq; Pontificiam religionem ferat: id quod maiorẽ sanguinis effusionem, & extremũ regni exitium secũ sit tracturum. Regiæ uerò Maiestati suæ circa hæc ad animũ reuocandum, quam graue & intollerabile onus, cõtinuò Christiani sanguinis effusionem in se transferat, de quo in nouissimo iudicio se excusare minimè queat, sacra scriptura attestante, quod mors Sanctorum in cõspectu Dei sit preciosa, & Christo generis humani redemptore dicente: Id quod uni ex suis minimis factũ fuerit, id sibi fieri: & rursus in alio loco: Eum, qui suos prosequatur, eum prosequi se, & à quo missus sit. Nec tegi excusatione persecutiones quam aduersarij prætendere queant, ignorantiæ uel Christiani Zeli, nec etenim iniustũ Zelum Deo satisfacere uel placere, sed haud dubiè Deum ipsum ulturum, ut ex claro exemplo Sauli uera Christi membra ex inscitia & Zelo, quo erga legem Mosaicã ardebat, persequentis: nihilominus tamen à Christo audire quod se prosequerẽtur pœnasq; ob id ferre coacti, pateat. Cùm itaq; hoc negocium non cõcernat res mũdanas, sed conscientias, quæ Deo reseruatæ, nec dominationi uel imperio Magistratus ciuilis subiectæ sint, uel eius potentia & autoritate regi queant, in eo cõsilium Gamalielis, de quo in actis Apostolorũ legatur benè perpendendum: Quod si hoc opus non sit ex Deo, dissoluetur ex semetipso: si uerò à Deo proficiscatur, nullam potentiã humanam ei posse resistere, omnib. historijs atq; exemplis mũdanis quoq; id attestantibus. Esse itaq; optimã & tutissimam uiam, ne Regia sua Maiest. eos qui in negotio religionis ad conscientias proprias prouocẽt, nec crassis erroribus polluti sint, grauaret, & unicuiq; cuiuscunq; conditionis, siue inferioris, siue superioris Ecclesiasticæ uel secularis liberũ usum reformatæ religionis permitteret, cum securitate, nullius dignitati officio bonis uel facultatibus id præiudicaturum uel fraudi atq; incommodo cessurũ esse: hoc ipso Regiam suã Maiest. multis motibus in regno suo certissimè occursurã, & exemplo eius quod in Imperio Germanico, uigore pacis religioni datæ, teneatur: stabiliorem atq; meliorem tranquillitatem inter subditos constituturã, stabilituram, & conseruaturã esse. Quod uerò afflictis atq; miserè oppressis Christianis in Gallijs nõ tam tẽporalia, quàm libertas conscientię ac religionis curæ sit, id inde facilè perspici, quod uitam, uxores ac liberos, terras ac ditiones, bona & facultates periculis obijciant, ea omnia potius retenturi ac apud suos mansuri: nec tales ærumnas subituri, nisi seuerissimum mandatũ Dei ob oculos haberent, dicens: Qui plus amet patrem « aut matrem & alia mũdana, quàm Christum, eum hoc indignum. Et rursus « Christi dicentis: Qui me cõfessus fuerit coram hominib. eum confitebor co « ram patre meo cœlesti. Præter onus conscientiæ, quo Regia Maiestas se gra- « uet, ei prudẽtissimè attendendũ, id quod strictim superiùs relatũ, quãto cum dãno atq; exitio regni Gallicani multiplices atq; frequẽtes expeditiones cõiunctę sint, & q; Regię suę Maiest. maiores, tantã exterorũ multitudinẽ in regnũ introducere, semp ꝓhibiti atq; ueriti fuerint. Quã exiguũ emolumentũ ac cõmodũ Regię suę Maiest. expectandũ sit inde, quod principes sanguine regio ꝓgnatos, ac nobilitatẽ nõ minimũ belli neruũ opprimi patiar, id Regiã Maiest. uel se tacẽte, facilimè perspicere posse. Si quæ etiã in initio motuum Gallicorum errata ex uulgi imprudentia commissa fuerint, quibus Regia,
Maiestas

1569 Maiestas ad iustā indignationē ac pœnam cōmoueri potuerit, laudabile regiūq; esse, ne ea, tam multos innocentium inter quos nōnulli, ex pueris ac decrepitis senibus fuere, suo supplicio luant, ac supplicia ab alijs commerita subeant. Rogare se itaq; officiosissimè, ne Regia sua Maiestas in deteriorem partem accipiat, quod ex Christiana commiseratione, & grauissimis causis impellentibus, Regi Nauarræ, Principi Condensi eorumq; adhærentibus, qui ad licitam, necessariam, & à Deo concessam defensionem uitæ atq; bonorum contra aduersarios adacti: nihilominus tamen Regiæ suæ Maiestati omnem debitā obedientiam se præstituros polliciti fuerint, succurrere præstoq; esse constituerit, cum in ueritate ipsis testimonium perhibere queat, se sæpius ex ipsis cognouisse, quam inuitis & dolentibus animis ad defensionem extortam descenderint, ipsis totò pectore exoptantibus eam prætermitti posse, modo ipsis per aduersarios pace frui atq; libertate conscientiarum iuxta edicta publicata gaudere liceret, ac si ob expeditionē hanc apud Regiam suam Maiestatem in suspitionem uenerit, quasi fortassis aliò quam ad conseruationem autoritatis & existimationis eius spectet, se excusatum habere, omniq; suspicione liberare uelit. Se enim in ueritate dicere posse, nō esse sui instituti, Regię Maiestatis subditos opprimere, affligere uel destruere, sed summoperè ad amicitiam eius tanquam uicini conseruandam, officia quatenus nō tendant cōtra religionem, eiq; adhærentes præstanda, totiusq; regni Gallicani commoda promouenda deniq; coniunctionem uicinitatis, quæ hactenus Palatinæ ac Electorali familię, ac suis maioribus, cum regibus Gallię intercesserit, continuandam, pro sua parte summo studio propensum paratumq; esse: Idq; se occasione dante ita comprobaturum, ut Regia Maiestas sit expertura, se animo propenso, fideli, atq; bono erga eam, regnūq; Galliæ syncerè affectum fuisse, cum illa oblatione, si persecutio Principis Condensis eiusq; religionis adhærētium in posteru m intermitteretur, & Regia Maiestas iustis rationibus subductis sibi belli impensas solueret, se operam suam Regiæ Maiestati addicturum, excepta tamen religione, Cæsarea Maiestate, sacro Imperio, & principe Condensi cum eius socijs. Ad extremum significans si hæc sua officiosa, fida, atq; propensa commonefactio, loci non sit habitura, sed causa huius tumultus eo cursu quo cœperit perrectura: atq; ob eam acciderit regnum Galliæ damno affici, & plus sanguinis in eo effundi, se protestari coram omnipotente Deo & omnibus hominibus, se extra culpam eorum malorum atq; motuum, & de omnibus excusatum esse uelle. Et hic quidem tenor responsi, Regi Galliæ à Vuolffgango Palatino erat, cui in linguam Gallicam translato, ea adiecta, uel potius infarta fuere, quæ à mente & urbanitate principis in uerbis singulis ponderādis accuratissimi, penitùs aliena fuere. Ne itaq; respōsi asperitas iniquæ repræhensioni ansam præberet nobis curæ fuit eius sensum singulis ferè uerbis exprimere, longis periodis, quas Latini sermonis perspicuitas uix ferre potest retentis, ut & in alijs subinde fecimus.

Porrò die insequenti, qui erat uicesimus, cùm equitū, quos in Pomerania, Marchia, Saxonia, alijsq; regionibus conscripserat, pars Rhenum transijsset, rebus domi constitutis, ac ultimæ uoluntatis suæ Eulogio condito, Tabernis Montanis suæ ditionis oppido, cum signo prætorio ex comitatu aulico constante, discedit. Candelam, ac inde progressus uicesimo octauo Hochfeldum peruenit, pagum in præfectura Haganoēnsi situm, quem pro diribitorio equitum delegerat, inq; eorum delectu agendo usq; ad duodecimum Martij illic subsistit, quod plerīq; equitum ob tenuitatem stipendij

delectum

delectum ſubire detrectarent, tandem tamen poſt ſignum prætorium Bal- 1569
thaſar de Dierbach Marchita cognomine primus fuit, qui in delectum ſuorum conſentiret. De numero equitũ uaria ſparſa ac prodita fuere. Belli Belgici ſcriptor Alphonſus Vloa decem millium fuiſſe tradit, alij uix ſex milliũ fuiſſe exiſtimant: at ex militaribus codicillis delectus, ſeptem mille, quingẽti & nonaginta ſex, demptis equis currulibus fuiſſe conſtat. Initio namq; ſignum prætorium cuius præfectus Ottoheim: Vexillifer uerò Franciſcus de Harecourt erat, ſeptingentos nonaginta cõtinebat, cui adiuncta erant alia ſigna quinq; quorum primũ ductore Gillio de Sonnenberg: equite inaurato Auſtriaco ducentis, ſeptuaginta octo cõſtabat, alterũ Vilhelmi Baronis ab Haideck, trecentis quadraginta nouem, tertiũ Balthaſaris de Dierbach, trecentis uigintinouẽ, quartum Georgij Derſij ducentis octoginta. Meinhardi Schonbergici Magiſtri equitum, quem Mareſchallum campi uocant quadringentis quinquaginta duob. prȩter hæc ſigna, quatuor tribuni erãt Reinhardus à Cracouu, Iohannes à Buech, Iohannes à Ders, Heinricus à Stein, nõ tantũ ſua ſigna, ſed & alios præfectos ſub ſe habẽtes. Cracouij ergo ſignũ continebat trecentos quinquaginta ſeptem, & ſub illo præfecti equitũ erant quatuor cũ ſingulis ſignis Henningus Manteufel legatus Cracouij, ducens ſub ſuo ſigno trecẽtos quinquaginta ſeptem, Theodoricus Flantz ducẽtos octoginta tres, Venceslaus à Iohanne Vuitz totidem cũ priore, Erneſtus à Vualienfels ducẽtos ſeptuaginta octo. Iohanni à Buech ſigna erãt quatuor, præfecti tres, quorũ ipſius ſigno ſuberant, equites trecenti & decem, Iohannis Raminij ducenti octoginta tres, Cunradi Manteufel ducenti ſexaginta octo, Nicolai de Kroſeck trecẽti & duo, Derſius uexilla totidẽ quod Buech duxit, quorũ propriũ ipſius habebat trecentos quadraginta ſex, Stephani de Orrz ducentos ſexaginta ſeptẽ, Iohannis de Kunitz ducẽtos quinquaginta, Heinrici de Kirpergk, trecentos ſexaginta nouem. Steinius ſignorũ & prȩfectorum numero hiſce inferior, duo ſigna ducebat, quorũ prius cui ipſemet præerat, trecentos & ſexaginta unum cõtinebat, alterum Iohannis Vuendeli trecentos & undecim: cõſcripſerat uerò hoſce partim in Sueuia, partim in Franconia. Nomine Comitis Iuſti à Schõburgk, Ludolphus de Heimbruck duxit, ducentos ſeptuaginta nouem, Carolus Mansfeldicus Volradi, legati Ducis Vuolffgangi frater quadraginta, Theodorico à Schonberg adiuncti fuere cẽtum uiginti nouem ac ipſi ſtipendium par alijs Ducib. ex ſingulari fauore & gratia.

Huic uerò expeditioni ultra cõmemoratos ſe adiunxere Vilhelmus princeps Auraicus, una cum fratribus Ludouico & Heinrico Naſſauienſibus, & aliquot turmæ equeſtres Belgicæ, quarũ ductores erant Lombreus, Batellus, Reſigninus, & Corbeilius, ſimiliter etiã Galli qui Auraici expeditioni in Belgio interfuerant, inter hos Ienlius qui in Tabernis montanis obijt, Moruillierius, Marchio Riuellius, Mouius Haſſameillæus, Fiquierius Tulieus Cleremontius, Chamius, Briquemontius, Autricourtius, Lantenus, alijq; complures numero ſexcenti equites, & octingẽti Schlopetarij. Quorum præfectus erat Briquemotius iunior.

Circiter finẽ Februarij Comes Tandæus Regius prouinciæ gubernator, cum Menſe Nouemb. ſuperioris anni iuſsu Regis tribus Millibus peditum & aliquot equitibus ſe Adreſsio propè Lugdunũ coniunxiſſet, atq; cũ hoc & Martinengo longo tempore in obſidione Sanſerræ hæſiſſet, ea ſoluta in Condenſis caſtra concedit, Adreſsio Aumalium in Lotharingiam ſequente, ad excludenda auxilia Condianis è Germania uenientia.

Vltimo Februarij Albanus omnes Vaſallos Hiſpaniarũ Regis cuiuſcũq;

NNnn con-

1569 conditionis & status Belgio profugos ad designanda & recognoscenda feu da à præsidibus locorũ, ubi sita sint, intra sex hebdomatas publico edicto uocat, cõfiscationem bonorũ cõtrauenientibus minans, ac omnib. magistratib. mandans, ut cõtra nõ comparentes pœna bonorũ confiscationis citra ullam dissimulationem, uel gratiam procedant. Quęstuosum id edictum fuit, nam qui comparerent pauci reperti fuere, omnibus sęuitiam metuentibus. Quare bona profugarum annotata & fisco applicata fuere.

Tertio Martij Eclipsis Lunæ in tempus fœturæ piscium incidit, quæ maximam iacturam & caritatem eorundem secum traxit. Eam uerò non solum astrologi ex physicis causis, sed etiam piscatores Rhenani longa experientia edocti ita futurum prædixere.

Nono Martij colloquiũ Aldenburgense, quod uicesimo Octob. anno superiore inter Theologos Misnenses & Thuringicos Aldẽburgi cœpisse diximus, scriptis hinc inde de uno atq; altero articulo cõtrouersio in hũc usq; diem cõmutatis, per Misnenses Theologos citra Electoris Augusti & Iohãnis Vilhelmi Ducũ Saxoniæ scitum, aliorumq; collocutorũ uoluntatẽ abrumpitur. Cuius rei causas cũ publicè exposita ac uentilatę sint, prolixius à nobis cõmemorari necesse nõ est. Certaminum uerò atrocitas quæ eo colloquio cõpositum iri sperabãtur, magno cum Ecclesiæ incõmodo, piorumq; gemitu atq; dolore sæuius est inflãmata, ut uerissimè Nazianzenus ad Progopium sensisse uideatur, se Synodos fugiturũ. Cæterùm horum certaminum misereatur Christus Iesus humani generis redemptor, ac Ecclesię suæ uulnera propter gloriam nominis sui sanet, & animos docentiũ ad mansuetudinem, lenitatem studiumq; piæ & salutaris pacis atq; cõcordiæ flectat. Nã ut equi habenis ruptis insano cursu efferuntur. quæ ipsi arripuerũt ea retinẽtes, & imperum temerariũ facientes in omnes, sic hoc colloquio soluto, certamina augescere & omnis odij acerbitas erumpere, ac ambitionis ęstus plurimorum cordibus reconditus exardescere ita cœpit, ut in quosuis arbitrio suo inuehi & quoadcunq; libuerit cõceptum animo emittere, & chartis temerè illitum in uulgus non absq; piarum mentium noxæ spargere ausi.

Duodecimo Martij Vuolffgangus Palatinus delectu equitũ, de quo antè meminimus Hochfeldi peracto, inde Molrzenium atq; in Alsatiã mouet. Etsi uerò Episcopus Argentinensis ob cæsos in ditione sua Cõdianos, ut superiore anno diximus, sibi suisq; ualde metueret, atq; Galli qui in exercitu Ducis Vuolffgangi erãt, ultionem suorum expeterent, tamen cũ Episcopus Vuolffgãgum sibi deliniisset, arcibus & oppidis suis ei pro hospitio oblatis, ipse Gallorum animos concitatos, uindictæq; cupidos sua autoritate reprimens, sine maleficio Alsatiam transiit, ac quantis potest itineribus per Burgundiæ comitatũ in Gallias cõtendit. Verùm enimuerò licet in colligendis copijs nulli labori, nullisq; sumptibus pepercerit, & omni cũctatione remota, profectionem accelerãrit, tamen tardius iter susceptum est, quàm ut Cõdęo id cõmodo cesserit. Nam decimotertio huius, quo ipse cum comitatu Epfsgij erat, prælio inter Ducem Andium & Ludouicum Burbonium Principem Cõdensem cõmisso, hic fortissimè pugnãs occiditur. Res uerò ita accidit. Qvum Princeps diu multumq; hostibus proximi nihil nõ tentassent, quò eos ad pugnã alliceręt, tandem inter Vigennã & Ligerim quodammodo obsessi, quum magna rerum penuria ob longiorẽ factã in ea regione moram laborarent, Niortum quod oppidum Pictonum est concessere. Eò aduocatis circunquaq; prouinciarum, quæ ipsorum ditionis erant præsidibus, alijsq; qui in Pictonibus, Santonibus & Engolismensium regione cũ potestate erant, rebus de cõsilij sententia pro tempore ordinatis collectaq; parte

aliqua uirium quum certò nunciaretur, in hostium castra equitũ Germanorum ad duo millia & quingentos, Rhingraffio & Bassompetrio ducibus aduenisse, cõpertumq; esset eos in Engolismensiũ agrũ rectà tẽdere placuit, ne quid ea regio grauioris detrimẽti caperet, Santonas & Samanũ Angelicum, & Cognacium exercitum reducere. Ibi cùm audissent à nõnullis equitibus, Riuerio Duce, Iarnacũ occupatum, quę urbs castello munita, põtem etiam habet quo trajici Carenta possit: Admiralius, & Andelotius nihil morandũ rati, quòd ea res exercitui in posterum magno incõmodo esse posset, cohortes quasdam peditum, simul etiã equitum uexilla circiter decem ex prima acie, cum mediæ magnitudinis tormentis duobus (colubrinas uocant,) eò misere. His uirib. facile coactus est Riuerius urbe cedere, & in Castellũ, quod et natura loci & arte munitissimum est, se recipere: in quo tormẽtorum ictibus aliquot prouocatus, colloquium postulare & de detione facienda agere cœpit. Sed tum fortè Admiralius Andelotiusq;, quum hostẽ in proximo comperisset, & alia se alibi melior rei gerendæ occasio obtulisset, relicto Briquemaldo, qui cum Riuerio paciscceretur, postridie cũ prima acie, hostilis exercitus explorãdi causa profecti sunt: Admiralius quidẽ, cum dimidio equitatus ea parte quæ Belouacum ad Mathã spectat, Andelotius uerò ad Matham ipsam, qui in Santonum finibus pagus est. Póstero die ex parte Andelotij uelitationibus quibusdã & leuibus prælijs factis, notatus est locus, quo equitum Germanorum uexillationes consederant. Sed altero die post die certò cõpertum est cõuasasse illos, & ad Nouum castrum rectà cõtendere, quo loco paulò antè ad põtis castelliq;, quod alioqui infirmissimũ est, præsidium uix 50 milites relicti, ad primũ ferè exercitus aduẽtum facilè cesserũt. Principes quum nunciatum esset iter illud ab hostibus occupatum, Cognacium cum tormentis regressi, Admiralius cũ prima acie Iarnacum uenit. Iouis die, qui 10. Martij erat, hostilium cohortiũ pedites aliquot ad sexcẽtos simul cum omnib. tormentis Cognacium quasi obsessuri aduenerunt, ignari prorsus in ea urbe esse Principes: qui simul ac hostiũ ad urbem exercitũ adesse cõspexerunt, altera fluminis parte, dimisso nuntio Admiralio & Andelotio significarunt nulla mora equos cõscenderent ac sibi protinùs adessent. Admiralius uerò cũ iam noctẽ imminere perspiceret, nec sibi sine magno ac firmo præsidio Iarnaci Põtem relinquẽdum intelligeret, Andelotiũ rogauit iret ad Principes, interea dum ipse, quod opus maximè facto erat procuraret. Ac uix dum Andelotius dimidiũ itineris cõfecerat quũ subitò hostilium copiarũ pars maxima, quæ paulò antè quasi obsessura Cognatiũ ierat, ad Iarnaci põtem occupãdum aduolat: quã tamen Admiralius ita excepit, ut multis captis, plurib. occisis, terga etiam maiore celeritate uertere coëgerit. Sub idem uesperũ ne quid tẽporis deperiret, simul etiã ut res omnes bono ordine gererẽtur, Principes cum Andelotio alijsq; Ducib. rei militaris, qui tum Cognaci aderãt, consilium inierunt, quo decretũ est, uasis collectis sublatisq; signis, secundo ab eo die qui Saturni erat, omnẽ exercitũ inter castrum nouũ & Engolismã iter facturũ Admiralius cum prima acie Bassaci & in circumuicinis pagis, Principes Iarnaci castra metati sunt. Eo die, qui Martij duodecimus erat, Admiralius cũ prima acie castrum nouum profectus, ut regionis situm amplius exploraret, & futuris proximis castris cõmodum locũ deligeret, singulos monuit, quãdoquidẽ hostis uix uno milliario abesset, in speculis essent ac solertẽ custodiã præberent. Rebus ita benè ac prudẽter ordinatis, Principibus nunciatũ est, hostes iuxta eum põtem, quẽ Castro nouo proximum fuisse dictum est alterum sibi tumultuario opere ligneum exædificasse, quo sequenti die omnẽ simul exercitũ citius traducerent. Itaq; quum hinc

1569 inde ob loci incommoditatem disiectum ac dispersum militem postridie uix ante horam octauam colligi ac contrahi posse intelligerent, Admiralio per Pardilianum Baronem significarunt, cupere se ualde, ut postero die sub auroram tormenta bellica, simul etiam impedimeta omnia cum pedestribus copijs educeret ac in uiam daret: equitibus uero ediceret, ut albescente coelo adessent in armis idem se mediæ aciei militibus imperaturos. Huic principum mandato Admiralius, quantũ potuit diligentissime obsequutus, nuntios tota nocte dimittit, qui hæc eadem copiarũ ducibus nuntiarent. Verùm ita accidit ut; siue eorum qui missi fuerant culpa, siue aliorum quorundã tarditate & negligentia uix demum hora eius diei nona equites in armis essent. Quamobrem Admiralius qui tot suorum militum iacturã facere nollet eos ad riuuli cuiusdam ripam expectare coactus est, quã interim à Sclopetarijs quibusdam obsideri iusserat. Ex Principibus Condæus tam longam primæ aciei moram ægerrime ferens, ipse ad Admiralium uenit consilioq; aliquandiu habito, uisum est potius (ac ita quidem tum conuenit) quandoquidem uix totius equitatus dimidia pars aderat, peditum uero copiæ iam ad quatuor Gallica milliaria ulterius processerant, cedere aliquantulum ac sese recipere. Iuxta hæc Admiralius statim Noeo edicit, postremam aciem cum quatuor aut quinq; equitum uexillationibus claudat, ac receptus signum det: quòd si fortè ab hostibus uim patiatur, crebris nuntijs id significet. Vix dum is milliare dimidium confecerat quum Noeum hostilium equitum cuneus maximus adortus, Andelotij copijs ita exceptus est, ut tum quidem non magnum damnum acceptum sit, copięq; iam antea captum iter perrexerint: sed non ita multo pòst longe maior hostium numerus tanta ui in Noeum incubuit, ut dum hostibus iuxta uinculum fortiter se opponit, equo interempto, ipsius copiæ perturbatæ in Andelotij aciem inclinarint, qui statim eis recollectis, tanto ardore impetum in hostibus fecit, ut eos protinus uieo cedere compulerit. Quo in prælio multi ex hostibus cæsi, pleriq; uulnerati sunt. Admiralius interea, cum ad sinistram satis perspiceret hostes magis magisq; increbescere, ac uires concipere, Andelotio mandat, ut adesset ipsi propius, Principi uero significat, potius uideri sibi quod cum ipso mediæ aciei erat, promouere. Dum hæc gererentur missi ab hostibus Sclopetarij, qui uiculũ occuparent, statim à peditibus (quos perditos siue expositos uocant) Duce Pluueio auersi atq; repulsi sunt: & hi quidem soli ex pedestribus copijs tunc cum Principibus remanserant. Vix hęc acta erant, quum subito Gallus quidam nobilis aduenit, Admiralio nuntiãs, hostes ipsum à tergo magna ui inuadere paratos, iam inter Principis atq; ipsius copias procedere, quo nuntio aciem, statim uertere coactus, hostibus se opposuit, ac cum trecentis equitibus primus ipse tanta ui in eos impressionem fecit, ut disiectis in terrã quatuordecim ipsorũ signis equestrib. reliquos in fugam egerit, quib. tamẽ paulò pòst à suis receptus ac cõfirmatis subsistere ipse, ac Principẽ expectare coact a est. Is ut erat omniũ uel quãlibet etiam iniquissimorũ hostiũ iudicio generosissimus fortissimusq; metum quidem cedendũ ratus, quũ perspiceret Admiralium maioribus uiribus aliquantulum premi, uix quatuor aut quinq; equitum signis comitatus, tanta ui, tantaq; felicitate eam hostiũ aciẽ perrupit, ut in confesso sit, reliquũ etiam exercitum facilè in fugam uerti potuisse, ni maximus confertissimusq; equitum Germanorum cuneus, in latus incurrens, hanc ei uictoriam quodammodo è manibus eripuisset. In hoc Germanorum equitum conflictu equo occiso, pedes factus, dum ulterius progrediũtur hostes, primũ à nobili quodã Gallo ganiohannia nomine post etiã ab Argenceo agnitus est. Hi cõtinuò fidẽ ei de uita dederunt ac omninò

se pro

se pro salute ipsius uitam potius impensutos sanctè polliciti sunt. Sed cum 1569
fama in hostium exercitu uagaretur, Condæum Principem captum, plerique eo rumore exciti accurrerunt ac inter cæteros unus Montesquius nomine (hic Ducis Andium, fratris Regis ac hostilium copiarum præfecti, ex cubitoribus præerat) qui à tergo parte auersa captiui Principis caput globulo traiecit. Huius facinoris immanitas adeò horrenda uisa est, ut rei pessimi exempli indignitate commoti plurimi ex nobilibus, in quorum animis antiquæ illius & ueré Francicæ nobilitatis semina aliqua residerant ad mille & ducentos hostium castra deseruerint. Nam & ex eo facto non pauci, qui rerum & consiliorum utrinque incerti, neutri dum parti se addixerant, palàm in Condensium castra concesserunt.

Non dubitauit quidam, historiæ huius mentionē faciens, ea scribere, quæ ab officio historici alienissima haud dubiè nouit: ita ut cōmenti merito eum pudere deberet. Parta uerò uictoria Andianus rem fratri Regi, qui tū Metis erat, ut Vuolfgangū Bipontinū transitu in Galliam prohiberet, e uestigio nunciat, qui nocte intēpesta lecto surgens & templū ingressus pro gratiarū actione canticū illud S S. Ambrosij & Augustini te Deum laudamus cantari iussit, & Romanū Pontificē de eadem uictoria per legatos ipsius (qui tum in aula essent) certiorem reddidit, cùm pollicitatione, se quamprimū signa militaria hostibus erepta, Romā missurum, ut in perpetuam rei memoriam in templo D. Petri suspenderentur, et quidē huius uictoriæ gratia cōplures triumphi, nō saltem in Gallijs ac Belgico, sed & Venetijs, ac Romæ acti fuere, ubi ipse Pontifex solenni supplicationis ritu (quā processionē uocant) cum omnibus Cardinalibus & prælatis à templo D. Petri usque ad S. Spiritum pedibus ingredi & Deo gratias agere & hanc uictoriam clariorē, reddere dignatus est.

Porrò uerò post id prælium Admiralius (ut Ducem prudentissimū decuit) quum uideret non admodum magnum sibi pugnatorum numerū reliquū esse, simul etiā nō dubitaret Principis captiuitate multorū animos perculsos, quorū iam nōnulli uacillare inciperent, uti melius potuit, dispersum militem recollegit, hostéque coërcito ac consistere coacto, paulatim reliquias ita subduxit, ut mox Andelotij cohortibus coniunctis nō paruas copias inuitis etiam hostibus, nec propiùs congredi ausis, in Saniani Angelici oppidum saluas reduceret. Pars alia militū, nihil etiam grauiùs in itinere passa, ad Nauarræ Principem concessit. In ea pugna si unū Principem excipias, Euāgelicis uix quinque & uiginti nobiles desiderati sunt, præter eos qui captiui facti, necati sunt. Ex hostibus (quantum ex ipsorum testimonio literisque interceptis constitit) plusquàm ducenti aut uulnerati, aut cæsi sunt, ac inter cæteros quidem occubuerunt eo prælio Mirandulæ comes, Mōtsalezius, Ingrandæ & Prunaij barones, Morettæ & Moncanurij domini, itemque Lignerius, omnes cataphractariorū & loricatorū duces, ac ordinis regij equites: simul etiam ex legatis siue uicarijs, ac signiferis uexillarijsque ipsorū cōplures, ut Brissaci uicarius, signifer Monsalezij, Lansaci quoque filius lethaliter uulneratus. Hæc est simplex & summa narratio eorū, quę occursu infestorū exercituū acciderunt, toto illo die, memorabili ad omnē posteritatē futuro, nece Ludouici Burbonij, Regij Gallici sanguinis Principis, qui cum bis Ecclesijs Gallicis difficilimo tēpore nō sine numine pacem restituisset, hoste, multis prælijs fuso, Santandrea, Guisio & Montmorantio E Q. M. cæsis, & à coniuratis tertio, uim armatam reformatæ religionis sectatoribus inferentibus: impeteretur, impari Marte strenuissimè pugnās, prostrato equo, & fide accepta in eorum manus incidisset, cæsus, summaque cōstantia occubuit. Mors

1569 uerò hęc ei minimè inopinata accidit, cum uexillo equestri quod illi præferret hāc sententiā inscripsisset, PRO CHRISTO ET PATRIA DVLCE PERICVLVM: Et in familiarib. colloquijs antè hanc cædē sæpiùs dixisset se expectare sepulchrū in căpis, in die cuiusdā cōflictus. Verū ut Lectori de genere eius quid certi constet breuiter genealogiā eius hic subijcie mus. Domus itaq; Burbonia quæ proxima est ad successionem regni Gallicum à Roberto Quinto filio sancti Ludouici descendit, ac eo ex Beatrice Burbonia Ludouicum primū Ducem Burbonij procreante, hic ex Maria comitissa Hannoniæ, coniuge, Petrum & Iacobū filios sustulit à quorū Petro primogenito Burbonici, qui Burbonium & Molinū tenuēre, usq; ad Petri secundi tempora descenderunt. Iacobi uerò filius Iohannes ducta Iohannis Comitis Vendomij unica filia in uxorem Vendomię familiæ, ex qua Cōdensis natus est, originem præbuit, siquidem Iohannis filius Ludouicus rebus gestis cùm puella Aurelianensi cōtra Anglos clarissimus ex cōiuge comitissa de Laual Britānica, rursus Iohannem secundum progenuit: Hic uerò Franciscum Vendomum, qui ducta Maria Ludouici Lucemburgensis Conestabilis Franciæ filia, Carolum primum Vendomiū ex ea sustulit, qui anno millesimo quingentesimo tricesimoseptimo Ludouica Renati comitis Alenconij filia sibi matrimonio copulata, & post hanc Margarita Lotharingica, Antonium Regem Nauarræ, Franciscū Anguianū celebratissimū Ducem ad Serisellas, Carolum Cardinalem Burbonū, Iohannē Comitem Anguianum in pugna anno millesimo quingētesimo quinquagesimoseptimo die Laurentio sacra, cōmissa interfectum, & Ludouicum Cōdensem de quo nobis sermo est, cùm duabus filiabus post se reliquit, ita ut quiuis facilè perspiciat, oculis ad Robertū relatis, Cōdensem ex uero regio stēmate ꝓgnatū.

Sunt qui Genealogiæ huius, & Caroli Burbonij eius, qui in Romæ occupatione occubuit, ignari, utrāq; Vēdomiū & hāc familiā ad aduersandū regibus Galliæ natā fuisse existimēt: sed hi fallūtur: Neq; etenim Carolus Vendomius, sed Mōpensierus fuit, à Roberto tamē Burbonio æquè, ut Vendomij descendēs. Nam Ludouicus Burbonius primus filius Iohānis primi Ducis Burbonij Gabrielā de Turre in uxorē ducens, ex ea Gilbertū Comitē Auerniæ & postea Montpensierum sustulit. Hic ex clara Gonzaga filia Marchionis Mantuæ Carolum Montpensierum, postea per matrimonium initū cum Susanna filia Petri Burbonij secundi, ultimi in recta linea descendente, Ducem Burbonij, ut Genealogia in arce Molmæa depicta luculenter testatur.

Die sequēti qui erat decimusquartus Heinricus Princeps Nauarræ, & Heinricus Anguianus Condensis filius, qui Cognaci subsisterent, nūcio cladis accepto manè cum equitatu inde mouentes, in Sanctonum urbem concedunt, pedestribus copijs Cognaci præsidio relictis.

Die decimoquinto hostis, Cōdęo Principe interfecto, ad Cognaciū apparuit, uelut oppidū obsessurus: uerū subita Baudinerij Ducis eruptiōe ita exceptus est, ut ducentis mox occisis, sexcētis uulneratis, Guisius, Brissacus & Martigueus fugā celerare coacti sint, in qua ab insequētib. hostiliū ducū iacæsi, plures capti, triginta etiā maiores equi erepti abductiq; sint. Ea clade facta hostis nunquā se postea obuiā exhibuit, neq; ad urbē aliquā, quæ à Principib. obtineret: excepto uno Mussidani oppido, quod Mōlucius aliquādiu obsedit, parte etiā muri tormentis disiecta: à qua tamē ducentis spectatioris uirtutis militibus amissis, obsidione soluta cū damno, recedere cōpulsus fit.

Cęterùm Admiralius, qui tum Sanianum copias reduxerat, quum competisset Nauarræ Principē, in Sanctonum urbe agere, continuò ipsi adfuit, & signa

signa reliqua equitum collegit: rebus etiam ordinatis, urbibus, castellisq; 1569
omnibus præsidia constituit, & ex eo die exercitum eduxit, signisq; infestis profectus est. Quinto pòst die, ut omnes intelligerent, quid damni in superiore hostium occursu acceptum esset, ipse cùm Principibus mediæ, Andelotius & Rupefocaldius primę aciei turmas recognouêre: lustratoq; exercitu, inter cæteros Gallicæ nobilitatis ter mille reperti sunt, non minus equis armisq; instructi, quâm animis, pectoribusq;, fortius etiam quàm ante hac unquam ad propugnationem obfirmati. Agebat tum Rupellæ Iohanna Nauarrorum regina, ad quam continuò Comes Rupefocaldius missus est qui tam luctuosam Principis Condęi mortem ei nunciaret. Illa quum hoc nuntiò accepto intellexisset, quâm fortiter pugnans tunc quoq; animi religionis amore perciti documentum dedisset, quum facinorosè trucidaretur, confestim ad exercitum contendit. Eò quum peruenisset, de cæde Principis concionem habuit, ea constantia & animi magnitudine, ut nemo sit prorsus inuentus, qui huius tanta uirtute præditæ Reginæ oratione ad hoc persequendum usq; adeò iustum bellum non quam uehementissimè inflammaretur. At illa, ne his quidem contenta, palàm testari, nihil sibi eorum quæ possideret, proprium ducere, adeoq; fortunas omnès, liberosq; suos, sese deniq; ad huius optimæ causæ propugnationem offerre: quòd si res posceret, ut in exercitu moraretur, id quoque sese ultrò facturam. Ecquid (inquit) mihi possit optatius accidere si Deo Optimo Maximo ita uideatur, quàm ut ex hoc ipso tam religioso exercitu in cœlum demigrans, perpetuam posteris meis optimi exempli memoriam relinquam? Hæc illa. Omnibus uerò, utpote de illius potius quàm de sua salute solicitis, obtestātibus ut Rupellam potiùs repeteret, quàm sese in tantum discrimen daret, perfecit: ut duces atque exercitus nouo iuramento inuicem obligarentur ac exercitus in uerba Nauarræi & Condæi Principum iurarent, sese nō prius ab inuicem discessuros, quam hoc bellum pro Christi gloria & Euangelij ipsius defensionè susceptum aut fœlici uictoria, aut honesta morte finiuissent: ac formula quidem iurisiurandi ab Illustrissimis Principibus dati hæc erat: HENRICVS Princeps Nauarræ, Dux Vindocinensis & Bellimontanus, Par primus Gallię Comes Marlensis, Barò Espernonij & Mondublaqui, Blouij, Briouij, & Aurillij, Dominus Osoij, Hanni, Bohanni, Belreuisi & Auguiani in Flandria, Rector; Vicarius generalis ac Admiralius D. Regis nomine in Aquitania ac Pictauis: Et Henricus Burbonius Princeps Condensis Dux Anguianus, Par Galliæ, ex animi sententia iuramus ac promittimus coram Deo Angelisq; ipsius, quandoquidem equitibus, nobilibus, ac cæteris quibus hic exercitus constat, ita uisum est nos in capita & Duces sibi eligere, nòs cum ipsis simul posthac & uicturos, & morituros, nec antè abscessuros, quàm in eum statum res huius regni deuenerint, ut & Deo Optimo Maximo suus honos constet, & Rex noster ex eorum manibus liberatus sit, qui eum nunc obsident, eiusq; uoluntate immediatè abutuntur: simul etiam ij, qui in hoc eodem regno, ueram ac reformatam religionem profitentur eius exercitio securè ac liberè frui possint. Formula uerò Sacramenti ab equitibus; nobilibus, cæterisq; omnibus qui in eodem exercitu erant, præstiti, huiusmodi erat. Nos uerò iureiurando fidem damus Deo uiuo, in eam rem uitam, bona cæteraq; omnia lubēter impensuros auspicijs atq; autoritate Illustrissimorum Principum NAVARRI & CONDAEI quos etiam huius sancti exercitus capita ac Duces agnoscimus, pollicemurq; nos & ipsis, & cæteris omnibus, qui ab eis man-

1569 datum habebunt, obſecuturos, & legibus ipſorum militaribus parituros. Inſuper etiam promittimus nos Illuſtriſs. Principum exercitum ſine uenia nō deſerturos, antequam Deo Optimo Maximo pro ſua clementia uiſum fuerit, aut ſumma aliqua in religionis hoſtes uictoria, aut pacis fœdere eò res huius regni protrehere, ut & ipſi ſuus honos conſtet, & qui ueram ac reformatam religionem amplectuntur, eam, plenè, ſecurè ac liberè exercere poſſint. Quam ad rem illud etiam non recuſamus, imò & ratum habemus, ut qui ante has res feliciter compoſitas à caſtris ſine eorum Principum uenia atq; auctoritate receſſerit pro perfidò & publicę cauſæ deſertore habeatur. Poſtea iam diſcedens Principem filium multis uerbis hortata eſt, ut, quum Deus Optimus Maximus ſingulari quodam beneficio tantò ipſum honore dignatus eſſet, ut eius potiſsimùm opera tam neceſſario tempòre ad tuendam religionem, Regiam Maieſtatem, patriam ipſam deniq;, uteretur: uideret ipſe ne ſeſe tanto bono indignum oſtenderet, ac potiùs ſapientiam, prudentiam, Dei timorem, cæteraq; ad regendum tantum exercitum (cuius etiam rei aliquando rationem eſſet Deo redditurus) prorſus neceſſaria, precibus aſsiduis flagitaret & gratias eidem agere meminiſſet. Ad hæc illud adiecit, uideret etiam atque etiam nequid, niſi ex peritorum ducum ſententia & conſilio aggrederetur. Inter quos (inquit,) nominatim D Admiralium in primis recenſeo, cuius fide & conſilio tua hæc iuuentus in tantis tempeſtatibus regatur. Hortata eſt deniq; ut ſeſe paruis iuxtà & magnis amabilem ſimul & metuendum præſtaret: quæ certiſsima eſſet ad impetrandum à milite obedientiam, & obtinēdam ab hoſte uictoriā ratio. Quumq; intellexiſſet, aliquas reuertenti ſibi inſidias ab hoſte eſſe comparatas, monuit exercitum ut, ſi fortè ab hoſtibus intercepta, quicquam ex eorum ſententia & uoluntate ad eum ſcriberet quod publicæ cauſæ fraudi eſſet, nulla ſuis literis fides adhiberetur, nec eo caſu quiſquam uel tantillum commoueretur, imò uerò tanto alacrius omnes pergerent, nec unquam niſi rebenè geſta conquieſcerent. Hæc apud exercitum, & multa apud filium optimatesq; peculiariter teſtata, Rupellam redit Nauarræa.

Aprilis die primo cùm pedites, quos dux Vuolfgangus Gepſſigi decimo tertio Martij die à Ducibus ac capitaneis conſcribi iuſſerat, cōfluxiſſent, eorum delectus haberi incipit, uſq; ad ſeptimum eiuſdem, atq; eorū ſigna uiginti ſex in numeros referuntur. Quorum duces erant Quirinus Gangolfus Dominus aldi Geroltzeckij, Principis Vuolfgāgi Bipōtẽ uicarius, & Iohannes Iacobus Granuuillerus, Dominus Grāuuilleri eques inauratus, bellis Belgicis à Philippo Rege Hiſpaniarū cōtra Gallos geſtis celebris, quolibet ducum ſigna tredecim ſub ſuo regimine habente, quorum dimidia pars duplarijs haſtatis, altera ſclopetarijs eudonibus ferreis, ad oppugnationes idoneis armatis, conſtabat.

De numero eorum idem belli Belgici ſcriptor cuius antè meminimus ſimiliter maiora re ipſa prodidit, uiginti millia peditum Vuolfgāgum in Gallias eduxiſſe affirmans, cùm iuxta fidem codicillorum delectus eorū ſaltem fuerint ſeptem millia, ſexcēti quadraginta ſex. Cęterū eorū delectu peracto, octauo die ex ditione Lohrana comiti Iohanni Naſſauienſi ſubdita, Keilam ad pontem Rheni propè Argentinam deducuntur, ac ita progrediuntur, ut equeſtribus copijs, quæ eorum aduentum, à decimo tertio Aprilis, uſq; uigeſimum ſecundum Mambræ in comitatu Burgundiæ expectarant, eodem die ſeſe coniungerent, ac quanta celeritate poſſent, & per Aumaliū Vuolfgangi copias inſectantem, atq; carpentem fieri liceret, in Gallias contenderent.

rent. Porrò præter copias equestres atque pedestres Dux Vuolffgãgus circi 156
ter uiginti sex machinas bellicas currules secum trahebat, inter quas tres du
plices colubrinæ, reliquæ falcones atque machinæ campestres, erant, hisce
fossoribus circiter trecentos adhibitis.

Duodecimo Aprilis, Andius desperata Engolesmij, quod obsederat, atque Condiani nouo præsidio Duce Mongomerio uiro strenuo tenebãt recuperatione, inde discedit: captaque deditione Alberterra, munitissimo loco, inde Mucidanũ urbẽ in agro Periguriano oppugnare instituit, cõiunctis cũ Molucio uiribus, qui iampridẽ ad eã obsidionem frustra desudabat. Defendebatur ab oppidanis ad ducẽtos: qui initio constratis, per bellica tormẽta, ruinis urbis cõsternatiores receperãt, se in arcẽ quæ cõtinuò ab Andiano exercitu circumsessa est, tum tormentis conquassari cœpta: ad ruinas tamen urbis ualidè pugnatum est ab oppidanis illis militibus: & Andianorũ cõplurimi, ad sexcentos nimirũ, interfecti: & ex ijs magni nominis Duces Brissacus, Pãpadunius Comites. Itaque de deditione colloquiũ tentatum, & pacta cõditione, uti incolumes euaderent, dedita est arx Andio. Dedita tamen arce, fides præsidiarijs uiolata, & unũ ad omnes per iram obtruncati, dolore ducum, in eius oppugnatione amissorũ. Nam de Brisaci uirtute tãta spes cõcepta erat, ut iuuenis uiginti quinque annorũ, maximis officijs ac honoribus ornatus esset. Creatus & eques ordinis regij, & Capitaneus quinquaginta equitum regiorum, Dux generalis peditatus Gallici, & præfectus quadraginta signorũ. Successit uero ei frater in omnib. muneribus præterquã in officio ducatus seu præfecturæ generalis copiarũ pedestrium quæ collata fuit D. Strozzæ Italo.

Decimoquarto Aprilis conuentus statuum deputatorum ad deliberationem difficilium negociorum in imperio ex improuiso orientiũ Francofurti ab Electore Moguntino indictus, celebratur. Cum etenim non solum de damnis ab Auraici exercitu, ex Gallijs superiori anno reuerso, Alsatis illatis, & de insolentia copiarũ Comitis Palatini Vuolffgãgi in diocœsi Spirensi, alijsque finitimis locis exercita, ad Cæsaream Maiestatem uariæ quærimoniæ delatæ essent, sed & aliquot duces circulorũ maximè Vuestphalici, decimoquarto Nouembris anno præcedenti Coloniæ cõgregati, cõsultatione instituta, quomodo uiolationi pacis publicæ in plurimis locis factæ, ac damnis circulis eorumque subditis datis per uiam constituti auxilij quinque aliorũ circulorum occurri posset, eam tanti momenti esse cõperissent, ut ob ipsam peculiaris deputatorum conuentus indiceretur: Cæsarea Maiestas difficilimis temporibus ad animum reuocatis, monitrix Reuerendissimo Electori Moguntino Imperij Archicãcellario fuit, ut in tam necessaria re officio fungeretur. Eo itaque in hunc diem deputatos conuocante, hi, ut iussi fuerant Francofurti comparuere, ac damnis subditis circulorum hinc inde illatis, grauissimè exaggeratis, de medijs quibus ijs in posterum obuiaretur, deliberare cœperunt.

Die uicesimoquinto Aprilis Fridericus Elector Palatinus, quem, superiùs anno sexagesimoseptimo consortem thori dilectissimam Mariam Brandeburgicam amisisse, uel potiùs in cœlestem patriam misisse, diximus, ad secunda uota conuolans, cũ Amelia à Noua aquila ex inclyta familia Comitum de Moërs Heidelbergæ nuptias, celebrat. Nupta hæc priùs fuerat Henrico Bredenrodio, cuius non semel meminimus, fœmina forma, moribus, & pietate spectatissima.

Hoc eodem mense ut Alphonsus Vloa scribit, Albanus à summo Pontifice galea & chirotecis in festo natiuitatis Christi multi cum

1569 cæremonijs & pompa benedictis donatur, ob introductam in Belgico in inquisitionem. Eodem munere Paulus Tertius Carolum Quintum Imperatorem in bello Schmalcaldico deuictæ Germaniæ ergò, singularis beneuolentiæ causa affecerat.

Septimo Maij Andelotius, cui exercitus lustrandi cura à Principibus tributa erat, dum rem aggreditur, in morbum incidens illo ingrauescente, moritur Sintæ magna totius exercitus omniumque bonorū mœrore propter singularem illius bellicarum rerum peritiam, & in consilijs efficiendis intrepidam animi præsentiam: istas animi dotes comitabatur & pietas. A' medicis renunciatum est certorum indiciorum significatione, illum ueneno intoxicatum fuisse. Tanta uerò animi præsentia in omnibus negocijs perficiandis fuerat, ut apud suos nomen tulerit LE CHEVVALIER SANS PEVR, id est, Equitis pauore carentis. Eius munus generalis præfecturæ peditatus, collatum est Acierio ei, cuius antea meminimus, & cohors equestris demandata legato suo Beauuaisio.

Maij decimoseptimo Georgius Comes Palatinus Rheni, Simmeriæ in Christo placidè obdormit, Princeps bonus, humanus, placidus & cōstans: in iuuentute cum sacris ordinibus initiatus fuisset, tandem ætate cum iudicio confirmata, ac doctrina. Euangelica agnita, eos deseruit, & uiduam agnati Ludouici Comitis Palatini Rheni ac Comitis Veldentiæ, Elizabetham ex Illustri Landtgrauiorum Hassiæ familia oriundam in matrimoniū duxit, ac cum illa annos quàm plurimos in summa pace uixit. Bello uerò inter Henricum Galliæ & Philippum Hispaniarum Reges anno quinquagesimoseptimo ardente, ne domi perpetuò ociosus desideret, Philippi auspicijs irruptioni in agrum Lugdunensem à Poluuillero tentatæ sese adiunxit, inque ea ita se gessit, ut postea Galliarum Rex, eum ducibus, quos stipendijs suis aluit, ascriberet, inque non exiguo loco haberet. Natus fuit patre Iohanne Comite Palatino Duce in Simmern & Sponheim, & matre Beatrice Marchionissa Badense filia Christophori Marchionis Badensis: decessit absque liberis legitimis. Quare ducatus Simmerensis post obitū eius ad fratrem Richardum deuolutus est. Memoriā eius memoria beneficiorum ab ipso acceptorum epitaphio celebrauit, uir clarissimus Cyprianus Vomelius I. V. Doctor, & Cameræ Imperialis assessor, quòd huc ascribere certis de causis libuit.

Tempora post uitæ decursa Georgius Vrna
Conditur hac, Dominus Simerorum ac Dux Bauarorum
Atque Palatinus Comes ad flaui ostia Rheni.
Fortis erat bello, placiduque domi optimus Heros,
Iustitiam, legesque sacras reuerenter amabat.
Sed uel præcipuo Diuûm flagrabat amore,
Nunc igitur gaudens, Christo duce, possidet astra.

Maij die uicesimo Vuolfgangus Palatinus, quem superiùs delectu copiarum habito, in Gallias profectum diximus, ad Caritæam Burgundiæ urbem, ne quicquam in sequentibus illum Aumalianis & Nemotosianis copijs eiusque iter uarijs uelitationibus retardare conantibus, peruenit. Etsi enim Aumalius initio uicesimoquinto Aprilis cum Masirone, deinde uicesimonono eiusdem Noij, mox secūdo Maij Molbiæ, rursus decimo sexto Maij Sibierg, pugnis, quas diximus, exercuerit, crebrò se ad iustum prælium aciebus utrinque instructis spectante: tamen Aumalio cum copijs instructissimis & ad fortunæ aleam subeundam paratissimis congredi detrectante,

Vuolffgangus eum anteuertens, Caritatam ad Ligerim fluuiũ sibi transmittendum castra locat, eamq; oppugnare instituit, ac ruina a mœnibus latè cõstrata, cũ ex alia pontis parte Mouyus cum trecentis tormẽtarijs suburbium occupasset, præsidiarij ita cõsternãtur, ut per mœniũ ruinas Vuolffgãgi miles triduo pòst facilè irruperit. Itaq; occupata urbe præsidiarius miles effusè obtrũcatus. Paucis pòst dieb. Aumalius prope urbẽ cũ maximis auxilijs cõspectus est. Vuolffgangus urbi capitę præsidio triũ uexillationũ pedestriũ Gallicarũ & duarũ equestriũ Germanicarũ, cũ aliquot tormẽtis bellicis impolito, inde discedit, atq; rectà ad Lemouices, ut se cũ Condianis iungat, contendit. 1569

Hoc eodem die nimirum Maij uicesimo contẽtione inter Reginam Angliç & Albanũ durãte, ea rursus 18. naues Hispanicas & duas triremes Hispanis eripit. ut scriptis publicè impresis relatum est.

Iunij quinto Fridericus de Leuuenstein Cameræ Imperialis Iudex obijt in arce sua Leuuenstein, cũ Camerę Imperialis iudicio, pòst dicessum Episcopi Mersburgensis Sidonij, à Maij uicesimo nono anni 61 magna cũ laude & fidelitate in hũc usq; diẽ præfuisset. Cui successit Reuerendiss. Marquardus ab Hattstein, Episcopus Spirensis & Pręposituś in Vueissenburg, Princeps prudens, moderatus, pacis atq; iustitiæ amans.

Vndecimo die Iunij Vuolffgangus Palatinus Rheni ad fines Lemouicũ progressus cũ copijs in pago Nessuno ad tria milliaria Gallica ab Limosio, distante, inter manus Ludouici Comitis Nassauiẽsis in uera Dei agnitione & inuocatione filij sui Ihesu Christi redemptoris nostri febri ardẽtissima decedit. Senserat eius initiã antequam expeditioni se daret Heidelbergæ. Verùm nihil metu morbi instantis deterritus, ualetudinẽ suã potiùs quàm salutem reformatæ religionis amantium quibus operam opemq; suam addixerat, periclitari maluit, atq; iter susceptũ bono proposito prosecutus est. Cęterùm cum nõ saltem morbi semina ob itineris accelerationem nõ sublata fuissent, sed & uigesimo septimo Aprilis Diuiõne prætereũti, erisipelas in crure, quod multis ante annis fregerat, enatũ fuisset, nec ipse eius curationi, hoste tergo suorũ imminente, temporis quicquã impẽdere potuisset, sed magnis itinerib ocreis armisq; indutus procedere coactus esset, factũ est, ut & cura, & uigilijs, & uehemẽti corporis exercitio ita inflãmaretur, ut sexto Iunij die Benedicti (q̃d est socior Augustinianorũ monasteriũ in Episcopatu Lemouicensi) equo descendẽs, ob immensum calorẽ & corporis agitationẽ uehemẽtẽ ex limpidissimo fonte in Monasterio scaturiente biberet, ac morbo quasi oleũ igni adderet. Ex eo etenim die grauiùs quã antè laborare cœpit, multis fontẽ uenenatũ fuisse suspicantibus, sed falsò, cũ & alij cõplures ex eo biberint, hodierno die superstites. Octauo porrò die febri accessit morbus ille, quẽ uulgus ab accidẽte modò cephalalgiã, modò ab nigricantis linguæ colorẽ fuscedinem, peritiores medici febrim καῦσον dixerũt. Vi itaq; morbi adaugescẽte nono die sumptione sacrosanctæ Cœnę Domini ç, tanquã salutari uiatico ad ingressum cœlestis itineris sese instruxit, atq; die 11. Nessunij inter quintã & sextã horã in Christo obdormijt. Antequã moreretur ad se uenire iussis omnib. suis tribunis, multa præclare testatus causç illius defensionem propter quã in Galliam uenisset, maximopere cõmendauit, & suorũ omnium ducẽ dixit Volradũ Mansfeldicum Comitẽ, qui ei legatus erat. Prodierant ei obuiam Principes Nauarræ & Condensis cum Admiralio atq; in itinere Notrone expugnato tam propè ad castra ipsius peruenerant, ut nocte in sequenti Iohannes Vuolffius consiliarius Vuolfgangi cuius opera fideli præ cæteris in hac expeditione usus fuit, in castra Admiralij ueniret, eique Principis sui obitum significaret ac ille ad uidendum mortuũ

1569 mortui cadauer, sequenti die ueniret corpus ipsius exenteratum, Engolesmium decimoquarto die mensis deductum, illicq; ultra biennium asseruatū est, ut suo loco dicetur, comitante id cū Mareschallo aulico Cunrado Teuffelio, nobilibusq; aulicis maioris securitatis ergò, comite Choisio. Obitū eius totus exercitus planxit, & memoriam uarijs eulogijs lingua Gallica & Latina conscriptis doctissimi quiq; Gallorum celebrarunt, quorum unū atq; alterum lectu dignissimum subijcere placet.

Arma Syris Princeps quòndā illaturus Hebræ-
Omni selectam uicto discrimine Gentem (us,
Duxit: præclarè multis à flumine gestis
Nilo ad Iordanem. Sed tunc pugnare paratus
Et cum de Canaan sperat deferre triumphum,
Terram duntaxat spectat, moriturq; subinde.
Ad Francos tu itidem contendens milite multo,
Auxilium Regi, & populo laturus amico
Contra inimicos: Vuolphgāge pericula uincēs
Omnia duxisti Germanos, quo pia castra
Incolumen & saluum te posse uidere putabant.
Inuida sed citò mors præcidit gaudia nostra
Aduētans siquidē, nostrū uix prospicis agmē,
In te cum subitò (spargens lugubria) sæuit,
Mortuus Israëlis Dux est in uertice Nabo,
Te iuga Lemouicum rapuēre inuisa solutum:
Expectata uidet neuter: frustratur uterq;
Spe populum Domini tuta instatione uidendi.
Dum peragi à nobis aliquid debēre putatur
Præclarum, fatis functi conceditis ambo:
Illorum Moses, populi tu gloria Rheni
Perpetuò Francis, toto & celebraberis orbe.

ALIVD.

Post neglectis domus, numerosæ & commoda prolis.
Exhaustosq; uiæ indomita uirtute labores:
Cum primū iunctis, licuit coniungere castris,
Germanas Francasq; manus: VVOLFGANGVS utrasq;
Amplectens acies ægrotus corpore cælo,
Fato addictā, & uoto animā obsignare paratus
Vtrasq; aspersit uitæ immortalibus auris.
Vltima dona suæ pietatis utrisq; relinquens:
Germanis, fidei cum Gallis uincula, nunquam
Armata soluenda manu, non artubus ultis
Ingenij, æternos sed constatura per annos.
At Francis animā (præclarū pignus amoris)
Commisit moriens: contractis fœderis ut sit
Obses, & assertrix Franci Germania Christi,
Sic indiuisis animisq; & uiribus, arctè
Hærescat Francis, ut gente ex duplici, fiat
Gens eadē in Christo, præsit Germania Gallæ,
Gallia Germanæ fidei: communibus armis
Militiam Christi subeat, communia præstet
Auxilia, et Christo cōmunia pectora, Christus
Vtrisq; est ueluti communis origine mores
Communes, uelutiq; Heros VVOLFGGANGVS, utriq;
Esse suum, uoluit populo commune sepulchrū

ALIVD.

Victor auaritiæ, magni superator & hostis,
A morbo uictus conditur hoc tumulo.

Die duodecimo Iunij, cum deputati ordines Francofurti, re diu multūq; deliberata, inter se conuenissent, de modo, quo copijs Germanicis, è militia Gallicana reuertentibus occurrendum esset, ut citra maleficium ad suos redirent, conuentus soluitur. De cuius decretis ideò minus dici uel scribi necesse est, quod publicata non sint, & pleraq; saltem caput de quo diximus respexerint.

Decimoquinto Iunij, Germanicorū & Gallicanorū principū exercitus, tādem iungitur. Erant uerò in Germanorum exercitu equitum uexillationes uiginti octo, quæ septem millia quingentos armatorum efficiebant, peditū sex millia, sub uiginti duobus signis: ductoribus ijs, quos antè diximus. Accedebant Gallorum equitum ad duo millia, & decem peditum signa, tormētorum maiorum minorumue nouendecim. Aderant & illustres uiri Principes Auraicus Vilhelmus, Ludouicus & Henricus Nassouij fratres, Monsillesius, Marchio Reuelius, Mouyus, Aesternæus Galli. In Principum Gallilo exercitu erant ad quatuordecim millia instructorum tormentariorum, & contatorum præterea perpluses: Equitum ad quatuor millia, maiorum tormentorum quatuor mediocrium duo.

Porrò

Porrò exercitibus ita non solum iunctis, sed & utrinque quasi iam opposi- 1569
tis, ut dirius uehementiusque sese mutuò conficerent. Regina mater uenit Limosium ad Andianum exercitū, Borbonio Lotharingoque Cardinalibus comitata, militesque, ordinibus singulatim inuisis, hortatur, ut in Regis obsequio constanter perseuerent, ad ipsius hostes profligandos: cùm & illi peregrinum in Regni penetralia induxerint. Dent igitur operam strenuam, ne Regi officioque suo defuisse uideantur.

Vicesimoquinto Iunij Condiani fluuio Viana ad Aëssam urbem transmisso ac Germanis longi & laboriosi itineris molestia defatigatis per aliquot dies refectis, tandem ad rupem uicū pugnæ occasio oritur. Eminus eos Andius subsecutus eò usque fuerat, unde Principes, quòd existimarent pugnæ causas ab ipso quæri, omnem exercitum in armis esse iubēt ad primā lucem. & ad eum locum ueniunt, ubi Andius constiterat. Ita pugnam expectantes aciem instruunt. Ad prima initia uelitarij erant dextra leuaque, Pilæo illinc, Ruræo hinc ductore: primam aciem duobus cuneis equitum, hinc dextra Loëus, illinc læua, Briquemaldus, inchoabant. Pedites Germanis bipartiti duabus maioribus turmis: pars, in prima acie, pars, in secunda erat. Primæ aciei Germanorum peditum agmen equitum duobus maioribus cuneis circumstipati, tormenta expedita sex asseruabat ita reliquæ copiæ uariè distributæ. Andiani ferè intra castra erant: aditu uerò custodiendo, hosteque arcendo aderat cum duobus millibus expeditūm tormentariorum Strosius, uir militaris, Petri Strosij Florētini filius, & sibi quidem opportuno loco quod & sepimento munitus tectusque, hostem editiori loco nudum apertumque eiacularetur: & præterea, quatuor Italorum equitum uexillationibus utrinque firmaretur. Pilæus tamen primum impetum eò fecit: at quod tormentorum usus propter pluuiam incommodus eis esset, ab equitibus Italis primum repulsus fuit: eque suis decem cæsi ad illum impetum. Accurrentibus tamen ex templò in auxilium Brilialdo Mottæoque Vasconibus cum duabus equitum uexillationibus, fugatus ita eques Italus, ut Pilæani uehementiori impetu pugnam in Strosianos continuò instaurarint: qui tamen immoti ad sepimentum perdurabant: donec Admiralius, lustrato loco, iusserit alterius cornu tormentarios, Ruræo ductore, eò uenire, hostemque ad latus adoriri: Rem, nec mora, iussi capessunt, crebraque tormentorum grandine ita concussus Strosianus, ut relicto sepimento, perturbatiori ordine cedere incepetit, quod conspicati Principum equites uiciniores, eò confertis agminibus irruunt palantemque Strosij peditem cædunt uictores: fugientemque ad riuum usque persequuti, illinc reuertuntur uastissimi imbris impetu coacti. Verùm is pauor Andiana castra incesserat, ut è principum peditibus, nonnulli ad tentoria usque & signa ipsa adierint, Strosius captus & ad Principes incolumis continuò adductus: cæsi Strosianorum ad sexcentos: & ex ijs quidem triginta nominati uiri, Tribuni, aut Centuriones aut signiferi: uulnerati plures. E Principum militibus ad quinquaginta uulnerati aut cæsi: & duo quidem inter eos Tribuni desiderati. Postridie ad Principum exploranda castra quadringenti equites Itali progrediuntur: ab custodibus uerò conspecti, insequentibus nonnullis equitibus perturbatiori ordine, ita aliquot cæsi, plures capti.

Circiter initiū Iulij Principes, qui post cladē Strosianā cōmeatus penuria, Periguriū cōcesserāt, eo relicto castra promouēt, & insequēte eos eminùs Andio aliquot castella munita expugnant, Brentomum urbem deditione capiunt: deinde Cabanæum arcem munitam, quæ firmo præsidio tenebatur. Expugnata arce, quod obstinacius sese ad mœnium ruinas defendissent, & in Prin-

1569 in Principum frumentatores, etiam fuiſſent iniurij, obtruncati fuerunt præſidiarij: captus Tribunus, qui in redemptionem, Petrum Viretum, qui ad Bearnum regionem ditionis Nauarrææ, captus fuerat, pollicebatur ſe reſtituturum, & uiginti millia præterea Francorum. Arx die ſexto Iulij tum incenſa ſoloq; æquata. Andius, Perigurio relicto in Turoniã uenit: maximãq; exercitus partem, legionum uexillationumq; inſtaurandarum atq; supplendarum cauſa, dimittit ad primum Octobris uſq; diem. In caſtris uix ad mille ducenti equitum, relicti.

Duodecimo Iulij, cum Principibus nunciatum eſſet, Caſtelleraldum oppidum opportunum & copioſum in Pictauina regione, non magno præſidio teneri, eò mittunt continuò Loëum uirum nobilem cum aliquot equitum peditumq; turmis, qui oppidanos de deditione interpellaret. Interpellati oppidani confeſtim dedunt ſe hac conditione, ne expilarentur. Egrediente igitur ex una urbis porta Villerio ordinis equite, urbis cuſtode per aliam cum ſuis ingreditur Loëus.

Decimoquarto Iulij, dum Loëus Caſtelleraldum capit, Principes Luſignanum munitiſsimam arcem, quæ firmiſsimo præſidio tenebatur, obſident, interpellato nequicquam de deditione arcis cuſtode. Oppugnari ergo acriter incepta, uehementi tormentorum bellicorum fulmine, ut latè ruinæ ad mœnia paterent, illisq; lapidum fruſtis iam multi milites enecti: diſponuntur ingreſſuri arcem milites, quod præſidiarij conſpicati colloquium petunt, deditionem his conditionibus paciſcuntur, uti arcis cuſtos ipſiusq; uicarius ſalua ſuppellectile: milites, ſalua uita diſcederent. Reperiuntur in arce præter bellica tormenta quatuor & mediocria duo, commeatus maxima copia, & dicebatur magna quoq; pecuniæ uis ibi fuiſſe reperta. Et hoc quidem ut obiter illud indicemus eſt oppidum Luſignanum, cuius arx à Meluſina altera quaſi Circe à quamplurimis inter hos à Claudio Cãpegio in deſcriptione ſuæ Galliæ condita eſſe putatur. Etenim Raimundo Comiti Foreſtij, regionis Lugduno & Aueruiæ uicinæ, atq; nepoti Comitis Pictauienſis elocaræ: hic tantum terræ circa rupem quandam comitatus ſui, in ſolenni die nuptiarum nepotis dono dediſſe fertur, quouſq; Ceruina pelle in corrigias diſſecta extendi poſſet, Meluſinam itaq; eo loci conſtruxiſſe munitiſsimã arcem, ad quam priuſquã perueniri poſsit, duo firmiſsima ſola ſunt tranſeunda. Arce uerò Luſignana perfecta, Comitis Pictauienſis ad conuiuium à Meluſina inuitati conſenſu, arcem à Cõdriricis nomine duabus literis ab initio demptis denominatam, uicinis poſtea prope arcem domos ædificantibus, quæ ſucceſſu temporis ciuitatem conſtituerint. Cæterùm Iohannes Buchetus in tertia parte ſuorum annalium Aquitaniæ capite quinto, uel ignarus huius hiſtoriæ, uel eam pro fabula reputans: Meluſinam id nominis accepiſſe arbitratur ab arce Luſignana & Mella, cuius ipſa domina fuerit: ſubſcribẽs tamẽ ſententiæ eorum, qui Meluſinæ & Raimundi filios Godefridum Dentatum & Guidonem Luſignanos fratres fuiſſe exiſtimant, tãtum nominis in expeditione Hieroſolymitana ſub Philippo rege Galliæ anno milleſimo centeſimo octuageſimo ſuſcepta, adeptos, ut Balduinus Rex Hieroſolymitanus filiam antea Vilhelmo Marchioni Montisferratenſi nuptam, alteri ipſorum Guidoni in matrimonium ſecundum elocarit, à quo poſtea complures Cypri Reges Luſignani dicti fuere ob cauſam, quam in ſequentibus de bello à Turca Venetis inducto agentes, breuiter expoſituri ſumus.

Circiter hoc tempus ita uariè incommodis illatis & in frequentiori etiam exercitu Andij uidebatur Nauarrææ, & Principibus, alijsq; optimatibus, tem-

pus

pus minimè alienum inijciendi mentionem de pace. Itaq; Nauarræ, Princi- 1569
pumq; & aliorum nobilium uirorum, qui in castris erãt, nomine, fit ſupplex libellus Regi offerendus, certæ firmæq; pacis conciliandæ cauſa: quem ut memoria benèdignum totum hic exſcripſimus, ut quid unquam poſtulâ-rint perſpicuum ſit.

Nouum hoc planè, Rex, atq; adeò penè incredibile eſt, ex tãto hominum numero, quos Deus Opt. Max. Maieſt. tuæ ditioni ſubdidit, ne unum quidẽ hactenus apparuiſſe, qui periculoſiſsimum hoc incendium, quod in omniũ oculis uires quotidie magis ac magis ſumens totum hoc tuum regnum peruagatur, ac conſumit aut prohibere aut reſtinguere tentârit, ſaltem etiam ſe tentare ſimulârit: imò uerò plures reperti ſint, qui nulli omnino labori, nullis ſumptibus pepercerint, ut iam ardenti faces ipſi ſubijcerẽt, atq; etiamnum hoc agant palàm, ut quibuſcunque poſſunt artibus ignem nutriant, augeantq;. Hæc uerò conſilia quanquam prius ab illis expectari ac proficiſci par eſſet, qui priuatas ob cauſas cõtra Maieſtatis tuę ſententiã ultrò has turbas excitarunt, quique pro arbitrio nunc pacem ſcribunt, pòſt paulò bellum renouant, non ab ijs qui in conſcientiæ honoris, uitæ, fortunarumq; diſcrimen uocati, nihil aliud quàm de defenſione aduerſus uim cogitant, quiq; antea ſemper ciuiles iſtos tumultus deteſtati, nihil magis unquam in uotis habuerunt, nihil ex animo diligentiùs curarunt, quàm ut pax illęſa atq; integra ſeruaretur: Ea tamen uis eſt eius affectionis, eiuſq; nexus atq; officij, quo ſecum Regina Nauarræ, ſimul etiam filius Candæuſq; tibi conſanguinei Principes, tum equites, nobiles, cæteriq; omnes qui ipſis in hoc bello adſunt, Maieſtati tuæ ſalutiq; regni à natura obſtrictos ſentiunt, ut amplius ſibi differendum non putârint, quin pro ſua parte, quemadmodum antea ſæpè, ita nunc quoque ea in medium adferrent, quibus hoc regnum ſartum, tectum cõſeruari in poſterum poſſe uideretur, uindicariq; ab ea ruina quam ſanè, ſi unquam aliás nunc demum minatur præſentiſsimam. Qua in re hoc unum ſeriò ſpectant, ut ciuilibus diſcordijs conſopitis penituſque ſublatis, tandem aliquandò pax & tranquillitas publica reſtituatur: ad cuius etiam nomen, quod anteà ſemper faciliores propenſioresq; fuerint, quàm fortaſſe par erat, in ea tandem pericula illos deueniſſe cognitum eſt, quibus non niſi ſummo & ſingulari Dei beneficio, ipſiuſq; potente manu, contrà omnem ſpem atque expectationem erepti ſunt. Quò fit etiam ut ne nunc quidem huius ſui deſiderij fructum aliquem ſperare audeant, niſi idem ille hoſtium ſuorum, qui te obſident tuaq; bonitate abutuntur, animos emolliat, & ad pacem concordiamq; deflectat. Alioqui enim ſatis intelligunt, tantum abfuturum, ut hæc ingenua ac ſyncera uoluntas, qua ad ueram ſolidamq; pacem tori ſpectant in bonam partem accipiatur, ut contrà non defuturi ſint complures, qui eam calumnijs ſuis obſcurent & ſiniſtrè interpretentur. Quod etſi antea ſemper ab illis experti ſint, quibus hoc adeò bellum cordi eſt, quiq; nihil magis timent, quàm ne illa aliquandò concordia coëat, qui tamen hoc unum eis iam inde ab initio maximè in uotis fuit, ut & conſilij inſtitutique ipſorum Maieſtati tuæ ratio penitùs conſtaret certiſsimis teſtimonijs intelligeret, nihil eos ardentiùs optare, quàm in eo officio ac deuotione cõſtanter permanere, quo tibi arctiſsimo uinculo ab ipſis natalibus addicti ſunt, reliquis etiam omnib. notũ fieret, quã ſint, fuerintq; ſemper animis ac mẽtibus alieni ab ijs quibus ab aduerſarijs inculpantur. Atq; iam antea ſępiùs ac lubentiſsimè præſtitiſſent, niſi hanc ſtatim aduerſarios occaſionẽ arrepturos nõ dubitaſſent, quò omnib. perſuaderent ipſos nõ niſi ſũma neceſsitate ad has pacis cõditiones adactos. Quod eò qui-

dem

1569 dem certius futurum Principes sibi persuadebant, quò impudentius illos ipsos hostes compertum erat Maiestati tuæ palàm affirmare ausos, neque ullas usquam in Germania copias in auxilium Principum coactas, & si quæ in posterum cogerentur, facilè huius regni aditibus prohiberi posse: imò etiam iam introgressis tot fluminum, tot itinerum impedimenta obiecta esse, ut uel parua manu hoc agi posset, ne cum Principibus aliquãdo uires cõiũgerent: Quin etsi id non succederet, Principibus belli neruos non suppetere, unde tot copijs satis facerent. Hæc una maximè causa effecit, Rex, ut Principes cæteríque, qui eis in hoc bello adsunt, tempori aliquandiu cedendum sibi putauerint, nec antè ad Maiestatem tuam de re tanti momenti acturi cõfugere ausi fuerint, quàm coniunctis uiribus stipendijsque exercitui persolutis, collectis etiam maioribus copijs quæ hinc inde hactenus dispersæ fuerant, iam eò res summo Dei beneficio deuenerit, ut nec aduersarij quidẽ negare possint, non solum pares eas ad resistendum esse, uerùm etiam ad maius aliquid exequendum, si quidem ea illis mens, ea uoluntas esset, quam hactenus illi ijdem aduersarij falsò commenti sunt. Nam ut ea omittantur quæ ab hominibus in dubium reuocare possint, quis neget primis illis tumultibus post Guisium & Santandreanum morte sublatos, & Montmorencium equitum magistrum in media acie captum, qui triumuiri & præcipui exercitus duces erant, Principem Condæum cæterosque omnes earum partium oblatas primùm pacis cõditiones, quæ de sola religionis libertate erãt cupidè ac libenter accepisse? Superiore uerò bello, cùm post collectas copias receptaque auxilia maxima, in eo statu Carnutum uersaretur, ut in ipso conspectu hostilis exercitus magna iam ex parte dilapsi ac dissipati urbs amplissima præsenti oppugnatione iam iam capienda esset, meminisse omnes possunt ad primam præconis publici Maiestatis tuæ nomine missi denunciationẽ, qua obsidentibus religionis libertas pristina restituebatur, eundem Principem non ab oppugnatione solùm, sed & ab ipsa obsidione continuò recessisse. Cuius tamen reuerentiæ ac prompti admodum obsequij non is fructus fuit qui esse debuit, cùm ex eo tantùm sanguinolentam pacem retulerit. Sed & ijsdem illis secundis tumultibus post Sandionysianum prælium, quo superiorem fuisse Principem euentus docuit, eodem ipso Montmorencio Magistro equitum, ac inter præcipuos exercitus duce, occiso, dissimulari nõ potest à Principe ad Maiestatem tuam Thelignium dimissum, qui & imminens regno periculum ab auxiliaribus copijs, quæ iam in limite erant denunciaret, simul etiam consilia proponeret, quæ ad concordiam publicam spectare uidebantur, cæterùm de religione tantùm erant. Denique sciunt omnes tum demum concessam pacem, edictaque de ea proposita, cùm in eo statu Euangelicorum res essent, ut legem etiam dare potuerint, si quidem concessis sibi à Deo uiribus abuti maluissent: & in omnibus tractatibus ac colloquijs de libertate tantùm religionis actum, hostesque ad pacis conditiones non antè adductos, quàm cùm se ui aperta nihil amplius posse intelligerent. Quæ cum ita sint, ne quid tamen coloris in posterum aduersariorum calumnijs relinquatur, Principes, equites, nobiles, cæterique qui eis in hoc bello adsunt, iniuriarum quas hactenus passi sunt obliuisci, & memoriã deponere cupientes, hodie coram tua Maiestate perinde ac coram supremo Deo edicunt atque testificantur: Quanquam antè hac indignis modis accepti tractatique sint, nunquam tamen id eis in mentem uenisse, ut Maiestati tuæ ea adscriberent, quam sciunt ad clementiã natura propensam, ab huiusmodi iniustitia & crudelitate planè abhorrere: cuius rei tot tantaque testimonia iam pridem præbuisti ut iuste de eo dubitare non possint. Multò etiam minus de ea uoluntate mutanda, aut

aut etiam minuenda cogitasse, quam ab ipsis natalibus erga tuæ Maiestatis 1569
statum conseruationemq́ ipsius gesserunt, atq́ etiamnum gerunt. Ex quibus omnibus etsi hactenus satis liquidò constare potuit, nihil eos aliud in animo unquam habuisse, quàm ut te Rege ac Principe, sub auctoritate legũ tuarum Deo Optimo Maximo ex præscripto ipsius liberè seruirent, & eodem quo cæteri subditi tui iure censitis honores, uita, bona deniq́ integra remanerent, nunc etiam huius suæ uoluntatis adeò amplum & sanctum testimonium dare statuerunt, ut ne ab hostibus quidem ipsis in dubiũ reuocari posit. Quod tamen ita accipi nolint, quasi aut priores suas actiones, quarum æquitas & innocentia cùm Maiestati tuæ, tum etiam cæteris Regibus Principibusq́ extraneis, qui modò cõiurationis & partium Hispanicarũ nõ sunt, satis superq́ nota est, purgare ac defendere cupiãt, aut etiam cum Maiestate tua quasi æquo iure pacisci: (sciunt enim, Deo gratia, quod sit subditorum erga Principem ac Dominũ suũ officium) sed cũ hactenus experientia ipsa docuerit, quàm uilis quibusdã fuerit à Maiestate tua data fides, quæ alioqui sacrosancta esse debuit, & qua sæpe temeritate atq́ audacia nominis tui auctoritate in summũ tuorũ qui restitutam ac reformatã religionẽ profitentur, periculum abusi sint, nihil alienũ ab officio facturos se putarunt Principes, cæteriq́ qui eis in hoc bello adsunt, si quod nunc corã per aduersarios non licet hoc saltem scripto à Maiestate tua supplices postularẽt, ut de libertate Religionis solẽni, perpetua, atq́ immutabili lege uoluntatẽ suã edicere uelit, quo illi tandem quorũ antea temeritas eò usq́ prorupit, ut bis edicta atq́ stabilitã petrumpere & uiolare ausi sint, hoc saltem tertio quasi uinculo contineantur. Et quoniam iidem illi cùm restitutam ac retentam aliquandiu legum de religione sancitarum obseruantia inter tuos cõcordiam ferre non possent eas nouis indies interpretationibus, abrogationib. derogationibus. subrogationibus ita eneruarunt, ut uix tandem earũ umbra & imago restaret, Principes uerò cæteriq́ harũ partiũ satis iam intelligunt iustißimo Dei iudicio, quod procliuiores fuerint ad eas conditiones suscipiendas, quibus locis personisq́ certis religione circumscripta, quasi cum Deo partes fiebãt, grauiùs se pace ipsa, quàm aperto bello afflictos atq́ uexatos: cũ eis de iure Dei aliquid remittere bona fide non liceat, iterũ Maiest. tuã, Rex, etiam atq́ etiam supplices obtestãtur, ut in omnibus omnino ditionis suæ locis, omnibus etiam in uniuersum hominibus sine aliqua personarũ, locorum, temporum exceptione eiusdẽ reformatę religionis cultũ atq́ exercitium cõcedat, eamq́ libertatẽ quibus res exigit securitatibus muniat atq́ cõfirmet: Præterea Maiest. tuæ edicto hoc etiam cõprehendatur, ut alterutri religioni unusquisq́ nomẽ det, eamq́ publicè profiteatur. Qua una re his facilè occurri potest, qui hac libertate ad impietatẽ & carnis licentiã abutentes, omnem religionis curã ex animo abiiciunt, nihilq́ magis exoptant, quã cõfusum huius tui regni statum, peruersumq́ Ecclesiasticæ disciplinæ ordinẽ intueri. Cùm uerò nobis dubium esse non poßit, quin aduersarij nostri, quibus hactenus hoc maximum cõsiliorũ fundamentum fuit, calumnijs nos causamq́ nostrã in omnium odium atq́ inuidiam trahere, statim obiecturi sint, magis nos de suscepta temerè religione pertinaciter retinenda, quàm de erroribus, si qui sunt, retractandis atq́ emendandis cogitare: hoc nunc palàm ut antea sæpe, edicimus atq́ profitemur, si quid in ea quæ pridem Maiestati tuæ Gallicarũ Ecclesiarum nomine exhibita est, fidei professione ex uerbo Dei, quod Canonicis scripturæ libris comprehensum est, ab Prophetarũ aut Apostolorũ doctrina alienũ sensisse docebimur, paratos nos statim manus dare, & in eo-

OOoo rum

1569 rum concedere sententiam qui & non errasse demonstrabunt, & melius aliquid sequendum edocebunt. Quam etiam ad rem nihil ardentioribus uotis exoptamus, quàm Oecumenicũ ac liberè cõcilium ritè cogi, in quo unicuiq; suas in medium rationes proponere liceat, quæ ex Dei uerbo aut confirmentur, aut etiam refutentur, quod summum ac singulare huiusmodi cõtrouersijs remedium semper habitum est. His rationibus certũ est omnino, Rex, te hoc breui, Domino faciente, consequuturum, ut & subditorum animos conciliatos ac inter se benè concordantes & regnum hoc tuum in pristinam dignitatem ac splẽdorem restitutum uideas: magno sanè communiũ hostium pudore atq; infamia. Quod etiam Maiestatem tuã supplices orant, ut diligentius consideret, simul etiam expendere dignetur, consultiusne sit ab infestis exercitibus, qui nunc in tuo regno coacti sunt, funestam omnino & sanguinolentam uictoriam expectare, ex qua uictor non minus quàm uictus damni accipiat, an eas simul coniunctas uires in alios potius usus conuertere, quorũ hodie ea se offert occasio, qua nulla nostro sęculo maior, nulla regni tui tranquillitati & coronæ Gallicę conseruationi cõmodior apparuit, ut & hoc modo tam aliena tempestas, in eas unde profecta est partes, tandem aliquando retorqueatur. Qua in re, ut & in cæteris, quę tibi quidem ad status & regni tui amplitudinem pertinere uidebuntur, Principes, equites, cæteriq; qui eis in hoc bello adsunt, se suaq; simul omnia usq; ad extremum spiritum ultrò impendere parati sunt: nullum omnino alium præter tuum in terris supremum, in se principatum agnoscentes, in cuius etiam obsequio, reuerentia, fide, clientela uiuere se ac mori uelle profitentur. Quò sanè nihil maius, nihil amplius, uerus Princeps à probis & fidelibus subditis aut expectare aut exigere potest.

Mittitur præco ad Andium qui publicæ fidei libellum ab eo impetraret, ut scriptum illud Principũ ad Regẽ posset ferri. Re ab Andio denegata, Amiralius scripti illius exemplar ad Marescхallum Mommorentium consobrinũ mittit, rogans illud Regi offerret, explicatis causis, cur ad Regem certi homines minimè mitterentur. Respondet Mõmorentius, se scriptum illud Regi exhibuisse: Regẽ uerò noluisse illud recipere, hancq; causam reddidisse, se nihil uidere neq; audire uelle, quod ab Amiralio proficiscatur, nisi prius ille se in eum statũ restituerit, ut pro officio suo Regi obsequatur, itaq; possit bonam ipsius gratiam inire, & addebat Mõmorentius, existimare se, Amiraliũ bonam Regis gratiã initurũ, si ad officium uelit redire. Excipit secundis literis Amiralius. Quod Rex supplicẽ illum libellũ noluerit recipere, se id maximè dolere: at uerò relinquere se iudicio omniũ Christianorũ Principũ non præiudicatorum, num ipsi suũ officium fecerint, præstando Regi obsequio: cum semper conati fuerint omnib. modis impedire calamitates quæ regno pestem exitiumq; ultimũ minitentur, quę uera debeat esse ratio bonæ ipsius gratiæ ineũdæ. Verũ, quãdoquidẽ animaduertat aduersarios suos Regẽ ita impellere ut uel regni exitio & ruina, se sociosq; suos cõstituerint, cõsciẽtiæ pace, religionisq; usu & uita priuare, facturos se in posterũ q̃d è re uidebitur.

Vicesimo secũdo Iulij, qui erat dies Veneris, Andius oppugnatę Lusignanæ nuntio accepto, quo Pictauio uicino prouideretur, mittit cũ Duce Guisio & ipsius fratre Marchione Menio mille quingentos equites, inter quos erant quatuor centeni Itali, Paulo Sfortia ductore: & unã Germanorũ uexillatione. Erat præterea iustũ peditum præsidiũ: ut militũ facilè essent ad sex millia, Pictauij: quæ disertè annotamus, propter futurã obsidionẽ, quã mox cõmemorabimus. De Lusignano tamẽ cõseruando inutilis fuit Andij cura.

Vicesimo

Viceſimo quarto Iulij, Principes exercitu ad obſidendum Pictauium pa 1569
rato, omnes copias ad hoſtis conſpectum nō longe ab urbe oſtentant ad collem. Commodum erat cōſilium & utiliſsimum finem habebat propoſitum, propter magnas urbis locupletiſsimæ oportunitates, quæ ſi principibus ceſſiſſet, ſpes erat præſentiſsima, fore, ut illis lata uberiꝗ prouincia planè potiētibus, res ea ratione faciliusꝗ certiusquē tranſigeretur. Accedebat expugnandæ urbis nō difficiles rationes, Andiano exercitu ferè dilapſo, ſuo cōtrà exercitu, ꝓpter Germanorū aduētum & uiribus & animis firmiore. At dùm obſtinatius ad eā obſidionē perduratur, non felix exitus, maximæ etiā cladis præbuit occaſionē, ſicuti ſuis locis dicemus: Dei prouidētia rem omnē haud dubiè ità moderāte, ut ille humanæ ſocietatis, ſuæꝗ maximè Eccleſię auctor cuſtosꝗ perſpiciatur. Pictauiū ampliſsima habet pomœria, latumꝗ ambitum: ſed illam uaſtæ urbis cuſtodiendæ difficultatem demebant & mœnia commodè diſtributis propugnaculis extructa, & loci natura, fluminis non longè à mœnibus labentis copioſa aqua, munitiſsimi: tùm (quod maximum erat) ducum qui intra urbem erant, peritia, & numeroſa inſtructorum militum multitudo, auxilijquē certiſsima expectatio, quæ etiam conſtantiam maximam obſeſsis addebat. Principes dum ad urbem obſidendam propius mouent, uicina loca, hoſti arctius incommodando, capiunt, Montrebonium, Coccæum, Sanſæum, Viuonam, &c ędesꝗ ruſticas complures, Abbatias, & alias Pontficiorum ſacrificulorum ædes deprædantur comburuntꝗ.

Circiter finem menſis huius, Sanſacus uir illuſtris, Andij mandato Caritæam urbem obſidebat, equitum ad duo millia, peditum ad ſex millia copijs expeditis, cum magna tormentorum ui. Vrbs uaſtiſsimo tormentorum impetu conquaſſata lataꝗ murorum conſtratæ ruinæ: quò cum Sanſaci miles irruere uellet, ab oppidano ita excipitur, ut ad quingentos ad eam oppugnationem dicantur deſyderati, indeꝗ ab oppidano ita repulſi, & Sanſaco aliud cóntinuò contingit incommodum. Repulſi ab mœnibus milites, ad tormenta ſeſe recipiebant: unus illorum aut imperitior, aut conſternatior, funem tormentariū ignitum in capſam puluere in tormentario oppletam imprudens demittit: confeſtimꝗ ita illic concipitur ignis, ut in alias capſas ſeriatim pro more collocatas emanârit: tantusꝗ tormentarij pulueris furor fragorꝗ extiterit, ut frequens militum corona fuerit horribili impetu diſsipata, complurimiꝗ enecti. Vnus è militibus eo tormine fuit inuolutus, ut ad ulteriorem ripam fuerit delatus, & in arena conſpicuo omnibus ſpectaculo concrematus. Eruptiones etiam crebras faciebant oppidani, magno Sanſaci incommodo, qui deſperato expugnationis conſilio, cum & rumor increbreſceret, aduentare Principum auxilia, uaſis collectis diſcedit.

Primo Auguſti Pictauium promotis tormentis ad pontem Andegobertium concutitur. Auctioribus oppidanis per auxiliorum ſupplementa, quæ intempeſta nocte urbem ingreſſa erant, urbs alia ex parte concutitur; munimentisꝗ dirutis, ne nocerent, tormenta commodiori loco adhibentur: pons ad fluuium Principum mādato extructus, quà miles ad pugnam iret, ruinis ad mœnia latè conſtratis. At cùm renuntiaretur non poſſe eà ſine ſumma difficultate iri, eoꝗ die ceſſatum eſſet, oppidani de nocte pontem diruunt, ingenti tormentorum ſtrepitu edito, ne pontis fragor audiretur: Atꝗ aliud incommodi genus oppidani comminiſcuntur, infixis enim in aquam ad pontis fornices præ longis trabibus, & contexta hunc in modum

1569 crate densiori, fluuium sistunt & ita ad eum locum, in quo obsidentium castra feré erant, ea ui deriuant, ut continuò ita imperuius extiterit, subruuntur hæc munimenta, Principum tormentis: sed firmius ab oppidanis posteà instaurantur. Longum esset singulatim omnia commemorare, quæ & obsidentium ad oppugnationes acrem pertinaciam: obsessorum, in sese defendendis parem industriam constantiamq; demonstrent; cùm nihil ab utrisq; quæ uel ad oppugnandas, uel ad defendendas urbes pertinerent, quantùm loci ingenium postularet, uideatur prætermissum. Constratæ quidem uarijs in locis latæ ruinæ: & instructa obsidentium ad ingrediendum acies, & sæpè minimè additæ fuerunt: quòd ab illis qui eas ruinas pro more belli in uiserent imperuiæ renunciarentur: tandem uerò certatim à Gallis Germanisq; nequicquam, & incommodè etiam, tentatæ. Longa tamen illa mora & uarijs obsidentium incommodis, redacti in maximas commeatus angustias oppidani: ut sua ipsorum & iumentorum causa grauiter laborarent, pristino etiam uiciniore ab obsidentibus diruto & ab ijsdem urbem repetere coacta magna plebeculæ inutilis fæce, quam oppidani præsidiarij, urbis exonerandæ causa extra urbem cōpulerant. Variæ tamen & quotidianæ ab obsessis fiebant eruptiones & multæ concitatæ pugnæ, quibus & mutuis etiam tormentorum effulminationibus, multi utrinque desyderati.

Septimo Augusti Comes Mongomerius missus cum potestate, ut Bearno Nauarreæ ditionis regioni prope Pyrenæos hostiliter tentatæ, à Monlucio Tarridioq; uicinis præfectis Aquitaniæ, eò nonnullorum incolarum perfidia adductis, opem ferret, Nauarrein urbem munitam & locupletem à Tarridio obsessam liberat. Assumptis enim Vicecomitum Montalbanensiumq; auxiliaribus copijs, Mongomerius magnis itineribus Bearnum ducit & propè Nauarrein oppidum castra ponit. Inopinati aduentus rumore consternatior Tarridius, obsidione Nauarreidis soluta, in uicinam urbem se recipit: Fugientem persequitur Mongomerius, & obsidet: urbemq; & ipsum post magnam & illatam suorum cladem, Tarridium, & nobiles aliquot uiros capit. Occupatæ ita ab Tarridio urbes totaq; adeò Bearnategio in Reginæ potestatem redit, Mongomerij industria.

Decimo octauo Augusti bello in Gallijs ob religionem flagrante, Imperator Maximilianus secundus, duobus ordinibus Archiducatus Austriæ dynastis & nobilibus liberam religionem in arcibus, oppidis, & pagis eorum permittit: formula agendorum in Ecclesijs, ne in ijs diuersitas induceretur, à Dauide Chytræo, quem ad id euocatum fuisse superiùs diximus, conscripta, & pio consensu ab ordinibus approbata.

Vicesimo septimo eiusdem Pius quintus Pontifex Maximus, Cosmum Medicem ex Duce Florentino magnum Hetruriæ ducem creat, ac edito super hac re amplissimo diplomate instituti sui causas explicat, inter alias hanc adducens: Quod Cosmus suo hortatu Christianissimo Regi Gallorū Carolo centū millia aureorū & alia necessaria ad rebelles regni sui perdomādos subministrarit. Et quia Pij Quinti sanctitas non ignara erat, neque Petrum, neque alios eius in primitiua Ecclesiæ successores tantam autoritatem sibi deputasse, ut uel reges, uel duces constituerent, sed ipsi semper iuxta Christi præceptū se ipsis submiserint, ijsq; obedientiā in omnibus ciuilibus præstiterint, ideò ne noui quid fecisse uideretur, Alexandri Tertij, Innocētij quarti, Pauli quarti exempla secutus est. Clara cū negociationibus, tum doctorum sustentatione, familia Medicæa sæpiùs ad patriæ liberæ dominatum

minatum aspirauit, sed eius conatus uarijs fortunæ procellis magno Reipub. Florentinæ incommodo & Mediceæ familiæ detrimento elusus est. 1569
Nam post obitum Cosmi Magni, quasi fundatoris claritatis familiæ eius (qui ciuibus uolentibus ob humanitatem quasi alter Pericles imperitauit, ut & filius eius Petrus, priuatum potius ciuem se quàm Principem gerens) Laurentius nepos fratre Iuliano à conspiratoribus in templo trucidato, ad retinendum dominatum, Ferdinādum Regem Siciliæ & Ducem Vrbinensem contra Florentinos tumultuantes, euocare coactus est. Laurentij uerò filius Cosmi Magni pronepos Petrus tantam suorum sæuitiam sensit, ob Pisas Carolo octauo Galliarum regi transactione concessas, ut eum cum suis urbe pulsum, hostem iudicarint, ac inito consilio perpetuum Confalonerium constituerint, qui in omnibus talem haberet autoritatem, qualem Dux Venetiarum. Cæterùm hoc statu politiæ à Carolo Quinto euerso, ac Mediceam familiam post coronationē Bononiensem ad Pontificis Clementis intercessionem Florentinis subactis restituente: Alexander Medices Laurentij iunioris filius, Margarita filia Caroli Quinti ex Ioanna cōcubina nata, in matrimonium ducta, Princeps rursus est cōstitutus. At hoc post sextum susceptæ administrationis Reipub. annum ita uoluptatibus uenereis occupato, ut à Laurentio Mediceo agnato, intēpesta nocte mactaretur, Cosmus de quo sermo nobis institutus est, frustrà Florentinis libertatem spirantibus Reip. Florentinæ dominatum consequitur, nec solum eum ita rexit, ut Florentini arce maximæ molis in urbe constructa, præsidijsq; firmata, seruitutis iugum subierint, sed & anno quinquagesimo quarto Senarum urbem Imperialem ob eiectum præsidium Hispanorum obsessam, cum amplissimo territorio, Galliarum Regis copijs à Marchione Marignano profligatis in potestatem suam redegerit.

Tertio Septembris, Admiralius Galliæ, publica sentētia Parlamenti Parisiensis ad instantiā procuratoris generalis cōtra eum in cōtumaciam procedentis, criminis læsæ Maiestatis cōdemnatur, & perturbator ac uiolator pacis, hostis quietis, tranquillitatis & securitatis publicæ: caput, autor, & Dux rebellionis, conspirationis, & coniurationis cōtra Regem factæ, declaratur, simulq; omnibus honoribus, officijs, & dignitatibus priuatur. &c. Præterea eadem sententia liberi dicti Casparis Culignij declarantur ignobiles, illiberales, plebeij, uiles, intestabiles, infames, & incapaces ordinum, officiorū, dignitatum, & bonorum in regno Galliæ, quod si quæ habeant, ea Regi acquisita declarantur. Idem Parlamentum inhibet omnibus, cuiuscunq; status, qualitatis & conditionis, ne recipiant, uel occultant dictum Culignium, uel ei auxilium, fauorem, alimenta, aquam aut ignem præstent: ac iniungit, ut ipsum denuncient, & in manus iustitiæ tradant, sub pœna quod fautores & complices dicti Culignij rebelles Regi, & criminis læsæ Maiestatis rei declarari debeant.

Septimo Septembris Castelleraldo ab Andio die præcedenti cincto, ut Principes ab obsidione Pictauiensi auerteret: hi ea relicta Castelleraldo subuenturi eò propius accedunt. Cæterùm Andius inde mouet, amissis in diurna obsidione ad quingentos, & ferè Italis: Fabiano etiam primario illorū ductore desyderato. Et Pictauium continuo uenit Sanzæus Andij mandato, cum duodecim peditum signis & tribus equitum uexillationibus: & perendie Pictauio discedit Dux Guisius cum maxima equitatus parte, post laboriosas diuturnæ obsidionis molestias, sese recreandi reficiendiq; causa.

Decimo tertio Septembris, post solutā obsidionem duorum oppidorū bi-

1569 nis exercitibus nequicquam se mutuo persequentibus & Andio Chinonem oppidum contendere, ubi maiores copias expectaret: Principes Vnosam oppidum Pictauino in agro & loca finitima ueniunt, & ibidem ad aliquot dies morantur. Eo loco Princeps Austraicus Vilhelmus, quem castra Vuolffgangi comitis Palatini secutum diximus, cum Ottone Houel o Electoris Palatini consiliario, paucisque ministris, quorum uix quinque fuere, ab exercitu discedit, ac media Gallia peragrata, in Germaniam saluus atque incolumis cum multorum admiratione peruenit.

Hoc eodem die nimirum decimo tertio die Septembris, urbi Venetorum clades maximo diuinitus accidit: Nam in armamentario ipsorum longe instructissimo quod illi Arsenale uocant, duæ turres puluere tormentario, & tertia sulphure referta, cœlesti igne correptæ, tanto impetu disijciuntur, ut fragor ad quinque milliaria Italica resonaret: ac flamma proximum murum ad septuaginta amplius passus peruadente, multa contigua atque uicina ædificia igne partim diruuntur, partim deformantur, uitreis fenestris ferè per totam ciuitatem uel fractis, uel concussis. Tanta itaque in hac conturbatione clades fuit, ut uigiles turriū in aërem sublimes abriperentur, alij incēdio consumerentur, alij ruinis ædificiorum obruerentur, alij attoniti per plateas, uel interula induti, uel nudi discurrerent, denique quamplurimi perirent, qui nunquam inueniri potuerint, multis prægnantibus mulieribus abortum facientibus. Hæc clades haud dubiè belli Turcici posteà subsecuti nuncia fuit: piscatores tūm sinum maris Adriatici sulcantes, affirmare non dubitarunt, se ignem & stellas instar densissimæ niuis supra urbem decidere uidisse. Repertum uerò est paulò pòst scriptum in celebri urbis loco affixum, quo Veneti ad pœnitentiam admonebātur, nisi maiores pœnas a Deo expectare uellent. Romæ etiam quidam in carceres coniectus perhibetur, qui hanc calamitatem Venetis prædixerit.

Vicesimo primo Septembris dum Principes in Faya Vinosa morarentur, editur supplicium Dominici Albij, qui erat Admiralij domesticus famulus: quòd ille Admiralium Dominū suum instituisset necare: ita uerò res euenit. Mittebatur Albius ab Admiralio ad Ducem Bipontinum cum literis & mandatis. Verùm à Riuerij Andij famulo capitur. Ille ad Andium deductus, & cum Regina matre & Cardinale Lotharingo collocutus literis & mandatis suis expositis, pollicetur insuper se Bipontini Ducis res & exercitum inspecturum, & ad Andium fideliter & uerè omnia relaturum. Ad huius operæ mercedem, repræsentantur ei centum aurei, & in Andij famulos domesticos continuò cooptatur. Ità ad Bipontinum porgit ille, rebusque omnibus exploratis, redit ad Andiana castra: & quod in Bipontini castris cognorat, Andio, Riuerij opera exponit: qui & illum, ad enecandū Admiraliū seu ueneno seu ferro, uehementer solicitat: illique præstitæ operæ mercedem maximam tribuendam pollicetur: triginta nimirūm millia aureorum, quæ ei re patrata representantur, & insuper triginta millia Francorum, annuis redditibus. Recipit se id facturum Albius, & cum ueneno ei à Riuerio dato ad Admiralium redit, illius necandi certo cōsilio. At re dux in carcerem cōijcitur, quod longior illius in Andianis castris mora suspecta esset, quæstione habita, rem fassus, damnatur capitis ut proditor. Cùm uerò sententia in proditorem lata memorabilis est, & totius rei seriē continet, ideò eā subijcere libet, quantumuis talibus periodis constantem, quæ uix Latini sermonis perspicuitatem ferant. Viso ergo (sonat) processu per commissarios deputatos à Principibus Nauarræo & Condensium Dominico Albio famulo

mulo domestico, Casparis comitis Culignij domini Castillionæi, & Admira 1569
lij Franciæ, & uisis tribus audientijs dicto Albio corã latrunculatore generali exercitus, & quinq; alijs ei datis corã cõmissarijs ad hoc deputatis, simulq; cõfessionibus eiusdẽ Albij octaua uice reiteratis, nimirum quod Riuierius præfectus stipatorũ, & Laurẽtianus Ruzæus secretarius fratris Regis, instãti sollicitatione & machinatione eum induxerint, ut Admiraliũ dominum, se ueneno seu ferro enecaret & promiserit dicto Riuierio ueneno tollere, Admiraliũ ab eodẽ ueneno, sub forma albi pulueris accepto, latrunculatori & cõmissarijs exhibito, uisis etiã uerificatione ueneni per medicos & pharmacopolas Hayæ in Turonibus decimo tertio huius congregatos, libello fidei publicæ à fratre Regis tricesimo mẽsis præcedentis dicto Albio cõcesso. Sẽtentia dicti concilij Albius cõdemnatur ut pro pæna proditorij & detestabilis conatus, quẽ sæpius in suis audientijs, & postea publicè in dicto conuentu cum Riuerio se agitasse fassus est, tradatur in manus lictoris executoris altæ iustitiæ, qui eum laqueo ad collũ in crate quadã tractũ, in orbem per plateas & uicos solitos præsentis loci Fayæ Vinosæ circumagat, Albio inscriptionẽ talẽ in mẽbrana circa corpus suũ gestante. Hic est DOMINICVS ALBIVS, PRODITOR CAVSAE DEI, SVAE PATRIAE, ET SVI DOMINI. Primò uerò eũ deducat ad fores hospitij dicti Admiralij, ubi ingenua, camisia saltẽ circũ datus, procũbens, capite ac pedibus nudis, laqueũ in collo gestãs, ac manibus facem ceræ ardentis tenẽs, ueniã delicti à DEO, REGE, IVSTITIA & dicto ADMIRALIO petat, fatẽdo, quod sceleratè, miserè, infideliter & pditoriè cogitarit, promiserit, & attentarit, ueneno necare dictũ Admiraliũ suum dominum. Et eodẽ momẽto in sua prægentia uenenũ, quod cõfessus fuerit sibi ad dictũ finem traditũ per cõmemoratum Riuieriũ, igne cõsumatur. Hoc facto, deducatur circa corpus semper præfatam inscriptionẽ gestans, ad locũ publicũ, ac ibi in furca, quæ illic erecta erit, suspendatur & stranguletur Supplicetur uerè Regi, ut supplicium sumat de Riuerio & Laurentiano, eorũq; cõplicibus. Et si suæ Maiestati cõsultũ uideatur, quantum ad hosce duos attinet, amplius cõspirationem per ipsos factam, certioribus argumẽtis inuestigare, ut re certò comperta, procedat contra eos, pœna adeò seuera & aspera, ut horror & enormitas delicti mereatur, & alijs terrorem incutere queat, exterisq; nationibus exemplo esse, quã Galli naturæ bonitate abhorreãt à tam sceleratis & turpibus cõsilijs. Declarãdo, dictos Riuierium & Laurentianũ eiusdemq; farinæ proditores opertam officinam tenẽtes ad uenena hominibus uirtute & nomine claris, quærenda, sceleratos, uiles, & indignos omnib. honoribus unà cum ipsorum posteritate ad quartam usq; generationem. Decretum etiam, ut antè executionem sententiæ Albius tormentis subijciatur ad rei ueritatem, machinationes & cõspirationes secũ habitas, aliasq; res in interrogatorijs latrunculatori traditis, eruendas. Hac sententia uicesimo primo die lata, in præsentia non tantum Gallorum, sed & omnium Tribunorum & Ducum Germanorum, quos Vuolffgangum comitatos diximus, subsequenti executioni mandatur, & proditor in crucem à carnifice tollitur, ad exemplũ omni posteritati, ut uirtuti potius studeat, quàm perfidiam exercere cogitet.

Vicesimo nono Principum exercitus Partenæum cõtendit, Andio cominus sequente, ut non milliari longius bina castra metarentur.

Tertio Octobris die. post uarias pugnæ occasiones inter regios & Condeanos in Gallijs quæsitas tandem ad Mogonturũ, quod hi occuparant, pugna cõmittitur, ac re utrinq; acriter gesta, non saltẽ peditatus Germanicus

1569 auſpicijs Principis Vuolffgāgi Palatini comitis in Gallias perductus, ſed & Gallicus à Regijs copijs profligatur. Res ueró ita accidit: Condiani cognito, Andiū nō ſaltem reditu copiarū antea dimiſſarū, ſed & cohortium ſupplemēto nouo auctū, proxime eſſe, illi qui ultimo die Septembris Mongonturum ueniſſent, Partenæum & Niortū oppida petituri, ſuos in armis ad primā lucem eſſe iubēt, & ad colliculū qui nō longè abeſt Mōgonturo exercitū educunt, aciemꝗ ibi per cuneos & cohortes inſtruūt. Ita parato Principū exercitu, continuò alia ex parte cōſpicitur Andianus exercitus, & facilè, quomodò eſſet, agnoſcitur: cōfertisꝗ ordinibus uiam illā, quæ Niortum ducit, petere uidebat. Suſpicatus Admiralius Andij cōſiliū eſſe ſe anteuertere & uiā adeò obſtruere, cōfeſtim iubet exercitum ę colle illo deſcendere ut planitiem occuparet. Qua re cōſpecta Andius, ubi primū ſiſtit equitatū, & in cuneos diſtribuit: primāꝗ adeò aciē ita cōuertit: collemꝗ eum unde deſcēderat Principum exercitus, occupat, prudenti ſanè & induſtriè uſurpato tunc cōſilio. Occupato igitur hunc in modū colle (& præter quidē Admiralij ſententiam) Andius tunc ſe ad pugnā accingit: & diſpoſitis equitū turmis, peditatū prudenter ita cōſtituit, ut colliculi flexu ab tormētorū impetu tutus eſſet. Intereà duobus è locis Andiani exercitus tormēta uaſtè in Principū cohortes & maximis quidem incommodis detonabant: & Andius ipſe omnes ordines inuiſens, ad ſtrenuè agendum, ſingulos hortabatur. Idem & actitabatur ab Nauarræo Condæoꝗ Principibus.

Pugnæ initiū fit ab prima Andij acie eius cornu primū ualidiſsimis duob. equitū Germanorū Italorūꝗ cuneis cōſtabat. Vna illi Moyi & Loei qè regione erant, turmas eo impetu irruūt, ut minimè pares tātæ impreſsioni terga uerterint, perturbateꝗ p Germanorū peditū ordines puaſerint, magno illorū incōmodo. Hic tamē ſuccurrit Admiralius, inꝗ equites Andij Germanos ea ui ruit, ut permulti tūc fuerint deſyderati: & prima etiā Andij acies labare paulum incœperit: ut quidē è ueſtigio â Principū milite uictoria cōclamaretur.

Prima Andij acie ita perturbata, pmouebat interea ſecūda ipſius acies in qua & ipſe aderat Andius: & in ſecūdā Principū aciē magno impetu irruit. Illa, Andianorū primū uim ſuſtinet, grādis tamen modis infeſto onere tandem ſuccūbens, equitatus in fugā uerſus, dum alia ex parte aciei equites ex Andianorū pſecutione nondū ſeſe recepiſſent, ac perturbatis ordinib, palarētur, Principū peditatus omni equitum auxilio denudatur. Occurrebat primū Gallicus ipſorū peditatus, qui Andianorum equitū maiorē uim primū uiriliter ſuſtinuit, magnāꝗ ſtragem edit tormentulorū grādine: At haſtatorū grauiſsimo pondere haud pares, præfractis ordinibus cædūtur funduntur꞉ꝗ, multis tamē uictoris militis indulgētia, uita cōdonabatur amiſsis armis tantùm. Reſtabat Germanorū peditū cuneus at dum & ſe omni equitū auxilio denudatū & uicinorū cladem cōſpicatur re deſperata, & ingreſsi equites ac Heluetij, contis demiſsis uitā exorāt, ſed plæriꝗ cæſi. Ita paſsim ab Principū milite fuga facta: Germano intereà equite ita cedente, ut hoſtis etiam uictor eos non adoriretur. Andius fugientes ad dimidiam leucam perſecutus, in caſtra redit, ad eum ipſum locum, ubi pugna facta erat.

Vt inſignis igitur per eam pugnā clades Principib. allata, ita maxima Andio cōparata uictoria eſt, Principib. maximū de peditatu incōmodū importatū: cęſis nimirū ad mille ducētos Gallis, paucis è Germanico peditatu cōſeruatis, ſed omnib. ferè trucidatis unà cū Ducib. Gāgolpho Quirino à Geroltzeck: & Grāuilliero exercitatiſs. uiro: capta ſex maiora tormēta, mediocria duo, expedita tria. Equitū ad centū deſyderati: nobiles aliquot tribuni cęſi, inter

ſi,inter hos Antricourius:capti Acierius & Noëus uiri illuſtres. Admiralius 1569
uulneratus. Ex Andianis pauci pedites deſyderati q uix pugnæ interfuerãt. Equitũ nõ leuis iactura erat,& nobiliorẽ quidẽ & inter alios uulnerati Erneſtus Petrus Mansfeldius,q Andio merebat,Ringrauiorũ alter mox ex uulnere decedẽs, Claremontius Delphinas comes,& aliquot alij equites ordinis,uulneratus Dux Guiſius:Tertius comitũ Dielziorũ in pugna perijt:Badenſis Marchio Philibertus amittiẽ,nec eius cadauer reperiri poteſt, ſtrenuam operã in pugna nauaſſe ſcribiẽ. Andius eo in prælio Principes militũ numero ualdè ſuperabat,cui nimirũ eſſent ad nouẽ millia inſtructorũ equitum: peditũ ad 18. millia. Principib. ad ſex millia equitum:peditum,undecim millia. Reliquiarũ receptus fuit Partenæũ oppidũ,quod à pugnæ loco ſeptẽ leucis diſtabat:equitũ maxima pars eò ſigna repetijt:peditibus,q̃d difficilior acceſſus eſſet,ſtationes deſignatæ:Gallorũq; ita bona pars ad ſigna redijt intra biduum. Inde quinto Octob. ueniunt Niortũ quo etiã Henricus Chãpernous Anglus centũ inſtructiſsimis equitib. Anglicis uenit, in uexillo inſigne geſtans. DET MIHI VIRTVS FINEM. atq; honorificẽtiſsimè à Nauarræa Regina,alijsq; Principib. excipitur. Ac etſi tãta clade exercitus frangeretẽ, tamẽ Nauarræa & Principes caſum præſentiſsimi oris ſpecie diſsimulãtes eos,qui tum aderãt,quantũ poterãt cõfirmabant. Eoq; facto Nauarræa eodẽ die Rupellã proficiſcitur. Poſtridie uerò Principes Sintonginũ urbẽ relicto ad Niorti cuſtodiã Moyo cũ ualido præſidio,ut Andio primus obex eſſet. Cæterùm,rumore cladis hinc inde p̃mulgato deſerebãtur indies uarijs in locis urbes & caſtella: Nam Lornaius nobilis Turonẽſis ſeptimo Octob. Caſtelleraldum firmũ quidẽ oppidũ circiter horam nonã ante meridianã cum alijs præſidiarijs,quorũ circiter ducẽtos equites & trecẽtos pedites erãt, relinquit:& Andius cum exercitu p̃grediens Partenæũ præſidio uacuũ ingreditur,inde Niortum mittit ſubitarias equitum turmas,qui oppidanis metũ incuterẽt. Erumpit extẽplò Moyus at illis ſubita fuga diſparẽtibus,dũ redit, & ipſe ultimos ordines clauderet,tormentuli globo percutitur ad caput à quodã quẽ amicè ſecum habebat:Monreuello ei erat nomen. Ille re perfidè patrata auffugit,eo ipſo equo inuectus quẽ dono acceperat à Moyo. Vulneratus lethaliter Moyus,cũ obſidionem enixè uellet expectare,ui tamẽ morbi & amicorũ hortatibus cõpulſus,aſportatur dicto die ſeptimo Rupellã ibiq; morĩ poſt aliquot dies,magno omniũ bonorũ dolore. Vir ſagax & induſtrius,& religionis perſtudioſus. Niortum continuò nec expectata obſidione deſeritur:ad quod uenit Andius cũ exercitu,perendieq; cũ Cardinale Lotharingo,Regina,qui Chinone,rerũ citiùs cognoſcendarũ cauſa,ſubſtiterat. Cõtinuò etiam capitur Luſignanum,munitiſsima arx,& bellica tormenta aliquot, quæ recèns eò fuerant importata. Capta Niorto,cum præſentiſsimum periculum San Iano Angelio oppido maximi momenti , & Rupellæ uicino inſtare ab Andio uideretur,Principes re deliberata,munire illud inſtituunt:Pillæumq; uirum militarẽ & induſtrium urbis cuſtodiæ præficiũt. Extranei ſeu oppidani militis ad mille ducẽtos illuc tunc numerati. Principes diſtributo reliquo peditatu ad urbiũ pręſidia,ipſi equitatu aſſũpto, Vaſconiã petere cõſtituunt: ut ſeſe Mõtalbani cum uicecomitib cõiungerẽt:& ſperantes Andium, dũ ſe perſequeretur,ab San Iani oppugnandę inſtituto deſtiturum. Illud ergo iter cum Gallis Germanisq; equitibus ingrediuntur. Interea uerò ad decimum quartum ab Andio San Iani Angeli obſidio inchoatur,& Rex in caſtra ueniens per præconem obſeſsis ſignificat, ſibi eam urbẽ reſtituerent pacatè:ſe illorum, ut ſubiectorum incolumitatem optare , ut illorum opera alijs in bel-

1569 lis uti possit, alioqui omnibus uiribus se moliturum, ut urbe expugnata, ipsi ut rebelles puniantur. Respondetur ab oppidanis, si pax ad Regis Regniq; utilitatem ineatur, paratos se esse urbem restituere: sin minus, urbem, quantum poterint defendendo, defuncturos se esse, suo erga Regem officio: nullas pœnas ideò commerituros. Colloquio habito, hæ conditiones cauentur, urbem Regi restitutum iri, nisi intra decem dies auxilia obsessis uenerint: intereà, nihil, neque intra, neque extra urbem, ad munitiones agatur: Adeundos intereà Principes, ut ex illorum mandato inirentur rationes de pace: Obsidibus utrinque his de rebus caueatur. Ad rumorem tamen istius colloquij quasi rebus desperatis, Sinta quæ ad illum usq; diem custodita fuerat deseritur à præsidiarijs, & magna oppidanorum parte, & uacua ab Andio capitur. Cæterùm hac obsidione relicta, eiusq; euentus narratione in deditionis eius diem reseruata, ad alia progrediemur.

Octauo Nouembris uesperi hora septima Passauiæ, quam quibusdam Parauiam Germanicam uocare libet, Cometes apparuit ex obseruatione Benedicti Vuaileri Mathematici in prima facie quinti gradus Capricorni, propè lucidam stellam sagittarij, stans non procul ab æquatore, caudam projiciens uersus orientem & septentrionem, se uerò mouens cursumq; dirigens ad meridiem & occasum, ubi etiam disparuit. Patauiæ non fuit conspectus ultra quatriduum, Iuuaniæ uerò, quam hodie Salisburgum uocant ad dies quatuordecim: altitudo eius à terra triginta sex graduum, longitudo uersus septentrionem & orientem, graduum quindecim: colore liuido, radians ardentibus flammis, ita, ut naturæ Martiæ habitus fuerit. Hic Cometes haud dubiè famem & pestem, quæ in uicinis illic locis postea sæuière, protendit.

Decimo quinto Nouembris Principes Nemauso nobili oppido Occitano, quò exclusi erant, mira occasione in hoc rerum statu rursus potiuntur, ea uerò talis erat. Vrbs perpetua fonte irrigatur, cuius etiam aqua copiosus pistrinorum usus habetur ad mœnia: ad quæ adeò, ut aqua in urbem emanet latus patefactus est aditus ferreis cancellis munitus. Substiterant Albenaci & alijs Vinariatum urbibus, magna Neurausatum fugitiuorum pars: & re deliberata, cum molitore uiciniores ei aditui pistrini agunt, qui eis suam operam pollicetur. Eò igitur primum clàm mittunt centū milites, qui de nocte, molitoris opera cancellos ferreos serra diducūt, dum serræ fragorem pistrini strepitus falleret. Intereà ueniunt equites ferè ducenti: ad singulorum tergū pedite tormentario inuecto. Ingressi per aditum illum centum milites partam adeunt uicinam, custodibusq; quos obsopitos reperiunt, obtruncatis, portā patefaciunt: per quam cæteri ingressi, maiori numero ad firmiores portas pars uadunt, easq; occupant: pars urbem uariè obuios obtruncant: ipsumq; urbis Gubernatorē Sanctandręanū necant, cædes ducentorū per urbē facta, sacrificulis et fori administris passim obtrūcatis. Ita opportuna urbe potiūtur.

Decimo sexto Nouembris in Belgico rebellionis & innouatæ religionis autoribus (ut dicebātur) ab Albano partim sublatis, partim in exilium actis, Philippus Rex Hispaniarū ad animū reuocat, nihil magis Regē, quā misericordiā atq; clementiā decere. literis Madriti scriptis, post grauem maximorū criminum ac delictorum à subditis commissorum exprobrationem, omnibus ueniam ac ignoscentiam promittit, qui intra duos menses post publicationem literarum uenalium uera contritione ad gremium sanctæ matris Ecclesiæ Romanæ reuertantur, & se in uera obedientia eiusdem permansuros iurent, formulamq; pœnitentiæ à summo Pontifice eiusúe commissarijs ipsis impositā, recipiant. Nominatim à largitione ueniæ excludit omnes ministros

nostros qui doctrinam Catholicam Romanę religioni contrariam sparserint: 1569
omnes qui eos promouerint atque in ædes receptos scienter fouerint: similiter imaginum, altarium atque rerum consecratarum effractores, itidem uniuersos & singulos qui supplicij libello Gubernatrici Belgici anno sexagesimo sexto oblato subscripserint, nec citati interea comparuerint, idem quoque statuit de ijs, qui publicis officijs ac ministerijs præfecti, non ea qua decuerit, seueritate contra sectarios usi sunt, si quis tamen horum omniū nondum cōdemnatus uel proscriptus, fretus sua innocētia, uel ipse uel per procuratorem pro uenia supplicare uelit, huic sex mensium spacium, ut id faciat concedit, experturo, pro qualitate causæ & uarietate circumstantiarum regiam benignitatem. Hæ literæ postea ut Rex singulis prouinciarum præsidibus, mandarat, publicatæ fuere. Cæterùm ad eas uarijs limitationibus, restrictionibus & modificationibus coarctatas, multis in exilio, in quo erant, permanere, quàm dubiæ præsidū gratiæ se cōmittere, potius existimantibus.

Vicesimo quarto Nouembris Regina Angliæ detecta coniuratione comitis Thomę de Northumbelland, & Caroli comitis de Oueстmelland, tendente eò, ut Pontificia religio in regnum reduceretur, contra conspirationis autores decretum in hanc sententiam promulgat in arce Vuinsors Regiam suam Maiestatem sub finem æstatis uarijs modis informatam, de occultis quibusdā consusurrationibus habitis, & in locis spectantibus uersus Diotz & Episcopatu Durantino, & multis suspectis conuenticulis rebellionem sapientibus. Quarum rerum ueritas etsi prima inquisitione satis cognita & declarata fuerit, nihilominus tamen suam Maiestatem accuratiùs rem explorare uoluisse, quoad per aliorum secretorum conuenticulorum renouationem, dicti comites eorumque complices, ueri autores eorum conuincerentur. Interea Comitem de Sussetz præsidem consilij, similiter se commonefecisse, de pessimis rumoribus conspirationis sparsis, ita ut dictos comites ad se uocarit, quo cùm ipsis de istis colloqueretur, eos cum rei ueritatem negare non potuissent, maxima simulatione protestatos se esse innocentes omnium actionum, quarum insimularentur, cum oblatione exponendi uitā contra omnes qui leges uiolare præsumerēt. Hac affirmatione cognita præsidem nō solum ipsis abeundi licentiā cōcessisse, sed & iniunxisse, ut ipsimet inquisitionē de rumoribus sparsis instituerent. Veruntamen licet flāma proditionis ipsorum ita iam uires sumpsisset, ut indies magis magisque adaugeretur, suā Maiest, ne in quācunque suspicionem apud nobilitatē ueniret, sed cuperet comites exoneratos prædictis calumnijs, ac populum suum metu liberatum in ocio ac tranquillitate collocari, mandasse præsidi ut dictos comites nomine suæ Maiestatis rogaret ad eam uenire, præsidem uerò, qui tunc de ipsorum maligno proposito atque conatu plura detecta cognouisset, primo ad tentandam mitigationem animi ipsorum, eos ad se euocasse. Verum tantum abfuisse, ut comparuerint, etiam omnes tergiuersationes ac subterfugia quæsierint cum friuolis responsis, quæ occasionē præsidi dederint, ut eos diligentius ad se sistendum hortaretur, quod tamē se facturos apertè recusarint, ita, ut Regia sua Maiestas hoc commota ipsis literas miserit hoc mandato, ut coram ea comparerent, uerùm eo nonobstante ipsos id facere detrectasse, cęterùm antequam literæ ipsis redditæ fuissent, ipsos, tantum populi quantum potuissent in contemptum suæ Maiestatis congregasse, qui tamen non usque adeò magni numeri fuerit, quod prudentiores honestioresque se ijs aggregare recusassent. Inde uerò eos ad apertam & manifestam rebellionē cōuersos se munijsse armis ac apparatu bellico ut etiam domus ac templa

1569 templa fortificarint, & pro clamata sub proprio ipsorũ nomine fieri curarint, conantes pertrahere subditos suæ Maiestatis in factionem suam, quasi essent homines idonei ad infringendas subuertendasq; leges, minis ad incutiendum terrorem populo adiunctis, quod nisi ad finem propositi sui peruenire possent, extranei ad id exequendum regnum ingressuri forent, nihilominus prætendentes ac disseminantes, nihil se contra Regiam Maiestatem moliri. Hunc uerò esse merum prætextum quem proditores ac uiolatores utilitatis ac quietis publicæ obducant, præterquã quod qualitas & conditio ipsorum benè considerata manifestè quasi ad oculũ cõmonstret, ipsos duos usq; adeò malæ sortis tãtæq; malignitatis esse, quales in toto regno reperiri queant, ita, ut suæ Maiestati cognitum sit, maxima egestate (uno ipsorum nihil possidente nisi exiguam portionem bonorum à maioribus suis perditorum, altero uerò ex patrimonio decocto nihil habente residui) ipsos commotos ad seditiones ac conspirationes sub colore complurium persuasionum & fiducia multitudinis desperatorum complicum ad explendam priuatam ipsorum egestatem & ambitionem, quam tamen occultare uel contegere, absq; certissima præsumptione proditionis atq; molitionis contra suam Maiestatem, statumq; regni longo tempore occultatæ atq; dilatę cum manifestatione aliarum machinationum nequiuerint. Ob eas itaq; causas suæ Maiestati, uisum fuisse admonere uniuersos suos honestos atq; fideles subditos de proditione, rebellione, peruersaq; molitione dictorum comitum, qui contra naturam nobilitatis, institutæ ad defensionem capitis atq; Principis sui, & conuersationem pacis publicæ, apertè ac proditoriè rebellarint, pacemq; publicam in regno Angliæ spacio undecim annorum & plurium continuatam fregerint, id quod, hoc facinus eò detestabilius atq; exosius Deo reddat, qui suæ Maiestati tam longam pacem concesserit, atq; ostendat ipsorum manifestam ingratitudinem erga ipsorum reginam, cuius manibus dicti comites antea sæpè polliciti fuerint fidem atque obsequium. Quare suam Maiestatem uelle hortari omnes suos fideles subditos, ut omnibus uiribus & modis incumbant, tam ad conseruationem pacis publicæ, quam compræhensionem celerrimã atq; maturrimam earum persona rum quæ uel re, uel consilio, uel uerbis, dictis rebellibus, eorumq; socijs fauere uideãtur. Et quamuis sua Maiestas iam antè mandarit dicto Comiti de Suffex suo præsidi & locum tenenti generali in locis Northicis, ut eos proclamaret proditores atq; rebelles dignitatis suæ atq; coronæ. Veruntamẽ ex abundanti, atq; quò ignorantiæ prætextus omnibus adimatur, se uelle per præsentes, ut dicti comites de Northumbelland & Ouestmelland eorumq; complices, adhærentes, atq; fautores habeantur, publicentur ac reputentur, pro talibus in toto suo regno, terris, atq; dominijs sibi subiectis, certo Maiestate sua sibi persuadente fore hanc admonitionem suffecturam omnibus bonis atq; fidelibus subditis ad retinendum eos in officio, atq; præcauendum ne à dictis rebellibus eorumq; complicibus seducantur, spretis commonesfactionibus quas ipsi fecerint, aut facere queãt per hos, qui in pace uiuere nolint, rebus nouis ac populo concitando studentes.

Decembris die tertio San Ianum Angelicũ quod supra mẽsis Octob. die decimoquarto, ab Andio obsessum diximus, post uarias oppugnationes tot mentorũ tẽpestates, multiplicíaq; colloquia hinc inde inter utrosq; habita, Pillæus, cum & penuria cõmeatus laboraret, nec auxilij spes ulla eluceret, dedit his conditionibus, ut obsessi suppellectile salua cum arma & equis, signis tamen minimè explicatis, urbe egrederentur: liceret oppidanis peregrinis ue

nisite, quò uellet se recipere, nullo eis illato incommodo: Non tamen fas esset pro communi religionis cau sa, intra quadrimestre spatium, arma ferre: Deducerentur ad locum usque securitatis, nullo sibi illato uitæ fortunisue incommodo. Egreditur itaque urbe Pillæus cum octingentis peditibus & ad centum equitibus, Engolmium uersus: Birone eos deducente Regio mandato: multi tamen præter fidem uiolati, nonnulli occisi. Ita deditur urbs opportuna & copiosa, postquam duos propè menses fuisset oppugnata. In hac obsidione ex Andianorum obsidentium parte dicuntur ad duo millia desyderati, & illustres quidam uiri: magno Pontificiorum dolore interfectus est, uicesimo nono Nouembris Sebastianus Luxemburgius, comes Martiguius, uir strenuissimus, & ductorũ omnium peritissimus eques ordinis: legatus regius ducatus Britanniæ: quin & in Admiralij locum regia sententia suffectus erat. 1569

Decimo septimo huius mensis, Sansacus, qui secundum ad Vezelæ oppidi Burgundiæ à confœderatis religionis defensi, obsidionem, & uiribus & tormentis auctior redierat, urbemque maiori impetu oppugnare instituerat, ab urbe discedit, oppidano se uiriliter defendente, & Sansacianorum ad mille quingentos ad eam oppugnationem amissis: & ipso Foisio, primario peditum ductore: cum & dolos etiam intra urbem molitus esset Sansacus, duorum hominum opera, qui ab oppidanis deprehensi, laqueo per carnificem suffocati sunt. Permirum est tam paruam urbem, tanti exercitus, tantum impetum toties potuisse sustinere.

Vicesimo primo, inutili conatu Auarici Biturigum occupatio à confœderatis religionis tentatur. Occupatis namque post Mõgonturanam cladem oppidulis nonnullis agri Bituricensis à Briquemaldo & Borrio uiris nobilibus, initur quoque consilium primariæ urbis Biturigum occupandæ, per insidias, ductu militis cuiusdam Vrsini Palli, qui Auarici erat, & pacta mercede facilem ad urbem aditum pollicebatur: at confœderati religionis fallens rem cum Castrio, summo urbis custode communicat: eiusque mãdato, diem confœderatis religionis dicit, rebus ita ab Castrio prouisis, ut eorum qui ad urbem accesserunt pars capti, pars occisi: reliqui fuga euasere: inutili ab illis tentato conatu, Bituricẽses itaque insultus cõfœderatorũ religionis metuẽtes sex alas equitũ ex obsidione Sanjani Angeli pro securitate sua impetrarit.

Circiter finem huius mensis Aumalius cum sua legione peditum & aliquot tormentis bellicis ad præsidium Pictauij rursus mittitur ac exercitu in hyberna collocato Andeganum concedit.

ANNVS SEPTVAGESIMVS.



Nitio huius anni Imperatore Pragę natalitia celebrante, quàmplurimi Principes eò ad Cæsareã suam Maiest. alij alijs de causis uenit. Nam præter Electorem Saxoniæ Augustũ, Marchiones Brãdenburgicos, Albertum Bauariæ, & Iulium Brunsuuicensium duces, uenere eò & alij quàmplurimi legati ita dimissi, ut noui felicitas sese ostendere uideretur. 1570

Octauo Ianuarij Ioachimus Fridericus Brandenburgensis, & administrator Archiepiscopatus Magdeburgensis, filius Iohannis Georgij, nepos Ioachimi secundi Electoris Brandenburgici cum Cathatina filia Iohannis quinti Marchionis Brandenburgensis Custrini nuptias celebrat. Pontifici uerò Romano Pio quinto, sedique Apostolicæ hæc ita displicuere, quòd Ioachimus, nouo exemplo uxorem duceret, ut de tollen-

1570 do illi Archiepiscopatu cogitarit, Germaniam funestis bellis inuolututo, nisi futuris turbis tempestiua remedia, à publicæ tranquillitatis ac patriæ studiosis quæsita fuissent.

Decimo Ianuarij in comitatu Tirolensi propè Salinas Oeni flammæ è cœlo delapsæ quibus pagi complures cum non perpaucis hominibus conflagrasse scribuntur. Hæ haud dubiè iræ Dei indices fuere quam mitiget propter filium unicum redemptorem Emanuelem natum.

Quarto Februarij tractatio de pace inter Regem Galliæ & Nauarræam eiusq; complices Andegaui finitur. Nam cum Rex, ut diximus, circiter finem Decembris se Andeganum recepisset, Nauarræa Principes & optimates ad eum legatione ablegarat, humilimè petentes, ut ipsis exercitium religionis reformatæ liberũ cõcederet, ac eos bonis bonorib. atque officijs pristinis restitueret, deq; hisce idoneè, prout Regiæ Maiest. suæ uideretur caueret, eo facto, omnem debitã obedientiã Regi pollicentes. Cæterùm tales conditiones pacis hoc die retulere, ut extrema quæq; potius experiri, quàm eas recipere statuerint. Quare bellum intestinum Galliæ uarijs in locis restauratur, & plurima oppida hinc inde partim capiuntur, partim diripiuntur, atq; uastantur, ut obiter suo loco indicabitur.

Septimo Februarij in arce Vualdẽbergica Comites Hohenloënsis & Tubingensis miserabili conflagratione intereunt. Quia uerò Historia memorabilis est, breuiter rem ut publicis literis mandata est, ostendemus. Sita est arx Vualdenbergica in comitatu Hohenloënsi in summo monte non procul ab oppido Oringa cõtermino ducatui Vuirtembergensi. In hanc Eberhard s Comes ac Dominus loci ad Bacchanalia quæ in quintum Februarij diem inciderant, aliquot comites ac nobiles, inter hos, Georgium comitem Tubingensem inuitauerat. Die autem uno atq; altero cõuiuando in summa hilaritate transacto, tandem mutos ludos, ut uocant, exercere instituũt. Quare laruati ac uestimentis ex lino & stuppa piceq; liquefacta cõsutis induti, hora noctis decima aut circiter in aula circumeunt, ministris cum facibus præeuntibus: uno uerò eorum, negligentius facem seruante, eamq; Eberhardi comitis uestimento propius admouẽte, ecce id ex improuiso flãmam concipiens, incenditur, quam dum alij laruati incõsideratiùs extinguere conantur, omnes ardore eius corripiuntur. Hoc noui & insperati casus spectaculo uiso, aulici atque ministri adeò consternantur, ut aliqui eorum obstupefacti conciderint, aliqui aufugerint: nonnulli uerò cordatiores de auxilio dominis ferendo cogitarint sed frustrà. Nam dũ quidã urnã aqua replet ã afferre properat, aqua in scalis effusa procidit: Alter quoq; dũ aquam in situla lignea apportat, & medium palatium ingreditur fundo situlæ excidente fideli opera frustratur, aqua quoque in aream palatij effusa. Tertiò in saxeo & amplo labro, quod semper ad necessarios usus in media arce aqua refertum fuerat, ne gutta quidem aquæ ad restinguendam flammam tererint potuit. Interea ergò flamma magis magisq; serpente, comites ac nobiles, quorum uestimenta incensa erant, odeò pice liquefacta cruciantur, ut magnis clamoribus se iugulari peterent, quo tantis cruciatibus liberarentur. Tandem uerò uno quoque, consilium quod posset in tanta consternatione ex cogitante, uaria illis tegumẽta iniecta, quibus flãma nonnihil restincta est, ambustis miserè excruciatorũ corporib. interierũt hac flãma Georgius Tubingensis & Eberhardus Hohenloënsis comites, atq; hic quidẽ amissis prius auribus, & utriusq; manus omnib. digitis, quos sibi leuãdi doloris causa ultrò amputari passus est: præter hos Valentinus à Petling & quidã

Neuudec-

Neuudeccius nobiles, ualdè ambusti fuère. Acciti undequaque celeberrimi medici atque Chirurgi læsis nulla ope succurrere potuerunt, palàm testati, id genus ignis, adeò uenenata ui ardere, ut humana remedia superaret. Hoc itaque exemplum cum alijs ad animum reuocemus, ne ita gaudijs indulgeamus, ut immoderato eorum usu nobis calamitates accersamus, sed modestiam in omnibus actionibus tueamur. Simile huic in Gallijs anno millesimo trecentesimo nonagesimo secundo in nuptijs cuiusdam nobilis Veromandui & puellæ aulicæ parrisijs accidisse scribit Frossardus historiarum suarum libro quarto, capite secundo, commemorans, regem Galliæ qui nuptijs interesset ex flamma simili occasione in curia Sancti Pauli inter saltandum orta, à Ducissa Bituricensi ægrè seruatum, aliquot personatis à flamma ustulatis biduo post miserè uitam finientibus. 1570

Ad diem quintum Martij Fridericus Rex Daniæ nouennali bello inter se & Iohannem Suecum in hunc usque diem protracto, status regni conuocat, & bellum aduersus ipsum redintegrare molitur, sed intercedente Imperatore Maximiliano II. cum Regibus Galliæ atque Poloniæ, alijsque Germanicis Principibus, tandem de concordia sarcienda belloque componendo cogitatur, ut suo loco inferiùs dicetur.

Hoc eodem die nimirum Dominico, qui Ecclesiæ Romanæ more Letare dicitur, Pontifex Pius quintus, Cosmum Florentiæ Ducem quem superiori anno, ut diximus magnum Ducem Hetruriæ salutauerat, solenniter Romę in S. Sixti sacello, pręsentibus omnibus Cardinalibus inaugurat, eiusque capiti coronam benedictam imponit, manibusque sceptrum tradit, non tantùm legato Cæsareo tunc, contra hunc actum in præsentia Cardinalium, Moroni, Alexandrini, & Chiessæ coram Notario frustra protestante, sed & Imperatore per speciales legatos postea missos, eam coronationem nequicquam impugnãte, utpote quæ fieret in præiudicium Romani Imperatoris, sine cuius consensu & approbatione Ducem Florentiæ ad hanc dignitatem euehere non liceret, cum Florentia & Senæ urbes inter Cameras sacri Romani Imperij censeantur. Porrò Coronæ qua Papa Cosmũ donauit inscriptum erat, PIUS QUINTUS PON. MAX. OB EXIMIAM DILECTIONEM AC CATHOLICAE RELIGIONIS ZELUM, PRAECIPUUMQUE IUSTITIAE STUDIUM.

Die decimo Martij Zeruestę (quæ olim Cheruscorum sedes fuisse à quibusdam putatur, etymologia uocabuli alludente) in ducatu Anhaldino ad uiginti unum magni nominis Theologi conueniunt, & consentientibus suffragijs formulæ concordiæ à Iacobo Andreæ Præposito & Concellario Tubingēsi cõscriptę subscribũt. Cum etenim Iacobus Andreę post mortē Heinrici Ducis Brunsuuicensis, unà cum alijs quibusdã Theologis confessionis Augustanæ ducatus eius, Ecclesias ex pia uoluntate Ducis Iulij Heinrici filij ac successoris reformasset, & indies certamina inter Misnenses & Thuringicos doctores Aldenburgico colloquio abrupto adaugescerent: ipse, Iulij Ducis Brunsuuicensis & Vilhelmi Landtgrauij Hassiæ intestina dissidia cum multis alijs pijs aduersantium, hortatu: formulam præscripserat, quomodo de quinque articulis controuersis, nimirũ de iustificatione hominis, de libero arbitrio in actionibus spiritualib. de bonis operibus, de adiaphoris & præsentia corporis & sanguinis Christi in uenerabili sacramento ad stabiliẽdam cõseruandãque concordiã loquendũ atque docẽdũ esset, longisque itinerib. ferè per totam Germaniam decursis eius formulæ approbationē à doctorib. Ecclesiarũ Augustanæ cõfessioni adhærentium quæsierat: ita tamē ut cuique liberum

1570 liberum relinqueret, an quid in hac formula uel mutare, addere, uel deme-
re uellet: suadens, ut si quis hactenus non satis propriè locutus fuisset, uel
aliquid aut metu, aut gratia aduersariorum in rebus medijs cõcessisset, id illi
Christiana charitate condonaretur, & ut rerum præteritarum obliuio, quam
Græci ἀμνηστίαν uocarunt, sanciretur. Norma ad quam omnia dogmata refer
rẽtur essent scripta Prophetica & Apostolica, tria uetusta & orthodoxa sym-
bola Apostolicum, Athanasianum, & Nicænum: confessio Augustana Ca-
rolo quinto Imperatori anno millesimo quingentesimo tricesimo à Protestã
tibus Principibus & Statibus exhibita, cum eiusdem Apologia & Schmal
caldicis articulis & Catechismo Lutheri minore. Probatum fuit hoc eius in-
stitutum nõ saltẽ multis ciuitatibus in superiori Germania & ora maritimæ
sed & duobus Electoribus Saxoni & Brandenburgico. Quin & ipse Impe-
rator, qui ex concordia Principum & reliquorum statuum Germaniæ, fœ-
lices successus contra Turcam, & salutem ac incrementum Imperij pende-
re statueret, Iacobum cum Duce Iulio Brunsuuicensi Pragam in initio
anni huius uenientem, humanissimè compellatum, ut in suscepto negocio
pergeret, cursumq́ quem cœpisset, perficeret, animasse ferebatur. Etsi ue-
rò Praga digressus, ac circiter initium Februarij Vinariam cum legatis Du-
cis Iulij & Landtgrauij ueniens, ut apud Iohannem Vilhelmum Ducem
Saxoniæ, & Theologus ipsius parem formulæ approbationem impetraret,
à Domino Tilemanno Heshusio hanc formulam ἀμνηστίαν improbante, in
publica concione, coram Principe & populo & adiunctis legatis in die Do-
minico, qui erat quintus Februarij acerbissima exceptus atq; dimissus fue-
rit (ut concio D. Heshusij edita luculenter testatur) nec quicquam ante,
quàm isthuc uenisset, apud Mansfeldicos Theologos obtinuisset: tamen cũ
conscientiæ bonitate, tum conatus sui felici successu fretus, in suscepto ne-
gotio perrexit & Theologorum, quos diximus Zeruestæ congregatos, cõ
sensum formulæ suæ adiungit. Verùm, quod dolendum est hic consensus
non solum Thuringicorum Theologorum scriptis oppugnatus, sed &
Vitebergensium retractatione cõuulsus fuit, qui, cum initiò, ut Iacobus An-
dreæ scribit, ad prædictam concordiam paratissimos se obtulissent, posteà,
quæ ille de ipsorum uoluntate amplissimè euulgârat, eleuare & negare cœ-
perunt: ita ut ipse famæ & autoritatis suæ defendendæ causa scriptũ de hoc
ad Cæsarem & reliquos status confessionis Augustanæ Spiræ congregatos
postea ediderit, in quo rerum harum omnium luculentior expositio conti-
netur. Nos hæc obiter attingere non plenè narrare uoluimus, lectorem,
rerũ harũ cognoscendarũ cupidũ, ad lectionẽ scriptorũ utriusq; partis remit
tentes. Nam D. Heshusius cognito, uehementiam suã plerisq; displicere,
cõcionem à se habitam postea edidit, in qua reiectæ conciliationis causas ex-
ponit, & Iacobus Andreæ ne uel ambitione, uel alia causa, hãc conciliationẽ
suscepisse uideretur, instituti sui causas copiosè explicat. Heshusius inter alia
se exemplo Hieronymi & Augustini defendit, quorũ hic Cassiani concila-
tiones in Pelagianismo nõ admiserit, ille de erroribus Origenis Theophilo
„ Alexandrino scripserit. Sermo tuus in ambiguis sententijs libratus aliena
„ nõ dãnat, & nostra nõ denegat: sed fides pura & aperta non quærit Strophas
„ & argumẽta uerborũ, quod simpliciter creditur, simpliciter continendũ est.
Iacobus uerò Andreæ præcipuè concordiæ studiũ urget, & exẽpla malorũ
quæ ex intestina discordia & dissensione cùm in alijs, tum in Orientali Ec-
clesia acciderint exaggerat.

Vicesimo septimo Martij, qui erat dies Lunæ feriarum Paschalium, Ve-
netijs

netijs legatus Turcicus missus eò ad repetendum regnũ Cypri, uel eo dene- 1570
gato ad bellum denunciandum, una triremi appellit: uerùm ab ingressu ripę prohibetur. Venetis ipsi ad id perturbato, eiusq; rei causam suscitanti, respõdentibus, moris ipsorum esse, quod cum feriæ Paschales sint, tali die à negocijs cessare soleant. Ille uerò uidens Venetos comites, qui secum Constantinopoli uenerant, in terram descendere, manus statim uerberare incipit, clamans Ah Mahomet Mahomet. Die uerò insequenti, qui erat Martis, Senatus Venetus eum triremi exire iussum, per interpretem & satellitium decem uirorum, nauigijs coöpertis instar eorum quibus incarcerandi in carceres perducuntur, deduci curat, tanto populi concursu, uocum strepitu, manuum complosione, sibiloq; in signum irrisionis, ut omnes admirarẽtur, nec unquam simile quid uisum fuerit. Data uerò illi audientia in conclaui occluso, non adaperto, ut plerique futurum existimabant, sedeq; propè serenissimum Principem assignata: primo literas magni domini sui exhibet, sigillatas bulla aurea, quas tenebat in summitate capitis, in pileo, quem illi turbantem uocant, & alteras Mahomet Bassæ, quas in sinu tenebat. Titulus quidem literarum gloriosissimus erat, quo præter commemorationem terrarum quibus dominaretur, se dominum omnium eorum, quæ sol celerrimo ambitu suo ambiret, & deuastatorem Christianæ fidei uocaret. Summa uerò earum hæc erat: se repetere à Venetis iniustis occupatoribus & detentoribus Cypri regnum iure suum & ditionis Turcicæ, id si restituant, pacem & gratiam, sin minus, indignationem horrendam bellumq; denunciare, ferro igniq; eos ac ipsorum omnia persecuturum, ac illud etiam effecturum, ut opes illæ thesauriq; ipsorum, quibus præcipuè confidant, torrentis instar diffluant, feroq; eos lacessisse potius hostem potentissimum quàm eidem cessisse peniteat. Has literas Constantinopoli datas scribens, ubi ipsorum maiores propter superbiam atque effrẽnatam inobedientiam contra antecessores suos ignominiosè cæsi ac profligati fuerint, id quod & ipsis similiter euenturum sit. Mahometis Bassæ uerò literæ eos cohortabantur, ut Cypro sponte cederent, consyderantes Turcici Imperatoris horribilẽ atq; inuictam potentiam & fulminantem atq; sanguinolentum acinacem: Veneti uerò Turcica denunciatione audita, ea minime consternati legato respondent, Regnũ Cypri iuris ac ditionis Venetæ esse: id uerò Turcicum Imperatorem contra ius contraq; iuratam fidem ipsis eripere uelle, se mirari satis nõ posse. Quod si ille uim inferat iniustissimum bellum iustissimis armis propellere se paratos, nec dubitare quin Deus uindex iustitiæ utercq; iniuriarũ ipsis adfuturus sit. Hoc ergo responso Barbarus dimissus se ex gratia per uiam coopertam deduci postulat, dicens, oculos tantæ populi turbæ ipsum respicientis, sibi uideri similes oculis Basilisci se deuoraturi. Ad quod ei à Senatoribus & maximè inter hos à Matthæo Dandalo responsum, non esse aliã uiam qua iret, atq; ita rursus ad triremem à prioribus satellitibus conductus, Ragusium uersus celeriter legit, ubi appulsus illi concessus, licet nonnulla cunctatione interposita. Et ita quidem legatus Turcicus exceptus atq; dimissus à Venetis. Antequam uerò ad ulteriora progrediamur, non abs re erit breuiter cõmemorare, cur Turca sibi Cyprum ademptam à Venetis dicat, & quomodo ea in Venetorum potestatem uenerit. Et quidem ad primum quod attinet duplici de causa Turca Cyprum ad se pertinere contendit, cum quod Soldani imperium teneat, cui olim Cyprus propter Hierusalem, de cuius regno hanc insulam putant, uectigalis fuit, tum quoque quod antequam ea Soldani Aegyptij iuri cederet, diu sub imperio Græcorum fuerit,

1570 qui post Constantinum apud Byzãtium regnauere donec quod Richardus Rex Angliæ cũ Hierosolyma classe peteret, Græcis qui ipsum portu prohibuissent inde deiectis, eã Guidani Lusignano de Regno Hierosolymitano cũ Saladino cõtendenti haud grandi pecunia anno domini millesimo cẽtesimo nonagesimo primo concessit. Hoc eam ad posteros transmittente, usq; ad tempora Iohannis regis, qui ex Helena, Theodori Despoti, Iohannis Palæologi Imperatoris Constantinopolitani fratris filia, Carlotam tantum susceperit: ex concubina uerò Iacobum, Filiam autem adultam Iohanni cuidam ex genere Lusitanorum regiò locauit, qui soceri singulari mollitia diffluentis, res cunctas aliquandiu administrauit: Cæterùm hoc nobilissimo Principe à muliere quadam (quod eius filium, loco, quem præcipuum apud Regem tenuerat, adiecerat) ueneno sublato, Carlota matris consilio, Ludouico, Ludouici Sabaudiæ Ducis filio, eius patrueli absenti iterum nupsit. Iacobus uerò nothus Helenæ consilio præsul Nicosiensis à parente factus est, ut regni, cuius eum Helena cupidum animaduerterat, spe excluderetur. At ille interea dum Sabaudus ad regni administrationem euocaretur, spreto sacerdotio Regnum inuadit, ac mox Ludouico è Venetijs classe parata in Cyprum nauigante, eius aduentum expectare minimè ausus, cum amicis fermè centum Alexandriam confugit, ac Soldano turpissimo iuramento præstito eius auxilio Ludouicum in arcem Nicosiæ confugientem expugnat, regnumq; integrum in suam potestatem redigit utque perpetuo munimento firmaretur, Catharinam Marci Cornarij patritij Veneti, qui sibi ex Cypro fugienti nauigium concesserat filiam, in matrimonium ducit, quam Senatus in filiam adoptauerat dote assignata. Hæc post annum uidua ac prægnans relicta, posthumum peperit infantem. Quo breui tempore moriente, regnũ non solum iure hæreditario, sed & testamenti uigore ad Venetos peruenit anno millesimo, quadringentesimo septuagesimo: Nam præterquã quod Catharina filia adoptiua Reip. Venetæ esset, & Rex Iacobus antequam è uita discessisset, testamẽto cõdito septem cõmissarios instituit, Andream Cornelium Reginæ patruũ, comitem Rochasij genere Cypriũ, Iohannẽ Saplanam, magnũ Conestabilem, Riccium Marinũ, Petrum Dauillã gente Hispanũ peditatus regij præfectũ, comitẽ Tripolis, & Archiepiscopum regni genere Cathelanum, Iohãnis Peres comitis Iopis & Carpasij fratrem, mandauitq; ut hi omnes regni gubernatores essent: donec posthumus ex Regina nasciturus, quæ aluum gerebat ad adultã perueniret ætatẽ, ut per se regnũ administrare posset, q̃d si ille absq; heredib. mortẽ obiret, Catharina cõiunx in regno succederet. Hac itaq; cõditione existente ac posthumo moriẽte, Veneti ceu tutores relictam Reginã ad se recipientes, regni administrationẽ nõ citra motus usurparunt, Ferdinandi Regis Neapolitani filio notho, Iacobi Regis Cyprij filiæ marito, regnũ id ex cõsilio antistitis cuiusdã Cyprij sibi uendicante. Nec Carlotta à persecutione iuris sui cõquiescẽte, sed dum obsideretur, Romã ad Sixti Põtificis opes cõfugiente, à quo pecunia deinde adiuta in Aegyptũ transfretauit ad Soldanũ, cumq; apud eum trienniũ auxilij expectatione frustrà triuisset, re infecta Romam reuertit, ubi unà cũ Cyprijs comitibus honesti ordinis eiusdem Sixti libertate ac misericordia usq; ad extremum uitæ tempus uixit. Atque hoc quidem ius Venetorum Cypri occupandæ fuit. Sunt qui scribant Catharinæ Cornariæ puerum posthumum paulò pòst natum à ueneno sublatum, sicut & patrem eius Iacobum ueneno extinctum ipsis hoc pacto rebus suis prospicientibus. Alij uerò aliter scribunt, tantique sceleris suspicione Venetos liberant, ut hac crudelitate sibi com-

comparârint Cypri regnum, sed mortuo patre & posthumo senatum adoptio- Anno 1570. nis & testamenti iure successisse in regnum. Quorum sententiæ nos libenter subscribimus, non ignari quemlibet bonum potius quàm malum præsumi debere. Porrò quod Turca in fine literarum de Venetis Constantinopoli cæsis refert, id ita se habet. Sublata Comnenorum stirpe per Isaacium Angelum Cõstantinopoli atque hoc ad Imperij fastigium euecto, Alexius Isaaci frater minor, quem ille à Turcis captum maximo ære redemisset, non saltem in fratrem Isaacium dolo circumuentum, per(que) summum scelus imperio & oculis priuatum, sed & fratris filium Alexium iuniorem, quem eadem crudelitate perdere statuisset, nisi fuga salutem obtinuisset, impius Constantinopoli Imperiũ adeptus est. Alexius itaq; iunior ad nobilissimos Francorũ proceres, Balduinum Comitem Flandrensem, aliosq; multos Principes, qui icto cum Venetis fœdere in Asiam traijcere meditabantur, confugiens, hos precib. promissionibusq; maximis mouet, ut eorum ope parata classe, Byzantium nauigantium, patre carceribus liberato, pulsoq; Alexio fratricida, in Imperium post subitam patris mortem restitueretur. Verùm uix mense post restitutionem exacto accidit, ut Alexius iunior à Murziphlo quodam ignobili, quem tamen ad summum dignitatis gradum extulerat, fraude necaretur & post ipsius fugã Balduinus ab exercitu Imperator Constantinopolitanus eligeretur, hac conditione, ut Venetis Patriarcham darent ne penes unam gentem utraq; dignitas esset. Cessit itaq; armis Gallicis Venetisq;, quicquid Imperij Isaaci fuerat excepta Adrianopoli, quam Theodorus Loscaris Alexij fratricidæ gener cum Imperij titulis sibi dotis nomine assignatam Græcis odio Latini nominis eò se recipientibus munierat. Cumq; Galliam obsessam expugnare molitetur, Balduinus captus & mortuus est. Ex eo ergo Galli cum Venetis Cõstãtinopolim, Lascarorum uerò familia Adrianopolim possedêre, quoad à Michaële Palæologo Byzantium sub Balduino secundo Roberti filio Petri Antisiodorensis nepote, proditione rursus à Græcis reciperetur. Nam cum Theodoro Lascari Alexij fratricidæ genero, mascula proles nulla esset, sed is unà cum filia Irene Imperium Iohanni Diplobatazio per manus tradidisset, ac huic Theodorus filius successisset, qui filijs impuberibus Michaëlem Palæologum tutorem reliquit, hic pupillis Theodori necatis per summum nephas imperium arripuit, ac cùm Balduinus iunior ingentem exercitum ad Bosphori fauces obiecisset, per eius absentiam proditione Byzãtium, expulsis eiectisq; Latinis recepit anno postquam imperium à Venetis Francisq; occupatũ fuit quinquagesimo octauo, ac diu cum Venetis bellum gessit, à quibus tamen facilè imperio deturbari potuissent, nisi Genuenses obstitissent. Atq; hoc est quod Turcicus Tyrannus Venetos malè mulctatos Constantinopoli gloriatur.

Decimoquarto Aprilis ministris Ecclesiarum in Lithuania & Samogitia inter se quoq; de sacrosancta cœna dissidentibus, quod quidam Augustanã alij Zuuinglianam confessionem in docendo sequerentur, & hi ad cõtrouersiam dirimendam generalẽ Synodum Sendomiriæ celebrãt ac conciliationem articuli de mediatore Christo & cœna dominica instituunt, his uerbis ut fateantur mediatorem Dei & hominum esse Christum IESVM, ita ut mediationis in humana natura peractæ, uim totam ac efficaciam à diuinitate eiusdem filij incarnati, Patris non incarnati, Spiritus sancti nõ incarnati processisse non negent, sed constanter assererent: Item de Cœna Domini se credere, quod secundum Irenæum duabus rebus constet scilicet terrena & cœlesti, neq; elementa signa uel illa nuda ac uacua esse, sed simul re ipsa credentibus exhibere & præstare fide, quod significet. Deniq; ut expresius clariusq; loquantur, se credere & confiteri substantialem præsentiam Christi & non significari duntaxat, sed uerè in

Anno 1565. cœna uescentibus præsentari, distribui & exhiberi, symbolis adiectis ipsi rei minimè nudis secundum Sacramentorum naturam: Huic confessioni, postea ministri Posnauienses eorumq; uicini subscripsêre. Porrò ut hoc obiter admoneamus Samogetarum regio ad Oceanum sita est, contermina Prussiæ, Liuoniæ, fertilis & peropima, magnis aquarum decursibus, fluminib. & fontib. irriguis referta, syluis & nemoribus amœnis consita, nutriendis apibus & ouib. aptissima, gaudens temperato aëre & salubri. Incolæ eius antiqui à Saxonibus originem traxisse feruntur, ac in perpetua libertate & paganismo ultra quingentos annos uixisse usq; ad tempora Regis Poloniæ Iagellonis, postea Vladislai dicti, sub quo Christianæ religioni initiato, ad Christianam religionem conuersi sententia Sigismũdi Imperatoris, Magistri Cruciferorũ ditioni, licet inuiti cessêre, qui quò eos imperiũ detrectãtes facilius in officio continerẽt, tres arces in Samogetia condiderunt, duas supra Neuazam fluuium, tertiam uerò in cõfluente Nemenis atq; Dubezæ. Hodie rursus Regi Poloniæ parent, licet Saxones eos imperio uindicantes ad circulum Saxonicum pertinere asserant.

Circiter hoc idem tempus copiæ Principum quæ post cladem Mongonturanam per Rhutenorum agrum in Montalbanum oppidum profectæ cum uice comitibus inde digressæ, uicinam Tholosæ regionem diu grauiterq; depopulatæ fuissent, superatis inuijs atq; altissimis montibus in Occitanam perueniunt, quæ pars est Prouinciæ seu Galliæ Narbonensis ita dicta, (quod eius incolæ lingua populari pro Ouy, utantur uoce Oc, prout in Franconiæ Germanicæ parte Coburgum attingente, rustici pro eadem uoce IA, dictionem Co usurpant,) Limelium, Vticam, aliaq; loca complurima ibidem capiunt & Occitana peragrata, per Vinariatum agrum in Forestiũm uicinam Lugduno regionem contendunt, Lugdunensibus & hostilis exercitus uicinitate, & uario nouarum copiarum, quæ in Germania ad Principum auxilia cogi dicebantur rumore trepidantibus.

1. Sub finem Maij copijs Principum hinc inde per regnum Galliæ agentibus, & plurimũ damni, locis quò uenirent, inferentib. post lõgas uexationes tractatio de pace instituitur, quæ ut à Principib. non maximè nõ optabatur à Pontificijs cur etiã optaretur manifestæ erãt rationes. Verũ dum Regi suadet quidã accisas Principum copias internetione potius delendas, quã post uarijs in locis uastitates ab ipsis importatas saluas incolumesq; dimittendas, maximè milite Germano nullis stipendijs acceptis ægrè fortunæ aleam subituro, cœpta pacificationis tractatio, sub finem huius in mensem usq; Iunij protrahitur.

Iunij die quinto nuptiæ Iohannis Casimiri Comitis Palatini Rheni Boiariæque ducis, filij Friderici Palatini Electoris, & Dominæ Mariæ Marchionissæ Brandenburgicæ, cum Elizabetha præstantissima, & genere, & forma, & moribus uirgine, filia Electoris Saxoniæ Augusti, & Annæ Reginæ Danicæ, Heidelbergæ, non saltem in præsentia utriusq; Electorum, sed & frequentia aliorum Principum, comitum, baronum, atq; nobiliũ, magna festiuitate celebrantur. Principum uerò animo in his nuptijs subeunte statu Galliæ, ipsi qui persecutione Condensium in Gallijs afficerentur, ac florentissimum regnum bellis intestinis atteri ac deuastari deplorarent, unanimi consensu ad regem scribendum, eiusq; animum ad pacis studium amplectendum, literis in hanc sententiam 12. Iunij conceptis, atq; ad ipsum missis, censuêre.

Initio post officiorum suorum delationem, se Regiæ Maiestati significare quod diebus præteritis in nuptiali festiuitate Illustrissimi Principis Iohannis Casimiri Comitis Palatini filij, agnati & fratris ipsorum congregati, noua quamplurima, ut & antea acceperint, ac præsertim literas Regiæ suæ Maiest. ac matris Reginæ Vuilhelmo Landtgrauio Hessiæ inscriptas cum

certis

certis articulis, ex quibus magno cum gaudio intellexerint Regiã suam Maiestatem in hoc occupari, ut inter subditos suos pacem cõstituat, & regnum ad tranquillitatem atq; concordiam reducat. Quare ipsos Electores & alios Principes Protestantes ex propensa affectione & syncera coniunctione qua regnum Galliæ prosequantur, noluisse prætermittere quin in tam laudabili & Christiano proposito amice ac officiose Regiam suam Maiestatem commonefacerent, eiq; ipsorum propensum & officiosum animum atque consilium detegerent, maximè cum paulò antè hac, quosdam ipsorum requisierit, ut uellent proponere, ꝓmouere, nihilq; prætermittere eorũ, quæ possent facere ad pacẽ atq; felicem statũ, non saltem sacri Imperij Germanici, sed & regni Gallicani. Ac quidam Regiam suam Maiest. certò sibi persuadere debere, nulla noua lętiora ipsis accidere potuisse, quã intelligere tumultus bellorũ perniciosissimos, atq; tristissimos legitimis uijs, & utriq; parti tolerabilibus conditionib. sopitos, & firmã sanctãq; pacẽ plantatã, & inuiolabiliter in regno suæ Maiest. obseruatã, prout & eã illi semper optarint, & hactenus pro uirili promouerint, atq; adhuc in præsentia idem facere parati sint: Nam, quãtum ad bella intestina atq; ciuilia attineat & maximè ea quæ moueantur ob negocium religionis, quæ armis extirpari uel domari nequeat, ipsos minimè dubitare quin Regia sua Maiest. satis ex pręteritis actionibus, & exẽplis pręsentibus satis cognouerit, quę cõmoda ex iis sint expectãda, & ipsa experientiã deprehẽderit intestinis bellis nihil aliud effectum, nisi quod Regia sua Maiest. ualdè debilitata sit, terris, hominibus, uiribus, pecunijs & alijs rebus; belloq; alijs nationibus oculos regno inijciẽdi, uicinisq; diffidenti æ occasionem prębuerint. Quare Regiã suam Maiest. sufficientes causas habere cogitandi de uijs ac modis, quib. cõmodè ac integrè afflicto rerũ statui medeať, atq; ad hũc scopũ maximi momenti respiciat, atq; cõsilia dirigat, nimirũ, ut si regnũ ad pristinã dignitatẽ reducere uelit, de nouo bonũ regimen cõstituat: ad quod præcipuè requiratur ut sit æqua & rationabilis pax, quæ cõmodè à subditis recipi ac coli queat, quaq; inter ipsos omnis diffidentiæ occasio pręcidatur, fiducia uerò in Regiæ suæ Maiest. iustitiã ac æquitatẽ reponatur. Ad hæc per ista bella Gallicana, sacrũ Imperium, statusq; & mẽbra eius grauissimis damnis affecta & molestata esse, tam propter diribitoria & transitus, quã alias etiã causas, præterquã quod ipsis occasio maximę diffidẽtiæ data sit, quãtũ ad negociũ reformatę religionis attineat. Si itaq; Regia sua Maiest. desyderet sartam tectãq; cõseruare amicitiam sacri Imperij & mẽbrorũ eius, in qua incrementũ & fœlicitas regni Gallię quodãmodo consistat, necessariũ omnino esse, ut talia bella quibus status Imperij summopere grauẽtur, rãdem quo ad eius fieri potest, citissimè tollantur & Imperiũ huiusmodi oneribus ac grauaminibus liberetur, nec causa ulteriori diffidentiæ, uel maioribus incõmodis detur. Quibus de causis ipsos amicè ac officiosè requirere Regiam suã Maiestatẽ, ut tractationem de pace inchoatam ita curę ac cordi habeat, ut per eã certa & salutaris pax inter suos subditos cõstituatur cum generali permissione liberi exercitij renouatæ religionis per totũ regnũ: Id quod omnes subditi Maiest. suæ Regiæ expetant. Cæterùm ratione eius desyderari quid in articulis à Regia sua Maiest. perscriptis: Eo aũt nõ cõcesso, ipsorũ iudicio nõ esse sperandam ullã firmam stabilemue pacem, uel eius obseruationem, uel ne quis in contrarium molestetur uel grauetur. Hanc uerò rem non solùm laudi atq; honori cessuram Regię suæ Maiestati, ut pacis amanti ac studiosę, sed nec quicquam suæ autoritati, amplitudini, uel iuri regio derogaturam esse, cum Magistratus Christianus ditionẽ ac regnum suum melius stabilire

1570 nequeant, quam totis uiribus conseruando subditos in certa concordia & statu tranquillo. Ad extremum Regiæ suę Maiestati omnia propensa officia deferentes. Literis uerò hisce præter duos Electores Fridericum Palatinū & Augustum Saxoniæ ducem subscribentes, erant Georgius Fridericus Marchio Brandenburgicus, Ludouicus Dux Vuirtembergicus, Vi helmus, Philippus & Georgius Landtgrauij Hessiæ: Adolphus Dux Holsatiæ, Carolus Marchio Badensis.

Iunij decimo Magnus Dux Holsatiæ & Episcopus Opsaliēsis, quē Moscouita affinitate cum illo contracta Dominum Liuoniæ se facturū promiserat, centū & quinquaginta equitibus Moscouiā ueniens, benignissimè à magno duce excipitur, & triduo post iuramentū fidelitatis ei præstat. De pactis dotalibus inter eos initis uaria sparsa fuisse constat, quæ tamen euanuere.

Decimo tertio Iunij Cæsar Maximilianus qui sub initium huius anni Pragæ comitia Imperij Spiram, ut antè meminimus indixerat, eò cum cōiuge serenissima Augusta, filijs tribus, & filiabus duabus, quarum altera Regi Hispaniarum Philippo, altera Carolo Regi Galliarum desponsata erat, uenit: ac postridiè, nimirum uicesimo Cameræ Imperialis iudicibus clementia ac benignitate Cæsarea delata, electorum ac Principum aduentum expectat: Moguntino Electore sexto die post adueniente, Coloniensi & Treuirensi fere totidem post ipsum.

Iunij uicesimo quarto Rex Poloniæ & Moscouita, cum hactenus inter se uaria fortuna bellum gessissent, inducias triennales faciunt, Legatis Polonicis & magno duce eodem die, qui Iohanni Baptistæ sacer erat, eas iurisiurandi religione firmantibus. In harū conditionibus Polono quæ in Liuonia occuparat toto induciarum tempore cōcessā, & utrinq; negociationes ac profectiones liberæ permissæ fuere. Moscouia uerò hoc tempore tāta fame atq; rerū ad alimoniā necessariarū penuria pressa erat, ut, quod auditu horrendū est, homines se inuicē mactarint, atq; sale in uasis cōditos, ferarū instar ad pellendam famem deuorarint: Tyranno Moscouita nihilo secius in miserā plebeculam sæuiente, ac indies innumeros inaudita Tyrannide, uel in quatuor partes dissecante, uel ursis obijciente, uel in profluentes submergente ob suspitionem filij ab ipsis sublati, ac sibi uitæ insidias structas. Talia legentes à tyrannide ipsius nos cōseruari petamus, & recordemur, Psalmistam nō sine
" causa cecinisse, HEV MIHI, QVI SVM PEREGRINVS IN MESECH, ET
" HABITO IN TABERNACVLIS KEDAR.

Iulij decimo tertio die cum tres Electores Ecclesiastici Spiram aduenissent, & Palatinus ac Saxo suos legatos sufficientibus mādatis, ut & alij Principes misissent, tandem comitiorum initium factū est, Reuerendissimo Episcopo Spirensi Marquardo Imperialis Cameræ iudice præsante, post eius orationem Secretario Andrea Erstenbergero capita deliberationis ex scripto prælegente, quorum præcipua erant.

Primò, effreni licentia militiæ, indies apud Germanos crescente, ex qua nihil aliud proueniat, nisi omnis uirtutis, disciplinæ, ac honestatis Germanicæ corruptio, pacis publicæ & constitutionum Imperij de executione eius contēptus, prouidendū, qua ratione his malis occurri possit, ne exteris regibus copias conscribendi in Germania citra Cæsareæ Maiestatis permissum facultas concedatur, stipendijs quibus & Principes alijq; inferioris status, exteris regibus obligati sint, modus statuatur. Leges militares secundùm quas equites & pedites uiuant condantur.

Deinde ut pro executione & cōseruatione pacis publicæ aliarūq; salubrium consti-

constitutionum Imperij, de eligendo duce, armamentario publico in quolibet circulo extruendo cogitetur in quo munitiones & pecuniæ ad repentinos casus belli reponantur. 1570

Postremò ut & certi quid in uiolatores pacis publicæ qui in proximis expeditionibus status Imperij obedientes magno damno affecerint, statuatur.

Alterū erat de subsidio sexennali contra Turcam ferendo ad alenda præsidia in finibus Hungariæ & munitiones extruendas.

Etsi enim status ingentem pecuniam, in superiorem sexagesimi sexti expeditionem impenderint, & induciæ cum Sultano Selymo ad octennium pactæ sint, tamen maiorem summam in illam expensam, quàm sua Cæsarea Maiestas acceperit, nec Turcicæ pacificationi fidendum, propter bellum Venetis non ita pridem à Turca indictum: Postulat igitur ut sibi expensæ pecuniæ summa ex residuis subsidij ad bellum Turcicum antea collati restituantur, & reliquatores Turcicæ & Gothanæ contributionis officij & debitæ obedientiæ seuerè admoneantur.

Porrò cum quæ in conuentu Deputatorum Francofortensi de sumptibus executionis Gothanæ, sustentatione & alimētis Iohannis Friderici Ducis Saxoniæ captiui, eius uxoris & liberorū æris alieni, portioni ducatus eius inhærētis, solutione proposita fuerint, status Deputati ad generalē cōuentum Imperij reiecerint, nec soli decisionē istarū rerum subire uoluerint. Ideo de hisce statuum ac ordinum Imperij sententiam ac mentem cognoscere petit.

Ad hæc quia nulla politia absq; celeri iustitiæ administratione subsistere possit, deliberandū statibus proponit, quomodo iudicium Cameræ Imperialis reformandū sit, ita ut absq; diuturna mora partiūq; dispendio in causis pendentibus procedi, litesq; ad celerem exitum perduci possint.

Et quia de custodia actorum iudicialium tempore motuum proximis annis in ora Rhenana excitatorum, dubitatio emerserit; cui ea incūberet, ideo circa hunc articulum, decretum statuum requirit, qua ratione, cuius sumptibus, quem in locum, cuius itidem conductu, tempore belli uel mortalitatis, acta Spira in alium tutiorem locum sint transferenda.

Præterea proposita in comitijs Augustanis nouissimis de recuperatione imperio subtractorum, atq; tunc temporis ob impedimenta nota indiscussa relicta, ad deliberationē statuum etiam reuocari officij ratione postulat, quò ruinæ atq; euidenti defectioni Imperij occurratur.

In matricula quoq; & æstimio Imperij, quia uarij defectus appareant, cum ob alienationes, subtractiones & exemptiones, tum etiam moderationes, è re censet, ut status consyderent, quomodo ipsis occurri & matricula suppleri atq; in ordinem redigi possit.

Rei nummariæ ordinationes à Ferdinando Imperatore diuę memoriæ anno quinquagesimo nono in comitijs Augustanis publicatæ, atq; nouissimis actis confirmatæ, cum in quibusdam locis negligantur, quomodo executioni mandandæ sint, statuum deliberationi itidem committit.

Postremò ad sessiones, de quibus inter quosdam status controuertatur, quod attineat, Cæsareæ Maiestati suæ hanc rem, ut antè fuerit, curæ fore, ut uniuscuiusq; status iuribus plenè auditis ac ponderatis, controuersiæ istæ legitimè & placidè decidātur. Interea uerò eos admonet, ne propter huiusmodi controuersias alias necessarias deliberationes remorentur, aliosq; status in inanes sumptus coniiciant.

Hæc capita propositionis ab Erstenbergero prælecta, & prolixo exordio ornata ac copiosissimis uerbis exposita, Cæsar ipse deinde in pauca collata

1570 reperit, cui Archiepiscopus & Elector Moguntinus consurgens, nomine reliquorum ordinum pro hoc clementissimo studio gratias egit, de propositis capitibus se cum aliis consultaturum, & breui responsurum ad ea recipiens.

Calend. Augusti Imperator, dum status Imperij de propositis articulis deliberant, & libertatem militiæ retinere conantur, rebus ad profectionem filiç Mariæ Principis genere, uirtute, moribus ac forma uerè regiæ, Philippo Hispaniarum Regi Patrueli & affini post Elizabethæ coniugis Heinrici secũdi Galliarũ Regis filiæ obitum desponsatæ, necessarijs paratis, atq; instructis, eam per Rhenum in Belgicum cum duobus fratribus Alberto & Vuenceslao dimittit inde in Hispanias ad Spõsum Regẽ deducẽdã, eius Maiest comitantib. Domino Georgio Illustris ordinis Theutonici per Porussiã administratore generali, eiusdémq; per Germaniã & Italiã supremo Magistro & Iohanne Episcopo Monasteriense & Osnabrugense. In matrimonio Philippus antea habuerat tres amplissimorum & florentissimorum regnorũ reginas, primam Mariam filiam Iohãnis Portugalliæ Regis, ex qua filium Carolum, de quo superiùs, sustulit: alteram Mariam filiam Heinrici octaui Regis Angliæ, sterilem: Tertiam Elizabethã filiam Heinrici secundi Regis Galliæ, cuí defunctæ, quartam hanc Annam Maximiliani II. Imperatoris filiam, mirùm in modum de hoc hominum iudicijs uariantibus, superinduxit.

Die altera subsequente ut publicis literis impressum extat, in pago Bauarico Rheni, nõ procul à Donauuerda Imperiali urbe sito, circiter quintã horam uespertinã, ad quartã horæ partem sanguine pluit, isq; & in folia arborũ & uestimẽta hominũ collapsus, in uaria loca trãsmissus est: haud dubiè Deo per id miraculum, ut & alia eiusdem generis complura, iram suã denunciante. Sed quis nouit potentiã irç suç, & quis metuit iram suam, ut Regius Propheta Dauid inquit, cõquerens de securitate hominum, negligentium causam crucis & calamitatum suarum.

Tertio huius Dux Albanus qui à tẽpore belli Auraici, tria signa militũ præsidiaria ex superiori Germania in urbe Valẽcina reliquisset, exemplum uindictç in quosdam, qui ob non soluta stipendia, Lodronium Ducẽ in uincula coniecissent, Antuerpiæ edere incipit, idq; in septimũ usq; Augusti, terrorem alijs in posterũ incutiendum, continuat: tertia die Noricum unum capite plectẽs, octo in furcas rapiẽs: quarto uerò die nouẽ capite trũcatis, totidem suspendens: quinto rursus numero multiplicato, decem capitis supplicio affectis, octo suspensos adiungens: septimo autẽ tribus in quatuor partes dissectis duos ense, totidemq; laqueo mulctans. Intereà centum & quinquaginta in uinculis asseruatis quibus tanquã perfidis uiolatoribus militaris Sacramenti, dextera manus aut priores tres digiti cũ perpetua infamia præciderentur, alijs qui innocentes essent, literas fidei publicæ uel denegans, uel eas absq; uirtutis testimonio pro more militari, saltem pro libero trãsitu in terris regijs cõcedens. Vt uerò causa tantæ executionis lectori clariùs pateat illa ita se habet. Tria signa sub Lodronio duce merentia Albanus præsidio Valencianis imposuerat, miles uerò iam pace in Gallijs finitimisq; locis facta dimittendus, cum sibi stipendium trimestre debitum exolui efflagitaret, & Lodronius partem stipendij pãni, reliquam pecuniæ solutione offerret, ille qui se non panno, sed pecunia meruisse diceret, Lodronium resistentem, donec postulatis suis satisfaciat, in uincula conijcit. Hic itaq; paulò pòst tempori cedens, iniuriamq; sibi factam dissimulans, se Antuerpiæ ipsi satisfacturum, eumq; ad nouã militiam scripturũ affirmat, atq; militem incautũ & strophæ ignarũ Antuuerpiã spe stipendij soluẽdi pellicit. Eò itaq; dum peruenisset,

stipendiū quod diximus cōsequitur pro stipendio suspēdia referens. Edita 1570
est huius uindictæ historia, & euulgata in publicis comitijs totius Imperij.

Vndecimo Augusti cum in Gallijs post multas uariasque tractationes tandem hoc mense pax cōstiſſet, Rex edictum pacificationis publicat. Etsi enim quidam ex consiliarijs suasisset, Principum copijs admodum debilitatis reliquias ad internecionem delendas esse, ac ex eius consilio, decimo nono, uicesimo septimo & uicesimo octauo Iunij, cōpiæ aduersariorū infestis agminibus peditæ fuissent: tamen conatu eo minimè succedente, sed copijs Principum animo præsentissimo ad subeundam fortunæ aleam paratis, pacis rationes potius, quā dubij Martis aleam saniore consilio sequi placuit. Ecquid enim residuas regni uires hostis ferè desperati, & ad extrema tentanda alacris, laniēnæ obijci ad Regni internecionem consultum uideri poterat? Accedebat quod Rex suis incommodis perfractus Cęsaris Principumque Germanorum literis ad pacem sollicitaretur, per causam matrimonij inter ipsum & Cæsaris Maximiliani filiam contrahendi, cui minimè Cæsar assentiebatur, nisi pacatis bellorum tumultibus. Itaque rebus ultro citroque agitatis pax tandē summo omnium desyderio hoc mense concluditur, edictoque omnes utriusque religionis homines pacatè uiuere iubentur, quod ipsum pacis edictum, ascribere iuuat. Quod (Rex ait) animaduertam eas bellorum turbas, quæ & iam pridem euagatę sunt, atque etiamnum euagātur, prçsentem regno meo meisque omnibus subiectis ruinā internecionemque minitari: uolui, quò tantis malis occurratur, Regnumque adeò meum ad pristinam tranquillitatē redeat, de matris, fratrumque meorum & mei consilij lectissimorum hominū iudicijs atque sententijs, hæc perpetuò irreuocabilique edicto decernere atque sancire, quæ rata ac fixa omnibus meis mando iubeoque.

Primùm ut rerum omniū post istos bellorum tumultus utrinque hactenus 1
actarum memoria, sempiterna obliuione deleatur, & illorum adeò omniū, quæ eorum causa fuerint consequuta: nec cuiquam, publicòue priuatòue fas sit ullo in foro, aut alio loco litem controuersiamque hac de causa excitare, aut quouis modo negotium facessere.

Interdicto omnibus seuerè prohibeo, ne illarum rerum memoriam reno- 2
uent, aut quouis modo uerbis factòue se mutuò uiolent, aut de rebus ante actis disputent: at unà concorditer pacatèque uiuant, ut ciues amicosque decet. Eos qui secus fecerint, ut publicæ pacis hostes uiolatoresque habebo.

Volo omnibus in locis regni mei, e quibus pulsa fuerit Catholica & Ro- 3
mana religio, ijs continuò restituatur: Illius administris omnia adempta reddantur, eisque & religione & facultatibus suis uti frui pacatè tribuatur.

Et ne qua controuersiæ dissensionisque in posterum occasio relinquatur, uo- 4
lo uti omnes omnibus in regni mei locis pacatè uiuant, nec ullum eis religionis, quam amplectantur, causa, periculum incommodumue creetur, nec domi ijsque locis ubi habitabunt, in eos inquiratur, dum modò ex edictorum meorum præscripto uiuant.

Nobilibus omnibus (seu regnicolis seu alijs) ijs qui plenam summamque 5
Iurisdictionem habuerint, seu illius partem, proprietate aut usu, uno tantum in loco, eorum nimirum quæ summa illa Iurisdictione prædita sint, liber esto reformatæ, quam uocant religionis usus, liberaque illius administratio sibi familiæque subiectisque, & ijs omnibus qui eum locum adierint: quamdiu quidem eo in loco ipsi adfuerint, aut ipsorum familia aderit: pro qua cauebunt, ne quid præter hoc meum edictum accidat, & periculum adeò per illa præstabunt. Locum illum, quem elegerint, priùs uolo

1570 significent præsidibus meis antequam hoc beneficio frui possint.

6 Iis uerò qui istam iurisdictionis facultatem non habuerint, nobilibus tamen permitto facultatem illius religionis exercendæ sibi tantum familijsq; suis. Sin uerò ad eorum ædes amicorum ad decem conuenerint, aut Baptismi celebrãdi causa, aut necessaria alia de re dummodò ne decenarius numerus excedat, nolumus creari illis hac de causa periculum.

7 At Reginæ Nauarræ amitæ meæ hoc gratificor condonoq;, ut præter beneficium omnibus ijs qui summam iurisdictionem habuerint cõmune, ipsi fas sit suo in ducatu Albretio & comitatibus Armigniaco, Foixo, & Bigorrio, uno in loco illarum omnium ditionum, quem priuata possessione teneat, & qui meo mandato designabitur liberum habere usum illius religionis: ut hac de causa omnes qui uoluerint, illa etiam absente, adeant eum locum nullo periculo.

8 Istas etiam urbes singulis præfecturis nominatim designo (quem Catalogum breuitatis causa putamus minimè opus esse recenseri.)

9 Et præterea permittimus, uti illius religionis administrandæ facultas sit omnibus in locis, in quibus publicè comperietur agitata ad primum istius mensis Augusti.

10 At omnibus alijs in locis præter ea quæ à me disertè concessa sunt, omnem religionem illius, seu ministerij, disciplinæ, publicæue puerorum institutionis causa, administrationem seuerè ueto.

11 Quemadmodum nec in aula mea, nec locis ad duo milliaria ei finitimus, uolo religionem illam ullo modo exerceri.

12 Nec item uolo illam religionem exerceri Lutetiæ, nec intra ipsius præfecturæ fines: nec locis urbi ad decem milliaria finitimis: (quæ loca disertè nominatimq; designat.)

13 At mortuorum uerò sepulturam, Præsidibus urbium mearum & alijs administris meis mando, ut illius religionis hominibus eorum locorum facultatem concedant, quæ iam ipsi sibi compararint, aut sunt comparaturi: ita tamen, ut cum aliquis eorum mortuus fuerit, admoneatur præfectus, qui famulis suis dabit mandatum comitandi cadaueris, quòd à publico pollinctore efferetur & quidem noctu, non pluribus quàm decem è demortui amicis funus comitantibus: ne quid turbæ ad has occasiones accidere posit.

14 Nec poterunt illius religionis homines matrimonia contrahere intra gradus consanguinitatis meis legibus prohibitos.

15 Omnes pauperes & ægroti indiscriminatim ad nosocomia, studiosi ad collegia recipientur.

16 Et ne de recta uoluntate Reginæ Nauarræ amitæ meæ, & Principum Nauarræi Condæiq; patris & filij, dubitetur, disertè aio, me illos omnes habere atq; agnoscere pro fidis consanguineis meis, subiectis ac famulis.

17 Quemadmodum & testor me pro fidis subiectis ac famulis agnoscere omnes optimates, equites, nobiles, & urbiũ uicorumq; incolas, publicos priuatosue, qui illos nimirum consanguineos meos secuti sint, aut aliquo modo adiuuerint.

18 Habeo etiam pro bonis uicinis & amicis meis Ducẽ Bipontinũ & ipsius liberos, Principem Orengianum, comitem Lodoicum & fratres, Comitem Vuolradum Mansfeldium, & alios omnes peregrinos Nobiles qui consanguineis illis meis subsidio fuerunt.

19 Amitam illam meam consobrinosq; meos, omnesq; adeò, qui illorũ mandato rem gesserunt, immunes iubeo esse, & nullo modo rationum reddundarum

darum teneri, pecuniæ omnis quæ ob ipsis, ipsorumúe iussu præcepta fuerit 1570
aut ab ærario nostro, aut ab urbibus municipijsúe priuatisúe hominibus aut
suppellectilis hominum Ecclesiasticorum aut aliorum uenditione: siue ex
mulctis, spolijs, redemptionibus prodierit, istius uel præteritorum bellorum
occasione: omnis illius inquam pecuniæ, quantumuis magnam summam il-
la cõficiat, immunes esse & illam, & illos declaro, eosq; omnes qui istis in re-
bus fuerint ipsorum imperijs uersati dummodo ab illa aut illis, & ijs qui ra-
tionibus reddundis interfuerint, ad me referant schedulam rationum reddi-
tarum. Omnia item quæ belli causa hostiliter gesta sunt, condono, militũ de-
lectus, pecuniæ fabricationem, tormentorum commeatuumq; bellicorum
expilationem aut fabricationem: urbiũ expugnationes, deuastationes, mu-
nitiones, mœnium euersiones: Omnes cum peregrinis initas societates: illo-
rumq; peregrinorum in regnũ meum intromissionem. Ea deniq; condono
omnia, quæ & isto ultimo & præteritis omnibus bellis gesta sunt, quasi no-
minatim edissererentur.

Illius tamen religionis uiri ab istius edicti promulgati tempore continuò 20
discedent ab omnibus fœderibus, quæ uel intra, uel extra regnum inierint,
nec pecuniarum collectas hominum delectus, cætusúe alios, quàm à nobis
permissos & quidem inermes agitabunt, ni uelint rebellium publicæq; tran
quillitatis hostium pœnas subire.

Omnes prouincias, urbes, omnia municipia & alia deniq; loca ijsdem mu 21
neribus ac priuilegijs uti frui uolo, quibus ante istos bellorum tumultus
fruebantur.

Et ut omnes in posterum querelarũ occasiones præcidantur, uolo omnes 22
indiscriminatim religionis illius studiosos, capaces esse omnium publicorũ
munerum, peræque ac alij, & omnibus cætibus consultationibusq; quæ ab
illis muneribus dependeant, liberè interesse: nec ullo modo post istud pro-
mulgatum edictum à suis muneribus arceri.

Nolo illius religionis homines oneribus grauari, quàm Catholici, sed per 23
æque omnes ex facultatum ratione onera subire: at propter magna ab illis
religionis uiris tolerata onera, nolo ut urbium tributis, quæ rerum illarum
anteactarũ causa post hàc fient, ullo modo teneantur. Tenebũtur tamẽ & ijs
quæ nostro mãdato indicentur, & urbiũ: alia de causa peræquè ac Catholici.

Liberari eos omnes iubeo ac mando qui istorum bellorum causa capti te- 24
neantur, & quidem sine ulla redemptionis mercede. Si qua tamen merces
iam fuerit repræsentata nolo illam repeti posse.

Si quid controuersiæ inciderit, propter illas redemptionum mercedes, fa- 25
cultatibus, illarum causa aut distractis aut subæratis, uel propter armorũ acti-
tationem: dissentientes partes adeant fratrem meum charissimum Ducem
Andium qui rem componet ac determinabit.

Omnes illius religionis uiros, sub mea tutela esse iubeo: suisq; munerib. 26
& dignitatibus uti frui pacatè. Præfectos tamen seu Senescallos, eorumq; le-
gatos seu uicarios quod aliter à me prouisum sit, nolo illis munerib restitui.
Illis tamen satisfiet mea pecunia: aut si malint in curiarum collegium coopta
buntur. Sin illorum munera maioris sint pretij, reliquum eis renumerabi-
tur: sin minoris, meo ærario reliquam summam illi renumerabunt.

Suppellex quæ extabit adhuc, nec hostili uia capta fuerit dominis restitue- 27
tur, reddita ab illis pecunia emptoribus, quam illi comperti fuerint dedisse,
uti ex curiarum urbiumq; commentarijs constabit. Huiusmodi suppellecti-
lem uolo ita restitui.

At

1570 At fundorū redditus iubeo à dominis liberè hoc anno percipi:omnesq;
28 contrarias sententias abrogo. Si quid ex illis redditibus nō persolutum comperiatur, uolo dominis restitui.
29 Istius religionis hominum ædes, arces, urbes, aliaue loca præsidijs immunia esse iubeo, & ad eundem omninò statum reponi quo antè initos istos tumultus erant.
30 Volo ac iubeo Principem Orengianum & Comitem Lodoicum Nassouuium fratrem omnibus suis ditionibus, quæ intra regni nostri fines sunt, reipsa restitui: & quidem Principatum Orēgianum eo omnino in statu quo erat ante bellorum turbas ex sententiarum ab Henrico patre nostro & regibus maioribus nostris datarum præscripto: omniaq; scriptorum actorumq; instrumenta & monumenta illis reddi restituiq; mando & iubeo.
31 Quemadmodum & utriusq; partis hominibus eadem illa scriptorum actorumq; instrumenta reddi dominis impero.
32 Et ut, quantum fieri poterit anteactarum turbarum memoria penitus aboleatur, omnes sententias aduersus religionis illius homines, ab Henrici Regis patris nostri obitu, propter religionis bellorumq; præteritorum latas, in ipsorum capita, facultatesue, & effectioni mandatas, iubeo mandoq; esse irritas, & è curiarū cōmentarijs illas deleri euelliq;, omnesq; facultates & dirutarum ædium sola areasq; dominis suis, restitui: & ne hisce de causis, uel sibi uel suis in posterum quicquam possint esse sententiæ illæ illarumue executiones, fraudi ignominiæue, caueo.
33 Omnes item sententias in controuersiarum agitatione isto belli tempore impetratas aduersus religionem illius homines, quauis in re antiquo abrogoq; litesq; eo in statu esse iubeo, quo antè initos istos tumultus erant.
34 Volo ac iubeo illius religionis homines obseruare politicas leges regni mei, ne uidelicet diebus festis publicè aliquid distrahant, aut ad officinas operentur: nec diebus, quibus carnium esus interdicitur, macellorum officinę aperiantur.
35 Atq; uti ex æquo in omnibus nulla odij fauorisq; suspicione reddatur, uolo ut lites quæ uel iam motæ sunt, uel posthac mouebuntur, inter diuersæ religionis homines, coram ordinarijs primùm iudicibus agantur: si prouocatio incidat ad suprema Parlamenta: Parisini quidem ratione, quod septem Cameris constat, poterunt, si uelint, illius religionis homines quatuor seu ē præsid. seu senatoribus, ea in Camera in qua ipsorum causa agetur, recusare, nec recusationum causas reddere: quantumuis lege repugnante, quæ non nisi reddita causa senatorem recusari posse uetat. Et illis etiam fas erit alios senatores, redditis causis pro more recusare.
36 Quod attinet ad lites, quarum ad Tholozanum Parlamentum prouocatio est, nisi partes aliud Parlamentum elegerint liti diffiniēdæ, facultas erit eis prouocandi ad nostros supplicium libellorum magistros in palatio Lutetię, qui lites supremo iudicio dijudicabunt diffinientq;.
37 In Rothomagensi uerò, Diuionensi, Aquensi, Britannico, Gratianopolitano, facultas eis erit sex Præsides seu senatores recusare: tres nimirum ad singulas cameras, in Burdigalensi, quatuor in singulas nimirùm cameras.
38 Catholicis etiam fas erit, postulare, ut omnes, qui religionis causa muneribus suis fuerint aliquando abdicati, abstineant à suarum litium cognitione, nulla alia causa expressa & aduersus alios omnes consiliarios recusationis
39 facultas pro more eis sit.

Quoniam uerò complurimi bellorum istorum temporibus, adeò fuerūt

uiolati,

uiolati, ut iniuriarum memoriam relinquere non ita facilè possint, nec ex no- Anno 1576.
stræ quidem uoluntatis præscripto: uti omnes turbarum occasiones præcidan
tur, religionis illius hominibus custodiendas do Rupellam, Montalbanum,
Cognacum, Caritæam urbes: in quibus habitare poterunt ij, qui domum redi-
re tam citò noluerint, turbarum metu. Ad illarum uerò urbium securitatem, fi-
dem suam nobis interponent Principes Nauarræ & Condæus consanguinei
nostri, & nobiles illam religionem amplectentes, & omne pro eis periculum
præstabunt iureiurando interposito, nobis & illas se conseruaturos, & ad duo
rum annorum finem nulla mora restituturos. Interea illis in urbibus Catholi-
cæ religionis usus liber esto, & Ecclesiasticis omnibusque Catholicis libera sit fa
cultatum possessio, & liber usus eandem & iuris formam permanere illis in ur-
bibus uolo, per eosdem administros qui ante ultimos hos motus erant.

Vbi primum hoc edictum binis in castris promulgatum erit, uolo iubeoque 40
arma ab omnibus utrinque indiscriminatim deponi: nec armorum potestatem
penes me, & fratrem meum charissimum Ducem Andium esse.

Commercium omnibus regni mei locis liberum promulgato hoc meo edi- 41
cto, posthac esse iubeo.

Et ut edicti istius mei uiolationes euitentur, impero ijs, quibus mei istius edi 42
cti exequendi partes demandabuntur iureiurando adigant urbium primari-
os, ciues utriusque religionis, ut istius edicti obseruationi diligenter inuigilēt
& sese mutuo utrique recipiant in tutelam & defensionem. Si quid peccatum
fuerit in meum edictum, ego profiteor me ab illis expetiturum pœnas, nisi ui-
olatores mihi sistant.

Vt uerò omnes mei administri meam uoluntatem planè intelligant, nec ul- 43
la in posterum ambiguitas, præteritorum edictorum prætextu relinquatur, te
stor me omnia alia edicta, rescripta, interpretationes Parlamentorum sententi-
as & secretos commentarios in meum de religione edictū abrogare antiqua-
reque: meque illa omnia irrita & nulla esse iubere. Perspicuè autē edico, uelle me,
ut hoc meum edictum ratum fixumque apud omnes sit.

Ad certiorem uerò meæ istius uoluntatis confirmationem, iubeo, ut omnes 44
mei administri, & urbium etiam magistratus de hoc meo edicto sanctè obser-
uando fidem suam iureiurando obstringant atque obligent.

Volo iubeoque uti omnia Parlamentorum collegia eidem iureiurando sese 45
obligent, hoc meum edictum, nulla mora interposita, nec ullis exceptionibus
adhibitis continuò promulgent auguste solenniterque. Vel etiam binis in ca-
stris publicatio peregrinus miles continuò dimittatur. Prouinciarumque præ-
fectis mando, uti per omnes præfecturarum suarum ditiones curent quampri
mum promulgandum, omnesque hostiles uias è uestigio coërcendas. Promul-
gato edicto si quis quid hostiliter cum armis gesserit, norit se capitis suppliciū,
nulla gratiæ uenia, subiturum. Hoc itaque edictum meum norint omnes me o-
mnibus meis subiectis ratum fixumque esse iubere deque illo ubique obseruando
uiderint omnes mei administri.

Hoc edictum continuò Lutetiæ præmulgatur, binisque in castris arma utrin-
que deponuntur: peregrinus dimittitur: Illi de religione uarijs è locis, post lon
gas luctuosasque moras, domos desolatas repetunt: nondum tamen planè ob-
ductis iniuriarum odiorumque uulneribus.

Circiter finem Augusti, equites auspicijs Vuolffgangi Comitis Palatini in
Gallias ad subsidium Principum deducti sub Volrado Mansfeldico in hoc
usque tempus causæ Principum defensione strenuè continuata, in finibus Lin-
gonum

Anno 1570. gonum qui finitimi sunt Heduis & Sequanis stipendij parte soluta inde in patriam per Alsatiam reuertuntur, uix tertia eorum qui ualidissimis corporibus Germania superiore anno exierant, parte superstite: Nam ne quid de peditibus dicatur, quos in pugna Mongonturana ferè omnes contis demissis uitam exorantes, ab Heluetijs unà cum ducibus cæsos diximus, ex uexillationibus equitum uiginti octo, uix undecim superfuere. Nam in pugna Mongonturana ex equitibus Germanicis ultra centum desyderati non fuere, & in uelitarijs pugnis non admodum multi ciciderũt. Qui uerò superstites euasere in hac militia Gallicana, ijs loca uidere ac peragrare cõtigit, ad quę uix multis ab hinc seculis Germano equiti hosti accessus patuit, ipsis non saltē Burgundos, Francos, & Lemouicas, hoste ceruice eorum imminente, sed & Pictos, Xantonas, Petrigoricos, Auuernos, Rhutenos, Quercetanos, Tholosates, Occitanos, Viuariates, Burbonios, aliosq; Galliæ populos, altissimis montibus & fluminibus hoste repugnante superatis, peruagantibus, nomenq; equitum Germanicorum plerisq; in locis illis obscurum. Id quod tamē uix unquam euenturum fuisset, nisi Gallia inter se propter religionem diuisa fuisset: quod ut Tertul. grauissimus & antiquissimus Ecclesiæ Doctor, ad Scapulam scribit: Humani iu-
» ris & naturalis potestatis sis, unicuiq; quod putauerit colere, nec alij obsit aut
» prosit alterius religio: sed nec religionis sit cogere religionem, quæ sponte su-
» scipi debeat, non ui, cum & hostiæ ab animo libenti expostulentur. Porrò uerò Volradum Mansfeldicum ad Spirensia comitia ex Gallia uenientem, non tantum Principes, sed & Imperator Maximilianus clementissimè excepit, eiq; post colloquium cum sua Maiestate habitum, domum properanti, abeundi ueniam dedit.

Septembris die undecimo obijt Reuerendus D. Iohannes Brentius Ecclesiæ Stutgardiæ Præpositus, Academiæ Tubingensis Commissarius, Gubernator Ecclesiæ Ducatus Vuirtenbergici, uir pietate, doctrina multiplici, sapientia, usu rerum & longi temporis experientia præstantissimus. Nam ab initio renouatæ religionis interfuit & præfuit deliberationibus omnibus, colloquijs, & conuentibus, quibus de religione actum est testis, custos, propagator, & defensor ueritatis strenuus. Natus est anno Domini supra millesimum quadringentesimum nonagesimo nono, in oppido Imperiali Vuila, tribus milliaribus à Tubinga dissito, parentibus honestis Martino Brentio, qui illic functus est magistratus officio, Scultetum uocant, uiginti quatuor annis, & Catharina Henichia, ipso die D. Iohanni Baptistæ sacro, unde & nomen illi à parentibus est datum. Corporis statura fuit procera, egregia, atque heroica, latera habuit firma, unde & uox sonora & grauis firma ualetudine usque ad grandæuam senectam fuit, adeò ut rarissimè decubuerit morbo afflictus, nisi quod erisipelate sit uexatus, qui morbus illi fuit familiaris. Verùm tandem hoc anno exhaustus uiribus, confectus laboribus, uigilijs, tentationibus, periculis, & senectute graui, ad quam ut ipse dicere solitus est, omnia mala tanquam ad aram concurrere solent, semper indies deficere cœpit, sicut elychnus oleo deficiente, & in febrilem morbum decima Augusti mensis præcedentis incidens, semper peius habere cœpit, ac finem uitæ instare intellexit, ideoq; omnia facere, quibus ad benè moriendum homines pij se præparant. Quod igitur Dominus Deus noster Hiskiæ Regi Iuda per Isaiam Prophetam præcepit: ut Testamentum conderet: Dispone, inquiens, domui tuæ, quia morieris & non uiues, hoc sibi dudum noster dictum putauit. Ante annos enim quatuor de postrema sua uoluntate testatus est, idque manu propria

propria descripsit. Sed non more filiorum huius seculi, qui de caducis ferè potissimum rebus agunt: Verùm ut pium & primarium Ecclesiæ Doctorem decet, de Fide & religione sua, in qua uitam hanc finire & ad filij Dei tribunal accedere uelit, est cōtestatus. Hanc autē esse, quæ in sacrosancta Prophetica & Apostolica Canonica scriptura, tribus Symbolis Apostolico, Nicæno & Athanasij contineatur. Quia uerò facili momento uoluntas humana mutatur, & ut à Iureconsultis dicitur, mutabilis & ambulatoria est usq; ad mortem, ne quis existimaret, ipsum iam circa uitæ finem mutatum esse ab illo, qui fuerit olim, Testamentum hoc suum, paucis ante mortem diebus, cum iam decumberet, à filio D. Iohanne in præsentia ministrorum Ecclesiæ Stutgardiensis omnium, quos adhoc peculiariter uocarat, prælegi & recitari, eiusq; hos testes esse uoluit, posteà priuatam suorum peccatorū confessionem ædidit, & petita ac impetrata absolutione, Eucharistiæ sumptione fidem suam confirmauit, & uiatico hoc instructus, ad iter se accinxit. Multis uerbis tum Symmistas ad pium consensum & concordiam in doctrina cœlesti, quæ hactenus Dei beneficio in hoc Ducatu floruerit, est cohortatus, addito uaticinio, quod si hanc suam cohortationem admiserint, Deum ipsorum laboribus & conatibus honestis affuturum. Et hoc sui μνημόσυνον commune esse uoluit omnibus. Doctoribus & ministris Ecclesiæ huius Ducatus operam demus summam, ut unum simus in Deo & uerbo eius. Idq; Psalmo confirmauit. Ecce quàm bonum, & quam iucundum, fratres habitare in unum, &c. Quem si Deus longiùs concederet uitæ spatium, se enarraturum, & Ecclesiæ eiusq; ministris sic ualedicturum affirmabat: sin aliter Deo uisum sit, cui se commendet, alij suo id facerent loco orauit. Hæc illius fuit uerè Cygnæa cancio & concio, quæ utinam exaudiatur in tota Ecclesia ab omnibus nostri ordinis hominibus. Toto uerò morbi tempore, nullam non modò uocem, sed ne quidem signum impatientiæ ullum ædidit: Verùm interrogatus de ualetudine & morbo, respondere solitus est, se meliorem sempiternam scilicet appetere & desyderare uitam. Liberos suos natu minores, filio D. Doctori Iohanni cōmendauit de cuius fide nō dubitet, ideoq; de illis se amplius prorsus non esse solicitum. Mors quoq; ipsa, quantumuis aliàs terribilis, ad cuius non dico mentionem, sed tacitam cogitationem exhorrescūt, ut ualdè oprata illi, ita placida quoq; fuit, sicut totius uitæ mores suaues & elegantes. Mors itaq; illi, amara non fuit, sed uerè dulcis somnus, & non est mortuus, sed obdormiuit. Die enim Solis, quæ fuit decima huius, circa horā pomeridianam sextam, in ualde dulcem incidit somnum, qui durauit usq; ad horā matutinam tertiam sequentis diei Lunæ ubi accessit, ut putatur, species apoplexiæ, quæ à Medicis metuebatur semper, quam excepit profundus admodum sopor, qui durauit ferè ad duodecimam usq;. Postquam euigilasset Symbolum Apostolicū à ministro Ecclesiæ est recitatum, audiente & intelligente ipso. Finita recitatione interrogatur, num in hac fide & cōfessione constanter ex hac uita emigrare uelit, disertè respondit (Ia) ita postea uocem amplius ædidit nullā, sed absq; omni perturbatione, aut motu uehementiore, cœpit paulò pòst animam agere, Deoq; creatori & Saluatori unico Christo, cui fideliter per annos quinquaginta in uinea ipsius seruiuit, eiq; cōmendauerat, circa primā horam pomeridianā reddidit, cōpletis uno & septuaginta annis, mensibus duobus, diebus septendecim, relicto suis, nobis omnibus totiq; Reip. Christianæ ingenti sui desyderio: sepultus est Stutgardiæ in tēplo Collegiato, medius inter duos comites, non procul à Cathedra, è qua syncerам, Euangelij doctrinam gregi suæ fidei cōmisso, annos circiter octodecim

magna

1570 magna cum grauitate, authoritate & utilitate proposuit: funus efferentibus sex Ecclesiarum ministris, & comitantibus uicinis pastoribus plurimis, aulicis omnibus qui tum in urbe erant, Magistratu oppidano & ciuium innumera multitudine, non absque multis acerbissimis lachrymis. Pastori suo fidelissimo, postremum hoc pietatis officium præstantibus. Exequias eius oratione luculenta, prosecutus est Iacobus Herbrandus Sacrosanctæ Theologiæ Doctor eiusdemque in Academia Tubingensi professor, easque etiam alij multi erudissimis epitaphijs Græcis atque Latinis ornarunt, ex quibus admiratoris & successoris illius Vilhelmi Bidēbachij tum pastoris Ecclesiæ Stutgardianæ distichon, quo annus & dies obitus ipsius comprehenditur subijcere libet.

Lux Sacra Fœlicis luxit, cui regula Virgo
Additur, & terris Brentius eripitur.

Et hæc quidem breuiter de illo dicere uoluimus: quoniā ipsius uita (ut antē diximus) à uiris doctis eruditissimis lucubrationibus & enarrationibus illustrata sit, non operæ preciū esse duximus, ut multa de illo in hoc tractaretur.

Vicesimo secundo Octobris Spiræ sponsalia Serenissimæ Reginæ Elisabethæ Maximiliani Imperatoris filiæ, cum Christianissimo Gallorum Rege Carolo Nono, regali magnificentia & solēnitate in summo templo sanciuntur: Archiduce Austriæ Ferdinando speciali mandato à Rege Galliæ: Carolo ad eam ceremoniam auspice constituto, & sponsum nomine & facie tenus repræsentante: Archiepiscopo uerò & Electore Moguntino Daniele benedictionis sacræ ritum administrante.

Vltima Octobris, mira uentorum tempestas in utraque Phrysia tam Orientali quàm Occidentali, Hollandia, Brabantia, Zelandia, finitimisque locis suborta est, quā biduo pôst tam calamitosa exundatio Oceani Germanici subsecuta est, quanta à multis retrò seculis non fuit audita. Nam cum in ijs locis propter reciprocationem seu refluxū maris, qui statis ac certis temporibus accidere solet, in utroque maris littore, aggeres cōstructi sint, quibus maritimi fluctus intercipiantur arceanturque hoc die tam uehemens uētus, insuetaque tempestas, undis maris obluctata est, ut secundo refluxu cum primo ui uentorum retardato reciprocante atque commixto, impetu æquoris æstuantis, & sæuitia uentorum aggeres & æstuaria perrumperentur, & non saltem agri, pecora atque iumenta, sed & pagi, arces, ac oppida, cum hominibus inundarētur, uentis tempore exundationis ita sæuientibus, ut nemo se aquis committere, ausus fuerit, nec uicinus uicinum iuuare quiuerit. Multi enim naues ingressi, ut amicis & uicinis periclitantibus opem ferrent, submersi sunt ipsi. Domus permultæ nō aliter ac naues à fluctibus agitari uisæ, in quibus si qui essent pueri, aut qui infirmitatis, aut tarditatis uitio laborarēt, statim submersæ fuere. Robustiorum & agiliorum, qui in superiores ædium partes conscendissent, nonnulli seruati, alij postquam diu deuagati essent, tandem dirutis & à fluctibus conquassatis domibus in mare præcipitati, post multas miserias extincti sunt. Ac quidem altiores & eminentiores Frisiæ partes inhabitantibus, maximum periculum fuit, & ex ijs plurimi undis suffocati fuere. Ipsi enim dum nihil mali sibi ex ista tempestate timerent, ecce repentina calamitas & inundatio eos medijs fluctibus inuoluit. Nam in duabus præfecturis Dongerdelianis (ut fertur) quatuor millia hominum perierunt, in ciuitatula Dockensi trecenti & quinquaginta, in pago Petersbienio centum & sex: in Vuinaem centum septuaginta uel circiter, Pingi quinquaginta sex compluresque alij alijs in locis. Groningæ uerò quæ metropolis est totius

Phrysiæ

Phryfię,præfidiarij Hifpani ac ędificatores nouæ arcis,unà cum fundamētis 1570.
eius euerfis,fluctibus & æftu marino abrepti, difparuere,ita ut quo peruenerint,fciri nō potuerit.Nec minus hæc tēpeftas in alijs locis Belgij fæuijt: Nam & Delffii,Roterodami,alijsq; in locis Hollādię cataclyfmus ifte ita exuperauit,ut etiā fummitatē turriū æquaret,ac infinita pecora cū hominib.undis immerfa abduceret.Antuerpiæ uerò homines ꝓ more loci illius in fubterraneis cellis habitātes,nō folū undis improuifis oppreſsi interiere, fed & hæ ufq; ad fuperiores cōtignationes & tecta ædiū cōfcenderunt. Quanta calamitas in Zelandia acciderit,uix dici uel credi poterit, cū in ea circiter 24. millia iugerū difsipata ferant,nō perpaucis hominib.aquarū impetu deletis. Verum ne Belgas folos hæc clades inuafiffe putet,ea & feptentrionalē oram maritimā afflixit.Nā ne de alijs locis maritimis quid cōmemorem, quo hæc narratio abrumpat: Et propè Hamburgū in die omniū Sanctorū aggeribus ruptis,agrisq; fubuerfis,fata perierūt,nōnullæ domus loco motæ, & impetu aquarū obductę funt,unà cum familijs pecudes aquis obrutæ & extinctæ.In ipfa uerò urbe merces corruptæ,aut uix undis ereptæ & feruatę fūt.De harū inundationū ꝓdigio quę iudicāda fint,ubi de Rheni inundatione fubfequēte dicemus,breuiter hiftorijs ueterib.repetitis,noftrā fententiā exponemus.

Quarto Nouemb. Ifabella Imperatoris filia, quæ Carolo Nono Galliarū Regi defpōfata fuerat,Spira,Macerias,urbē in finibus Cāpaniæ, & ducatus Lucemburgici fitā,difcedit,deducentib.eam præter Comitē de Retz legatū regium,ftipatū alijs quatuor nobilib.ordinis regij,Archiepifcopo & Electore Treuirēfi,Iacobo & Iohāne Epifc.Argentoratenfi:ex ordine uerò feculari Carolo Marchione Badēfi,Duce Arefcoto, & Comitib. duob. Hohēloenfi, & Zollerēfi Gynæcęo eius præpofita,uidua Comitis Arēbergici,quē in pugna cōtra Hifp. in Frifia cōmiſſa,occubuiffe diximus. Treuirēfi hę partes,ut Galli tradiderūt,ob id demādatę, ꝙd ab antiquo Cancell.eiufdē regni titulū gerat,& ꝙd Gallię una cū Argētinēfi,inter Germanos Principes,uicinior fit.

Circiter hoc tempus per Germaniā nūciatur, primariā urbem Cypri Nicofiam à Turcis poft longā obfidionē expugnatā, & 25. millia hominū occifa effe,idq; cum tanta crudelitate,ut quidā ethnico exemplo, fibimetipfis potius mortē confcifcere,quā in manus trūculentifsimi tyranni incidere uoluerint.Flos nobilitatis & ciuiū, Cōftantinopolim & Alexandriā in captiuitatē abductus, in publico foro uenijt.Præfecto urbis caput præcifum, atq; haftæ infixū,ante Famaguftā erectū eft,cōminatione addita nifi eiufdē urbis præfectus fponte urbem dederet, fimilē eū euentū laturū, ut tunc literis Venetijs fcriptis eft proditū.Turcæ præter immenfam auri & argenti ac pręciofæ fuppellectilis uim,in Nicofia ultra quadringēta maiora,& ducēta medij generis tormenta bellica cœpere.Fuit uerò Nicofia olim Regū Cypri fedes,ac infulæ metropolis octo milliarib. à Famagufta diftās, ut iam à Sultano Selymo, fic ante centum annos à Sultano Aegypti Mechella miferè capta.Eius itaq; excidio admoniti,rerum humanarū inconftantiam confyderemus, nec noftris uiribus uel potentiæ fidamus, cum hæc facili momento euerti pofsit. Expugnata uero fuit ab Haly & muftapha Bafsis, undecimo Septembris: qui dies erat Dominicus:ut poftea relatione certorum cognitum eft.

Decimo quarto eiufdem menfis Philippus Hifpaniarū Rex cum Maria filia Imperatoris Maximil.quæ Calend. Augufti Spira defcendēs, uento fecūdo è Belgio in Hifpanias nauigijs appulfa,Burgis & Vallo doleti,honorificētifsimè excepta fuerat,fratribus Rudolpho & Ernefto huc ufq; ei in occurfum prodeuntibus,Segoniæ (quæ eft Hifpaniæ Tarraconēfis ciuitas Antonino pio Secobia,Plinio Sagouia dicta) nuptias Regia magnificentia cele-

QQqq brat,

1570 brat, ſponſæ per Cardinalem Seuillanum non ſaltem benedictionem nuptia
lem, ſed & epularem peragentem, indiſſolubili uinculo iunctus.
Decimo ſeptimo Nouemb. Venetijs terræ motus, ſed tamē cladis expers,
factus eſt, uicina uerò loca eo ita cõquaſſata fuère, ut Fenarię mulię ędes cor
ruerint, ac Princeps cũ ſuo comitatu, alijq́; nobiles ciues de remiſsione eius
diffiſi, ciuitate relicta in alia loca migrarint, atq; ſub tẽtorijs degerint. Similes
huiuſmodi terræ tremores & Modinæ, Regij, Corregij, Florentiæ, Finariæ fi-
nitimisq́; in locis fuère. Hęc uerò prodigia minimè cõtemnenda eſſe cõſtat:
quia tremores concuſſæ terræ ſemper magna bella, perniciòſasq́; ſeditiones
denunciaſſe hiſtoriæ tradunt. Quare ut eiuſmodi mala Deus auertat, uitam
emendemus, & uera fiducia ad ipſum confugiamus, ardentibus uotis rogan-
tes, ut propter filium mediatorem calamitates mitiget.
Viceſimo ſexto eiuſdem, Carolo Regi Gallorum Iſabella ſecunda Impera
toris Maximiliani filia, in itinere Eſdonæ à fratribus ſponſi Regis cum trecen
tis equitibus excepta, Maceriæ à Principibus Germaniæ cũ mandata ſolenni
tate traditur, ac poſt receptionem holoſerica ueſte aureis lilijs intertexta in-
duta ac diademate precioſiſsimo ornata, à duobus fratribus Regis Alexan-
dro Eduardo, poſtea Heinrico, & Hercule, deinde Frãciſco dictis, ac utrũq;
ſponſæ latus claudẽtibus ex palatio ad ſummũ templũ Maceriẽſe deducitur,
Regiq́; magna ꝓcerum atq; nobiliũ turba ſtipato, uero ac legitimo matrimo
nio iungit͂, ſacrũ miſſæ, (ut uocãt) Cardinale Burbonio faciẽte, eoq; pacto nu
ptiæ magna feſtiuitate celebrant͂, quibus præter Galliæ ac Germaniæ Princi-
pes, interfuère legati Põtificis, Regis Hiſpaniæ, Scotiæ, & Venetæ Reipub.
Triduo uerò in nuptiali gaudio cõſumpto, Comites Reginæ muneribus
affecti in Germaniã dimittũtur, ac ſpõſa à marito Rege cõmiſſa dominæ de
Dampetra, matri comitiſſæ de Rhetz, fœminę uirtute excellẽti, in regnũ Gal
liæ traducitur: illa ſedecimũ, Rege marito uiceſimũ ætatis annũ agente. Atq;
ita Imperator Maximilianus duas filias duob. potentiſsimis Chriſtiani orbis
regibus in uno eodẽq; menſe elocauit, ꝗd pauciſsimis regibus facere cõtigit.
Sexto Decemb. qui ſacer eſt diuo Nicolao hactenus à cõplurib. ꝓ Deo tu
telari maris, ut olim Ethnici Neptunum coluerũt habito, Rheni aquę in ple-
risq́; ciuitatib. oræ Rhenanæ, ita intumuerũt ut ad eã altitudinẽ aſcenderẽt,
ad quã ab anno 1480. nõ ꝑuenerãt. Nã Spiræ durantib. adhuc comitijs, in par
te urbis ſũmo tẽplo cõtigua, ubi ꝑ clathros muri naues piſcatorię ex lacu Le
porino in Rhenũ exire ſolẽt, aqua exundãs, lineã quadrato lapidi anno 1480.
inciſã attigit, ut & Argẽtinę alijsq́; in locis, ubi tãta Rheni inũdatio fuit, eue-
niſſe ferebat͂ magna multorũ prę teritę iſtius, aliarũq; exũdationũ effectiones
ꝑpendentiũ cõſternatione. Nã ut quidã prudẽter ſcripſit, omnia quæ uſitatã
ac tritã uię naturã excedũt quacũq; in parte, ea ꝑcellunt cõterrentq; hominũ
animos, ꝗd magnopere rebus humanis, nõ quidẽ adferre ſẽper atq; immitte
re, ſed pleruũq; ferè portendere mala, nõ unius aut definiti generis, uerũ quic-
quid eſt calamitoſum ſoleant, à quibuſcũq; oriantur cauſis. Atq; ideò cõplu-
res ad animum reuocantes, effectus inundationis octuageſimi anni à patri-
bus acceptos, aliarumq́; quas ipſi ſuo ſeculo notaſſent, magna mala his in-
undationibus portendi præſagierunt. Nam octuageſimo anno à Mahome-
te ſecundo Turcarum Imperatore, Maxima claſſe Apuliam inuadente, Hy-
druntem ciuitatẽ maritimam conciſo in mediũ Franciſco duce, expugnatã,
Calabriæq; cultoribus magnam calamitatem illatam audierãt, ac à Moſco
ampliſsimam urbem Nouogrodiam captam: interq; Matthiã Hungariæ Re
gem, & Fridericum Auſtriacum Imperatorem, tunc temporis grauiſsimum
bellum conflatum eſſe. Et recordabãtur calamitatũ, quæ poſt exundationes
anni

anni uicesimi quarti atq; tricesimi, in uarijs orbis partibus diffusæ fuissent. 1570
Nam illius quidem inundationē dira & inenarrabilis rusticorũ per Germa-
niam tumultuantiũ seditio, Francisci Galliarum Regis captiuitas, Ludouici
Regis Hungariæ tristissima cædes, urbisq; Romæ insperata direptio: huius
uerò diram aquarũ alluuionē, quæ Brabantiæ, Hollandiæ, & Flandriæ loca
littoralia, maritimaq; ruptis aggeribus obruit, irruptio Turcæ in Austriã, bel-
lum Danicum, Christierni Regis captiuitas, Heluetiorum inter se cõflictus,
bellum Regis Poloniæ cum Valachis, Lubecensiũ contra Hollandos; mors
Margaritæ Cæsaris Maximiliani filiæ & Ludouicæ Regis Gallorum matris
subsecuta fuêre. Et sanè si historiæ antiquioris ætatis reuoluãtur, diræ huius-
modi ac inusitatæ exundationes similiũ calamitatũ nunciæ semper fuisse in-
uenientur. Nam ut ex innumeris aliquot cõmemorem in belli Peloponne-
siaci omnium diuturnissimi anno sexto quæ acciderunt exundationes, apud
Orobias & circa Atalantam insulam ad Locros Opuntios, haud dubiè belli
istius diuturnitatē portenderunt, licet Thucydides falsò existimans, ipsas si-
ne terræmotu accidere nõ posse, huic eas ascribat: & Orchomenij lacus am-
plitudinē prodigiosam Atheniensib. fuisse infausto ipsorũ cũ Philippo Re-
ge Macedone ad Chæronæã prælio, in quo Græciæ imperiũ dominationēq;
ille adeptus est, notatũ prodidit Plinius: In Romana uerò historia, copiosissi-
ma huius rei exēpla extãtia referre superfluũ uideri posset, unum tamē atq;
alterum ex memorabilioribus subijcere, nõ abs re fore arbitramur, quibus
regula cõmemorata cõfirmetur: Atq; initio quidem anno ab urbe cõdita tre-
centesimo nonagesimo quinto, Lacus Albani incrementa sine ullis cœlesti-
bus aquis causaue alia facta, Veiorũ subactionis ac Tarquiniensiũ belli pro-
digia fuisse historiæ cõmonstrant. Deinde Tyberi loca urbis inundante anno
quinquagesimo sexagesimo primo, Minutius à Liguribus, in extremũ peri-
culi adductus, uix Numidarũ industria liberatus est, & Antiochus Hanniba-
le bellũ sollicitante, cõtra Romanos suscepit, ijsdem attestantibus. Verũ eius
temporis exēplis, quæ nimiũ multa sunt, breuitatis causa omissis, ad alia quę
post Remp. Romanã euersam hinc inde acciderunt, digredientes, ex ijs etiã
quæ nostro instituto seruire uidentur, quædam subijciamus: Inter quæ hoc
maximè illustre quod anno Domini quingentesimo quadragesimo quinto
mari Thracico quatuor milliarib. exundante Totilas Romanos obsedit, ob-
sessi fame maxima pressi, ui etiam ac fame Placentini obsessi, Totilæ se dedi-
derint. Heinrici uerò Quarti tēpore, anno uidelicet tricesimo ipsius imperij,
inundationis subsecuta mala quis commemoret? Anno deinceps millesimo
quingentesimo tricesimo quinto Oceano se in continentem, bonamq; Flan-
driæ, Holandiæ ac Frisiæ partē effundente, sequentibus annis nõ tantũ Lo-
tharius Imperator secundã expeditionē in Italiam fecit, & magnus Noruue-
giæ Rex ab Araldo exoculatus regnoq; exutus est: sed & bellum celebratis-
simum mox à proceribus Christiani nominis magnis uiribus, propagatione
tamen nulla susceptũ est, Christianis ipsis inter se diuisis, ac dissidijs, quæ ho-
dierno die durare uidentur, distractis: Inde uerò factiones Gibellinorũ atq;
Guelphorum in Italia ortas, maris inundationē subortã in Phrysia quanta à
temporibus Nohæ non fuerit, quasi præambulã habuisse ex historijs uidere
licet: Ac ut Rhenus postea ex uehementioribus undis anno millesimo ducē-
tesimo septuagesimo sexto, alueũ suũ prætergressus, anni subsequētis bellũ
Silesiacum, Prussiæ & Polessiensis terræ, deuastationē, & Rhodolphi Impe-
ratoris bellum in Bohemos denũciauit. Sic etiam anno Christi improuisas
exundationes Rheni, Mœni, aliorumq; fluminum secũdo Februarij factas

1570 (si in his qd Nauclero credendũ est) subsecuta est cõfœderatio Heluetiorũ,
destructio ordinis Templariorũ, & translatio sedis Põtificiæ, in Galliã. Nec
dissimili euẽtu caruit Rheni ex imbribus uehementioribus facta inundatio
anno millesimo quadringentesimo uicesimo primo cũ Imperiũ Romanũ ad
pontificis Romani efflagitationẽ, bellũ cõtra Bohemos quasi hæreticos fru
stra suscepit, quod ferè totius Germaniæ deuastationẽ secum traxit. Suffice
rent hæc ad theseos explicationẽ, uerũ ut ad tẽpora à quibus incepimus re-
deamus & hoc adijcimus. Postquã anno millesimo quadringẽtesimo qua-
dragesimo sexto mare in tantã rabiẽ excitatũ fuisset, ut dissolutis aggeribus
Dordraci multas Parochias submersisset, & circiter centũ millia hominũ in-
terijssent, bellũ inter Fridericum Austriacũ & Heluetios motũ, sed frustra, ci
uitatib. Imperij quia res ad domũ Austriæ & nõ ad imperiũ ptineret auxilia
denegãtibus: Anno uerò deinceps altero, inter Albertũ Brãdenburgensem
& Norinbergẽses bellũ atrocissimũ ortum, in quo Principib. Marchionem,
ciuitatibus uerò Imperij Norimbergenses adiuuãtibus, plurimę cædes, rapi-
næ, atq; perniciosa incẽdia facta fuisse cõstat. Tot itaq; exẽplis omniũ histo-
riarũ ac gentiũ attestantib. inundationes nunquã sæuarũ atq; atrociũ calami-
tatũ expertes fuisse, agnoscamus rectissimè ad inundationũ effectiones accõ
modatũ dictũ Dauidicũ AQVAE MVLTI, POPVLI MVLTI. ac calamita-
tes imminentes à Deo benignè auerti precemur. Etsi enim irruptione Tur-
cica in sinum Venetum præsagiens calamitas ad impleta uideri possit, ma-
iores tamen ne subsequantur, uerendum est.

Vndecimo Decemb. capitib. deliberationis ab Imperatore Maximilian.
Spirę ppositis, per status diu multũq; discussis, tandẽ comitia soluuntur: Im-
peratore quidẽ postulata de suppetijs ferẽdis, ad muniẽdos fines Vngariæ,
& alenda præsidia in ijsdẽ locis obtinente, ijs uerò quæ de militiæ externæ
prohibitione & publicorũ armentorũ cõstructione pposuisset, denegatis, le
ges tamen militares cõditę & pmulgatę. Porrò uerò decernũt belli Gothani
expensas ex parte ditionis ad Iohan. Fridericũ captiuũ Saxoniæ Ducẽ spe-
ctante, Augusto Electori Saxonię iuxta imperij cõstitutiones refundendas,
ac ipsi quatuor præfecturas cautionis ergò à Iohãne Vilhelmo oppignora-
tas tradẽdas esse, quoad illi de expensis satisfiat. Filijs deinde Iohãnis Fride
rici captiui in gratiã Imperatoris receptis, ditionis paternæ portio restituitur
& tutores cõstituunt. Processus quoq; iudiciarius Cameræ Imperialis, Spi-
ræ in nõnullis emẽdatus, & triginta duob. assessoribus nouẽ adiecti, nouęq;
cõstitutiones editæ. Recuperãdi adẽpta imperio rationes aliquot proposite,
quarũ optimã eligẽdi optio Cæsari data, recipiẽti se, quæ officij sunt diligen-
tissimè curaturũ. Quò certa imperij matricula cõfici queat, in singulis circu-
lis inuestigandũ, quæ nam in unoquoq; eorũ mẽbra imperio subtracta, idq;
deputatis pximo mẽse Augusto Francofordi cõuenturis significandũ, cõsul
taturis de hac re latius. De moneta priores ordinationes repetũtur ac cõfir-
mãtur, in cõtrauenientes monetę cõfiscatio pmittitur, ac expensæ dãna accipi
enti reseruant, & alia sanciũtur, quę ex publico recessu cognoscere licet. Sed
& alia multa in ijsdẽ comitijs acta fuere. Nam præter ablegationes duarũ fi-
liarum Cęsareæ Maiest. maxima cũ pompa factas, Rostochiensiũ de occupa
tione ciuitatis suæ, alijsq; rebus cõtra duces suos conquerentium, causa, à
Cæsare audita est. Belgę quoq; ab Albano eiecti bonisq; priuati, supplicem
libellum pro restitutione exhibuere, qui calamitates præteritas commemo-
rando futuras denunciauit. Causa etiã Alberti Rosenbergici nouissimis co
mitijs Augustæ ad Electoris Saxonię instantiam capti, uentilata, sed frustra.

Exte-

Exterorum quoq; regum legati ad mandatorum expositionem admissi, inter hos Poloniæ, agens de abolitione proscriptionis Alberti Ducis Brussiaci, & de Magistro ordinis Teutonici conquerens. Aduenientem ex Gallijs nomine Reginæ Nauarræ, Principum, Admiralij, sociorumq;, Argentienum legatum, ac exponentem pacis initæ conditiones & causas, ac gratias ipsis non tantum pro suppetijs à Vuolffgango Palatino latis, sed & intercessione Principum, qui interfuissent nuptijs, Casimiri Palatini apud regem facta, agentem, simulq; pro legatione in Gallias ad Regem decernenda, quo pacis conditiones sartæ tectæq; seruarentur, socij Augustanæ Confessionis audiuêre, & quæ petita fuerant, bona uoluntate præstiterunt splendida legatione ad Regẽ Galliæ missa, quæ illi gratularetur cùm propter sedatum diuturnum bellum intestinum, tum etiam propter coniugium cum filia Imperatoris contractum, ut infrà latius dicemus. Anno 1570.

Decimo tertio Decembris qui erat dies Luciæ & Otiliæ tãdem post multas longasq; tractationes per legatos Imperatoris, Regum Galliæ, Poloniæ, Electoris Saxoniæ, & Reip. Lubecensis inter Reges Daniç & Sueciæ grauissimũ & difficilimum bellum, Troianum ferè tempore æquans, Stettini in Pomerania componitur, hisce conditionibus.

Initio omni simultate odioq; deposito perpetua & irreuocabilis pax, & amicitia inter ambos reges eorumq; subditos esto.

Petitio sumptuum bellicorum ac pœnæ transactioni Bremsebroensi anno 1541. adiectæ, concidito.

Lis de insignijs trium coronarum, quas uterq; regum pro suis uendicet, arbitrio Cæsareæ Maiest. Electoris Saxoniæ, Iulij Ducis Brunsuuicensis, Electoris Brandenburgici, & Georgij Iohannis Comitis Palatini deciditor. Interea uerò utriq; Regum insignia trium coronarum gestandi facultas esto.

Iuri quod uterq; regum ad alterius regna prætendit, uterq; renunciato, atq; in perpetuum id extinctum esto.

Regnorum utrorumq; termini inconcussi manento, ut tempore Regũ Christiani & Gustaui fuêre.

Bona subditis utriusq; tempore belli in alterius regno adempta, alijsq; collata, ueris & antiquis dominis restituuntor.

Capti in bello utrinq; sine lytri solutione dimittuntor.

Rex Daniæ Sueco Elspurgum cum suis pertinentijs & omni munitione bellica, quæ in eo tempore expugnationis fuit septimo Iunij. Suecus uerò uicissim Dano Iempterlcam ditionem & Herdalam Regni Norduuegici partes restituto, ac iurisdictione Ecclesiastica in ijsdem locis sibi ab antiquo competente, cedito.

Similiter Suecus Dano ereptas octo naues Archithyreutim, Herculem, Leonem, Dauidem, Hectorem, Ceruam, Moriam & Vrsum nomine cum omni munitioni & instrumento decimo nono Aprilis, restituito, exceptis duobus aut tribus tormentis bellicis, quæ antea sibi erepta, Suecus in Archithyreute capta, recuperarit.

Rex Daniæ duas naues prope Elspurgum Sueco ereptas, totidemq; in Pomerania sequestratas, cum munitione earundem, & ea qua Helmstadij potitus est sibi retineto.

Suecus Dano centum & quinquaginta millia thalerorum soluito, ac dimidiam quidem partem septimo Iunij in restitutione Elspurgi, reliquã uerò summam sequentibus duobus annis in ferijs Pentecostes: idq; propterea, quod intestinis motib. in regno Sueciæ excitatis, Danus ad Iohannis Sueci preces bel

Anno 1570 lum optatæ pacis spe intermiserit, quæ tamen minimè fit subsecuta.

Suecus occupata in diœcesi Riualiensi & Osaliensi cum castro Sonnenburgico & monasterijs Padiso & Leabo, Magno Duci Holsatiæ pertinentibus, Cæsari atque imperio reddito, Cæsar uerò ea protectioni Regis Daniæ, usque ad amplioris transactionis comprobationem committito.

Nauigationes Naruicæ, ut ab antiquo fuere subditis regum utrorumque libere sunto. Cæsar tamen imperij subditis certum modum in hisce præscribito.

Libelli famosi in utriusque regum regnis editi, mãdatis seuerissimis aboletor.

Capita hæc sub pœna myriadis aureorum seruantor.

Si una partiũ contra hãc transactionẽ grauarit alteram, grauatæ intra quinque mensium spacium per consiliarios regnorum ius dicitor, qui nullius rationem nisi ueritatis, iustitiæ & commodi regnorum habento.

Subditi regnorum alterutrius ex regno domini sui secedentes, iurisque se offerentes, securitate regni in quo sunt gaudento, & actioni contra se motæ respondento.

Hæc pax intra duos menses promulgata seruator, & à Carolo hæraditario Duce Sueciæ subscribitor.

Originalia capitum transactionis Roschildensis non acceptatæque restituuntor.

Huic paci includuntur nomine Dani, Cæsar, Galliæ, Hispaniæ, Angliæ, Poloniæ, Scotiæ Reges, Electores Saxonicus & Brandenburgicus, tota que eorum familia, Iulius Dux Brunsuuicensis, Vilhelmus Lunæburgensis, omnes Pomeraniæ Duces, Vdalricus Megapolensis, Duces Holsatiæ, Gotthardus Curlandus, Respub. Lubecensis: nomine Sueci Cæsar, Polonus Elector Brandeburgicus, Pomeraniæ Duces, Christophorus Marchio Badensis, & Etzhardus Comes Frisiæ.

Conditionum uerò cum Lubecensibus socijs belli Danici comprobatarum à Sueco capita hæc erant.

Neutra pars alterius subditos uel ciues lædito, sed utraque uicinæ iura sanctè seruato, ac pro uirili alterius commoda promoueto.

Suecus priuilegia Lubecensibus à Gostauo parẽte concessa, & ab Erico fratre uiolata iuxta formulam præscribendam confirmato, fratre Carolo hæreditario Duce Sueciæ subscribente.

Similiter Suecus ciuibus Lubecensibus, pro creditis à patre Gostauo initis, & bonis anno quadragesimo sexto ab eodẽ arrestatis, & anno sexagesimo primo atque secundo in Naruica nauigatione ab Erico Rege ademptis solutioneque rerum Lubecensib. per Sueciæ regni incolas regis iussu denegata, septuaginta quinque millia thalerorum intra septennium, septem distinctis terminis soluito: quorum prior anno 1574. in ferij Iohannis Baptistæ incipiat ac duret, donec totius summæ solutio fiat, de creditis Cameræ Regiæ nondum illatis, sed adhuc apud priuatos siue nobiles residuis legitima cognitio in Suecia habetor.

Lubecenses Schuuedicis idem iuris impartiunto.

Credita Lubecensiũ durante hoc bello ab Erico Rege subditis extorta, Suecus ex Camera Regia ciuibus Lubecensibus dependito.

Lubecenses omnes obligationes literarum Regũ Gustaui & Erici ipsis traditas Sueco Regi reddunto.

Lubecenses Riualiensibus & hi uicissim illis naues ac bona ante bellum erepta, uel iustam eorum æstimationem restituunto, ac pacta ciuitatum Emporicarum seruato.

Duæ naues in Pomerania sequestratæ, cum alia à Suecis ex sequestro auecta, Lubecensibus redduntor.

Nauiga-

Nauigationis Suuedicæ & Naruicæ in Rußiam usus Lubecẽsibus, ut & Danis liber esto, illicitorum tamen ac suspectorum mercimoniorum transuectio triator, ac Cæsari de hisce pro cõmodo Imperij statuendi facultas esto. 1570

Hæc capita utrinque inuiolabiliter seruantor. Si quis uerò contra ea grauetur, controuersiæ compositio literis petitor, ac quatuor bonorũ uirorum arbitrio deciditor.

Captiui utrinq; absq; lytro liberantor, ac pacificatio post bimestre tẽpus incipito: interea uerò quæ fient hostilia post proclamationem factam irrita sunto.

Tractationis Roschildensis, quia confirmata non fuerit, originalia, quæ utrinq; inueniantur inualida ac irrita sunto.

Atq; hæc quidem capita transactionis belli istius nouennalis erant, quod tandem intercesßione eorum quos diximus finitum esse, omnes boni ob publicam utilitatem summopere lætabantur. Hunc annũ, licet fame, bello Turcico, peste, ac sæuisßimis exundationibus aquarum ominosum, fœlicem tamẽ ob tria grauisßima bella, Polonicum contra Moscouitas, intestinũ Gallicũ, & hoc de quo loquimur Danicum sopita existimantes. Vtinam uerò Reges ac Principes his exẽplis admoniti potiùs in tẽpore pacis cõsilia colere, quã post multas illatas atq; acceptas calamitates ad ea descendere cogitarẽt, sine labore fruerentur ijs quæ multo sanguine multisq; ærumnis quæsitum eunt, ut prudentisßimè olim Cyneas Pyrrho bellum Italicum dissuadens dixit

Cæterum experiẽtia ueritatem rythmorũ Germanicorũ, quorũ sententiã quidam elegãter & eruditè hoc hexasticho expreßit, cõprobat atq; testatur.

Hic est perpetuus seclorum lusus & usus,
Ludendi ut faciat consumpta pecunia finem,
Sic ubi uastatæ gentes lachrymantur, & urbes,
Aurea tum demum feruntur fœdera pacis.
Heu quanto satius foret hæc præuertere damna
Atq; animos hominum salutis coalescere rebus.

Huius mensis die uicesimo tertio Principũ cõfeßioni Augustanæ adhęrẽtium legati, quos ex comitijs Spirensibus ad gratulandũ Regi Galliæ de matrimonio cũ filia Imperatoris inito, eumq; ad pacis factæ conditionũ obseruationem excitandũ, dimissos diximus, Villierij clemẽtisßime excepti, mãdata huius orationis tenore exponunt. Se ab Illustrisßimis Principibus Palatino, Saxone & Brandeburgico Electoribus, Richardo Duce Bauariæ, Georgio Friderico Marchione Brandenburgico, Iulio Duce Brunsuuicensi, Ludouico Vuirtembergico, Guilhelmo Landtgrauio Hasſiæ, Iohanne Alberto Megalopolensi, & Carolo Marchione Badẽsi missos, ad declarandã suæ Maiest. ingẽtem lætitiã, quam ex nouo fœdere inter Maiest. Cæsareã & ipsam facto, cõceperint: spe optima, eas in posterũ magnis malis, quibus Christianitas laboret, remedia cõsensu quæsituras, & Deum pro diuina sua gratia fœlicem successum Maiest. suæ laudabili instituto daturũ. Id quod ardentibus uotis à Deo precentur, ita ut sanctisßimũ eius nomẽ laudetur, & generis humani uotis ac desyderio satisfiat. Erigi quoq; ipsos in spem, id fœdus nõ tantũ cõseruandæ, sed & amplificãdæ amicitiæ, quæ semper inter Maiestates utrasq; fuerit causam præbiturũ esse, quod sua Maiest. abundè declararit responso dato ad literas per quosdã ipsorũ Heidelbergæ æstate præterita scriptas. Itaq; quo Principes testentur, singulari Regię suæ Maiest. beneuolentię, dicto responso nõ tantũ erga ipsos, sed & totũ imperiũ declaratę, mutuã uoluntatẽ, eos sibi iniunxisse, ut nomine ipsorũ suæ Maiest. offerant omnem amicitiã, studiũ,

1570 atque seruitium, eique de pace cõgratulentur, per quã sua bonitate & prudentia perniciosissimos tumultus, magna ipsorũ tristitia suscitatos, sedarit. Er quia bonitas naturæ Maiest. suæ & ætas non permiserint, ut ei culpa malorũ præteritorum imputari queat, Deum regnũ Galliæ oculis misericordiæ suæ respexisse, iniicientem cordi suæ Maiest. piam inclinationem ad pacẽ, quæ unica, conseruandi subditos ac dignitatẽ eius, uia ac ratio fuerit. Cum ergò pacis bonum suæ Maiestati, causa uerò malorũ belli alteri debeatur, omnes qui desyderent Maiestatis suæ statum uidere florentem, sperare, ipsam in hoc incubituram, ut summã autoritatem cõparatam ex pace contra multorum cõsilium & uoluntatem constituta, conseruet, id quod meliori ratione facere non possit, quàm si in uoluntate perseueret, retinendi atque regnãdi suos subditos in pace & tranquillitate, inuiolabiliter cuique seruando libertatem per edictũ pacificationis à Regia sua Maiestate promissam. Id uerò, si Regia sua Maiestas fecerit, & quis inueniatur qui laudabili proposito impedimentũ inferre, regnumque de nouo turbare conetur, Illustrissimos ipsorum Principes isthuc se ablegasse, ad significandum suæ Maiestati, quod in hoc casu omnes facultates ac uires impensuri sint, ut eiusmodi conatus reprimantur, & regnum suæ Maiestatis in pace & tranquillitate conseruetur. Consyderandum suæ Maiestati, quod multitudo populi, secundum dictum sapientis, sit corona Regis, & præcipuum mandatum ac summam legem, quam Deus atque natura Regibus, Principibusque dederit, conseruatio sit ipsorum subditorum. Eos qui cupiant inducere suam Maiestatem, ne promissa seruet, prætendere, impossibile esse, ut status Reipub. duret, in quo sit diuersitas religionis: hos uerò aut loqui aliter quàm sentiant, aut esse ignaros eorum, quæ antea superioribus seculis sint facta, & adhuc in multis florentibus nationibus fiant. Nolle se loqui de Turcico regno, ubi nullius cõscientiæ uis inferatur, imò monachi Christiani habitantes in monte Atho, qui hodie uocetur mõs sanctus, quotannis Eleemosinam à Turcico Imperatore recipiant, ut Deum pro eius incolumitate & prosperitate regni precentur. Certissimũ esse quod in regno Poloniæ uno, inter regna Christianitatis amplissimo, religio Græca atque Romana semper locum habuerit: quinimò in pluribus ciuitatibus templa duarum religionum sint, & aliquot ab hinc annis maior nobilitatis pars, religionem Protestantium profiteatur, nec tamen propterea turbas in regno conspici, quod gubernetur per homines diuersæ religionis, & in quo summa officia inter ipsos sine discrimine distributa sint. Mutationem religionis, quæ facta sit in Germania, initio plerisque multo minus tolerãdum esse uisam his, quæ iam accidunt, mutationibus: nihilominus tamen Carolũ Imperatorem potentissimum ac cordatissimum, postquam complures annos super hoc negocio deliberasset, consensisse tandem Augustæ anno millesimo quingentesimo tricesimo certo pacto in pacem, quam religionis uocẽt: & anno millesimo quingentesimo quinto pactum id in edictum perpetuũ transiisse, qua pace adhuc fruantur, atque inuicem uiuant, quietẽ atque amicẽ, & Protestantes nõ minùs quã Catholicos propensos esse, ad subueniẽdum negotiis Cæsareæ Maiest. re ac necessitate id exigente. Et, quamuis Episcopi Romani satis diligentes fuerint in sollicitandis his, qui in imperio ipsis obediunt, ne Protestãtes tolerarẽt, nõ tamen eos adeò imprudentes fuisse, ut patriam ad uoluntatẽ alterius turbarẽt. Imperatorẽ Ferdinandũ felicissimæ memoriæ ita Ecclesiæ Romanæ addictum fuisse, ut nullus sui tẽporis Princeps, attamen tolerasse, ut religio Romana in Silesia & Lusatia, quæ sint prouinciæ ad regnum Bohemiæ pertinẽtes, & paulò ante mortẽ suam, in quibusdã locis Austriæ

Austriæ mutaretur. Verùm enimuerò, præ cæteris omnibus Regiam suam 1570
Maiest. moueri debere exemplo inuictissimi Imperatoris Maximiliani supremi Principis: Nam ut Regia sua Maiest. eum pro socero ac patre elegerit, sic eundē pro exemplo sibi proponere debere, in hoc, quod regna utriusque commune habeāt. Nullū ignorare, quod Dynastis atque nobilibus Austriæ nō solum libertatem conscientiarū, sed & cōstituendi Ecclesias ad formam Protestantium, certis conditionibus concesserit, quas ipsis hactenus inuiolabiliter seruārit. Etne allegarentur tantùm uicina nostris temporibus. Postquā Constantinus Magnus publicè in imperio religionem Christianam recepisset, nō propterea tamē eū coēgisse Ethnicos religionē mutare cuius exercitiū liberū retinuerit usque ad tēpora Theodosij, qui tēpla idolis clauserit, uidens ea frequentari à perpaucis, & ferè tantū ab his, qui inde lucrū haberent. Eo tempore disputatum fuisse res diuersas esse, BONVM SVBDITVM ET BONVM CHRISTIANVM ESSE. Quamuis enim subditus alterius religionis sit, quàm suus Princeps, nō propterea tamen intermittit ei officia præstare, quæ necessitas requirit: ut in Regibus Poloniæ & Moscouiæ uideatur, qui cum sub sua ditione habeant maxima copiam Tartarorum Mahometistarum, hic ipsis in bellis contra uicinas & quidem contra alios Tartaros, qui sint eiusdem nationis & religionis qua ipsi, fideliter seruiant. Plurimos Principes Christianos, tolerare Iudæos, ex quibus emolumentum ac lucrum percipiant. Allegari hæc exempla apud suam Maiestatem, quo responde-anthis, qui semper conati fuerint ei persuadere, ne ullam religionis diuersitatem in regno suo ferat. Istos uerò debere cogitare, libertatem, quam sua Maiestas subditis ante nouennium in mense Ianuario concesserit, fuisse causam, quod complures uenerint ad agnitionem religionis reformatæ, à qua nullo discrimine uel periculo deterreri potuerint. Deum etenim solum esse, qui conscientijs hominum dominetur, qui tantum abest, ut aliorum conscientijs imperare posśint, ne quidem potestatem in proprias habeant. Verisimile esse autores primorum motuum & bellorum ciuilium in regno Maiestatis suæ non esse expertos, quantum religio posśit in animis hominum, uerè Deum timentium, nam illos cogitasse, metum amisśionis uitæ atque bonorum effecturum, ne quisquam se ipsorum consilijs opponere auderet: Ex necesśitate autem deinde negocia longius progressa, latiusque serpsisse. Sed ut semper sapientes iudicarint, respiciendum in bellis ciuilibus, quis primo offenderit: Nam bellis ciuilibus inchoatis multa utrinque iniusta accidere, quo licet existimante, id licitum esse, quod saluti suæ seruiat. Commissa esse in istis bellis exempla crudelitatis, quæ nunquam quis à populo, cuius humanitas antea tantopere celebrata fuerit, perpetratum iri putasset, attamen bonitatem eius adhuc conspici in hoc, quod pacem à sua Maiestate propositam acceptarit, seque eius obedientiæ submiserit. Perpetua ciuilia bella in alijs nationibus uisa, quæ non desierint per uictoriam unius & interitum alterius partis, uel & utriusque e tertio adueniente, qui utramque opprimeret. Tales uictorias ut quidam sapientum antiquorum dixerit, sæpe plus malorum habere quàm ipsa bella: plerunque enim uictores suis affecti bus rapi, & infinitam crudelitatem exercere, partim cupiditate uindictæ, partim auaritiæ inhiantes bonis innocentium de rebus in suspicionem pertractorū, quæ nunquā ipsis in mentē uenerit. Et quamuis Reges ac duces aliquādo conati fuerint moderari uictorias, rarò tamē accidisse, ut id facere potuerint. Cæterū Deū nō permisisse, ut res in regno Maiest. suæ eò perueniret, ut uel manus suæ uel suorū in pace cōmiserint quicquā, ob quod posteritas

1570 eas arguere posset. Non pugnatum in hisce bellis de amplitudine Maiestatis suæ, nullum etenim fuisse ab alterutra parte, qui eam affectarit, sed de ea, quã suæ Maiest. aduersarij in Christianitate usurparint, pro qua cõseruanda suscitẽt turbas, & curẽt atteri uires, quæ uiolentiæ Turcicæ opponendæ essent, & fortè Italia prima futura sit, quæ illam sentiat: Maiestati suæ persuasissimũ esse debere, subditos, qui se subtraxerint ab obedientia eius, in hoc Maiestati suæ fideliores esse, quod alium dominum in hoc mundo habere, nec fidelitatem alteri quàm ei præstare nolint. Sanè Imperatores Germanicos nunquam tãtum damni ab omnibus externis hostibus accepisse, quàm ipsis intulerit propensio subditorum erga suorum aduersarios, qui turbas ibi ex animi sui uoluntate suscitarint, quotiescunq; & quando uoluerint. Itaq; suam Maiestatem non debere fidem adhibere consilio ipsorũ, neq; illorum, qui uereantur, ne ignis in domo sua restinctus in ipsorum flammam concipiat, sed æstimare, eos qui consulant, ut inuiolabiliter seruet id, quod per edictum suum pacificationis promiserit, futuros suæ Maiestatis fideles subditos atque ministros, bonos uicinos atque amicos. Et si quis fuerit qui id contra uoluntatem Maiestatis suæ uiolare attentauerit, siue subditus, siue alius quicunq; hoc casu denuò Maiestati suæ ipsos significare, Illustrissimos Principes suos semper paratos esse, impẽdere omnes uires ac facultates, ut regnũ Galliæ ipsorum auxilio in pace ac tranquillitate conseruetur. Et qua uiderint, quò artes Episcopi Romani tendant, scire eum debere, quod constituerint in posterum accuratius dispicere, ne ab ipso opprimantur, & decreuerint sese acrius conatibus opponere, quàm hactenus fecerint. Præter dictas uerò causas ipsos per autores tumultuum Gallicanorum offensos, ideò, quod collectio copiarum in Germania, transitus & delectus ab utraq; parte, quibusdam inter ipsos magno damno constiterint. Reliquũ esse, ut Deum rogent, quo Maiestatem suam in pia inclinatione ad pacem, quam hucusq; ea ostenderit, conseruet, & gratiam ei largiatur, ut breui regnũ in pristino floreatq; splendore uideat. Ad quem ut perueniat, sperare ipsos, quod Regina cum Maiestate sua eiusdem sententiæ sit, imitans in hoc prudentiam, clemẽtiam & generositatem eorum, ex quibus prognata sit. Esse quoq; ipsos in bona spe Reginam matrem Maiest. suæ, quæ longo tẽpore gubernacula regni ut nauis in alto mari, undiq; in tempestatibus atq; procellis iactatæ tractarit, atq; eam tãdem ad portum pacis & tranquillitatis deduxerit, nõ permissurã, ut rursus misericordiæ uentorũ cõmittatur. Credere etiam ipsos, Regiæ suæ Maiestatis fratrem non minùs cupidum patriæ conseruandæ, quàm illa sit, nec dubitare, quin Deus illi sit occasionem daturus sit, in alijs negocijs feliciter exercendi uirtutem, quam toti mundo ostenderit in flore iuuentutis. Sperare etiam ipsos, alium fratrem, Ducem Alenconium, omnes Principes regij sanguinis aliosq; muneribus publicis præfectos, cogitaturos quantum patriæ debeant & quod non possint ei plus incommodare, quàm illam polluere sanguine eorum, quos ipsa produxerit, nec rursus rem laudabiliorem præstare, quàm in ea pacem & tranquillitatem conseruare, eamque uirtutibus florentiorem reddere. Quod ut Maiestas sua faciat, Principes ipsorũ eam enixè rogare, qui in hunc finem eos miserint, offerentes, se pro sua uirili in tali casu facturos omnia officia bonorum propinquorum & uicinorum, ueterum amicorum & addictorum suæ Maiestati. Rogare etiam eos, ut Regia sua Maiestas pro certo statuat, nulla se alia re inductos ad harũ rerũ explicationem, quã singulari desyderio uidẽdi regnũ Maiest. suæ florere in pace & tranquillitate: Neq; enim ipsos dubitare, quin sua Maiestas ipsamet optimè

optime intelligat, quid in tali negocio dici queat, & quod ea in prudentissimo consilio homines habeat, qui illam de omnibus necessarijs rebus recte cõmonefaciant. Et hæc quidem orationis ipsorum summa erat. Porrò uerò Rex auditis & cognitis his, quę legati in mandatis habuissent die sequenti, qui erat uicesimus quartus, in hanc sententiã ipsis scripto respondet. Initiò quod sua Maiestas dictis dominis Electorib. & Principibus studio, quo posset maximè gratias agat de propensissima significatione singularis beneuolentiæ & amicitię, commonstrata per legationem missam ad sibi congratulãdum de nouo fœdere quod nunc nuper cum Imperatore per nuptias filiæ suæ contraxerit. Quod quidem fœdus noluit celare eosdẽ Electores & Principes à sua Maiestate præcipuè ideò expeditum, quod cognouerit, ut dictus Imperator primum titulum & gradum honoris inter Principes Christianos obtineat, sic Deus etiam illum ornarit summa prudentia, & eximijs uirtutibus, magnanimitatis, clementię & bonitatis, quæ in tam excelsa dignitate desyderentur. Adhæc quod se semper propensum ostenderit ad procurandam & cõseruandam bonam ac salutarem tranquillitatem, in Christiano orbe, cui uoluntati sua Maiestas ita respondere constituerit, ut speret, Deo uolente commune fœdus inter ipsos plurimũ profuturum ad stabiliendam firmam tranquillitatem in uniuersa Repub. Christiana. Et denique quod sua Maiestas existimârit, bonam atque synceram amicitiam, quam naturali inclinatione cum dictis Electoribus & Principibus Germaniæ colat, & quæ quasi hæreditaria successione per patrem & auum ad se transmissa sit, ratione huius fœderis semper magis magisque confirmatam & corroboratam iri, hos esse præcipuos fructus quos sua Maiestas ex hoc fœdere sperârit atque percipere desyderet. Quod ad alterum punctum congratulationis de pace attineat, quam Deo placuerit in dicto regno suo stabilire, Regiam suã Maiestatem, illis respondere, se minimè in dubium reuocare, quin prętati domini Electores & Principes, recordantes amicitiæ & beneuolentiæ, quàm felicissimę memoriæ Reges, Heinricus & Franciscus pater & auus, suæ Maiestatis gesserint erga Principes Imperij ipsorum antecessores semper maximum gaudium & uoluptatem perceipiãt, de successu & fœlici promotione boni, commodi, & utilitatis regni Galliæ, ut fuerit tumultuum pacificatio, Regiamque suã Maiestatem in optimam partem accipere prudentes subiectiones a dominis Electoribus & Principibus pro conseruatione pacis factas. Neque enim quicquam in hoc mundo esse, quod plus ei cordi sit, uel cui constantius inhæreat, quàm ut laboret conficere & conseruare inter suos subditos pacem, tranquillitatem atque quietem, ut expeditissimam rationem ac uiam prosperitatis regnorum. Quemlibet etiam uidisse, uoluntatem redeundi ad obsequium à subditis non fuisse promptius celeriusque declaratam, quam sua Maiestas eos benignè complexa fuerit, inque gratiam receperit. Ad extremum, suam Maiestatem diligentissimè orare dictos dominos Electores & Principes, ut uolũtatem erga suam Maiestatem declaratam continuent, & ut, quemadmodum ea exemplo maiorum & sua naturali ductu, eos omni amore, singulari cordis synceritate, eximioque studio prosequatur: sic etiam ipsi mutuo suæ Maiestati respondere uelint, certissima spe, eos quolibet tempore & quauis occasione expertuos, Regiam suam Maiestatem promptissimam nullo excepto, ad impendendas omnes rationes à Deo sibi concessas, pro conseruatione & incremento ipsorum dignitatis atque honoris. Et hoc responso legati dimissi, atque insignibus muneribus ornati domum ad suos reuertuntur. Anno 1570.

MEMO-

MEMORIA RERVM QVÆ ANNO SEPTVAGESIMO PRIMO HINC INde acciderunt.

Anno 1571.  IAnuarij die secundo Ioachimus Elector Brandenburgicus inter quartam & quintam matutinam horam extremum uitæ diem in uera Dei agnitione placidissima morte claudit, cum uespera præcedente in mensa, tria Euangelia, nimirùm primum de Prophetia Simeonis alterum de Circumcisione Christi, tertium de Baptismo cum expositione Lutheri prælecta, mira deuotione audijsset, ac in præcedentibus natalitijs ad confirmationem remissionis peccatorum uoce ministri annunciatæ Sacramentum altaris accepisset: ac deinde uisceribus exenteratis uicesimo sexto Ianuarij magna pompæ honorificè in arcis Berlinensis templo sepelitur: Princeps natalibus, uirtute, prudentia ac eloquentia clarissimus, & de Repub. atq; Ecclesia optimè meritus: Nam anno 1532. Solymanno Turcico cum innumerabilibus copijs in Hungariam irrumpente, ac Germaniæ imminente, ipse iuuenis Saxonici circuli copias, Viennam eduxit. adeoq; præclara militaris documenta edidit, ut postea anno quadragesimo secũdo, bello Turcico rursus in Hungaria moto, supremi militaris Imperij nomen ei deferretur. Etsi uerò huius expeditionis exitum feliciorem fuisse optandum sit, ac à quibusdam, & inter hos Iouio præcipuè a omnibus Germanis iniquo propter generis nobilitatem & regij cultus instrumentum, liberalesq; conuictus in castra nihil detulisse, sed segnitie & inertia transmisisse tempus rebus gerendis opportunum cumq; tandem oppugnaret Pestum, & cuncta armis ac tormentis perstreperent, se ab omni periculo ita subduxisse scribatur, ut nusquam conspiceretur, tamen hæc falsò ac præter historicam fidem illi ascribi attribuiq; cõstat. Nam etsi uerum sit segni & inutili mora tempus absumptum esse, non sine detrimento & ignominia Reipub. tamẽ iniustè facit Iouius, quod huius rei culpam transfert in Principem innocentissimum, dissimulans difficultates, quibus ille impeditus, non potuit iusta ratione bellum administrare. Pleræq; enim prouinciæ & ciuitates Imperij, aut nullam contulerunt pecuniam, unde numerarentur stipendia exercitui: aut nullum miserunt militem: aut miserunt quidem, sed tardius & non plenè. Id uerò factum est, ut fertur instinctu Regis Galliæ, qui cum eo tempore nouas res moliretur contra Carolum Imperatorem, quem naufragio ad Algieram perijsse acceperat, Prouincias Imperio grauissimo implicuit bello præter expectationem. Immisit maximos exercitus in Brabantiam, in Attrebates & Morinos, ductoribus Longeuallo & Martino Rossemio. Ipse diuersa parte bellum mouens, obsedit Parpinianum oppidum ad Pyrenæos montes situm. Ac Aurelianus Princeps Regis filius, Principatum Lucelburgensem inuasit. Eodem quoque tempore Saxo & Landrgrauius intulerunt arma Henrico Brunsuuicensi, eumque è Principatu suo eiecerunt. Ad hæc defuerunt Ioachimo res ad tormenta bellica necessariæ, quas nonnulli scuratores, & ad castra missuros promiserant. Nec Vngarica auxilia in tempore adfuerunt: difficulter enim pertracti sunt Vngari in societatem belli, postquam cognouerunt ordines Imperij inter se dissidere: terq; euocati fuerunt antequam se Germanorum copijs adiungerent. Hæc nimirum fuit causa istius moræ & cunctationis. Quis autem Ducum non factus esset tardus & parum efficax, ad hunc modum auxilijs, pecunijs, & rebus ad tormenta necessarijs destitutus? Nemo ignorat pecunias esse neruos belli: his que deficientibus

entibus recusari imperium: & absq; imperio rem militarem administrari nō 1571
posse, idq; ita esse, re ipsa tunc compertum fuit: nam impedita stipendiorum solutione, miles adeò contumaciter recusauit imperium, tamq; grauiter indignari cœpit ut palàm diceret, se non processurum in pugnam, si uel unica sanguinis gutta uictoriam consequi posset. Has difficultates Iouius silentio præterit, de quibus extant ipsius Marchionis literæ grauissimis querimonijs plenæ, ex castris datę ad Ferdinandum Regem Romanorum ordinesq; Imperij Norinbergæ cōgregatos. Tam uerò timidum & nullius animi Principem hunc fuisse, ut se extra periculum in fami loco abdiderit, magnum & impudēs figmētum est. Nam egregia eius uirtus antea in adeundis belli periculis conspecta est, cum Turcæ anno millesimo quingentesimo tricesimo secundo, ex Austria profligarentur. Et si Pesti muris per aliquot dies ad oppugnationem concussis, exercitum semel atq; iterum eam tentantem contra quorundam consilium reduxit, nec id tale extitit, quod excusari nō posset, cum lue antequam ad Pestum exercitus deduceretur, correptus, ea ita infestaretur, ut citra summi periculi atq; discriminis aleam, in obsidione subsistere, autumno appropinquante non potuerit. Vt ergo euentus belli minimè eius ignauiæ imputandus est. Sic eius uoluntas erga Rempub. præclara laudanda est, qui, quantumuis difficili tempore grauissimam prouinciam susceperit, ea tamen quæ officij erant, pro uirili præstare, quàm officio deesse maluerit. Porrò nec minus in toga, quàm in armis uirtus eius enituit. Nam doctrina Euangelij in Germania, ipse post patris Ioachimi primi obitum, secundum uerbum diuini normam, populum suæ ditionis erudiri præcepit, plerisq; tamen cæremonijs seruatis, quas ad reuerentiam religionis, docendum populum & ordinem honestum in Ecclesia seruandum conducere arbitraretur, simulq; Academiam Francofurdensem à patre Ioachimo anno Christi millesimo quingentesimo sexto fundatam, sed penè collapsam denuo instaurauit, & honestissimis stipendijs auxit, Theologiæ Doctoribus accersitis Alexādro Alesio Scoto, Iohanne Pystio Flandro, Andrea Musculo, alijsq; compluribus. Nihilominus tamen Carolo Imperatori ac Ferdinādo Regi addictus, ita ut beneuolentia ipsorum fretus fœdere Schmalcaldico abstinuerit & offensionibus ob religionem natis summa diligentia mederi studuerit. Quare una cum Friderico Palatino, pro pace religioni danda intercedens, periculosissimo tempore rem eò deduxit, ut socijs Augustanæ confessionis, aliquandiu induciæ concederentur, & ne quid ijs interea religionis causa molestiæ fieret, Cæsar ediceret. Postea uerò cum anno quadragesimo sexto offensiones in bellum tristissimum erupissent, sollicitè egit, ut res componeretur, sed durioribus occasionibus à Cæsare oblatis à re destitit. Veruntamen cum Electorem Saxoniæ Iohannem Fridericum, in prę-lio ad Mülbergum facto, captum cognouisset, ea quæ Germaniæ salutaria perspiceret tentanda ratus, iter in castra Cæsaris arripuit, eiusq; qui Saxonē septimo Maij ob rebellionem, ut dicebat, capitis damnasset, animum mitigauit. Ita ut Carolus eo conseruato sententiam mutaret, alijsq; conditionibus propositis ipsum uita donauit. Eo uerò impetrato, summa cupiditate ubiq; stabilis & certæ pacis quam diligentissime unà cū Mauritio Saxone agere nō destitit, ut & Philippus Hassię Landgrauius Lipsiā euocatus, deditione facta Cęsaris fidei sese tolerabilibus cōditionibus pmitteret, ac clementiā potius Imperatoris sensu quā iterū uim & arma experiri mallet. Illo uerò præter omniū expectationē in cōuiuio, ad quod ab utroq; ipsorū deductus fuerat, retento, atq; custodię tradito, id nō solū grauissime tulit, sed & tantū stu-
dium

1571 diu, fidē & diligentiā in fide sua liberāda adhibuit, ut integritas ac uirtus ipsius innotuerit, ac eos q Lādtgrauij in carcerationē uel suaserint, uel administrarint, uel etiam gesserint, actionū suarū, deinde si nō puduerit, saltē pœnituerit, Etsi uerò postea uel metu potentiæ Cæsaris, uel studio pacis conseruandæ decreto Augustano de religione promulgato subscripserit, legatoq; ad cōcilium Tridentinū misso, Pontifici suum studium ac obseruantiam detulerit, tamen temporibus illis in ditione sua nulla doctrina priori à se introductæ contraria audita, nec ministrorum persecutio conspecta fuit, ita ut utrunq; eorum quod diximus tempori potius quàm uolūtati ipsius ac alijs quorum pietati confideret, tribuendum uideatur, maximè cum tempestate illa depulsa ac melioribus temporibus redeuntibus priori sententiæ usque ad ultimum uitæ spiritum institerit, Euangelij doctrinam promouens, constantes Doctores fouens, Scholas sustentans, atque inter has Francofordensem Academiam amplificans & exornans. Cætera Princeps fuit clemens, mansuetus, humanus, Musis ac literatis fauens, non tantum erga suos, sed & exteros munificus, interdum uerò etiam profusus. Verùm de eo hæc breuiter dixisse sufficit. Natus fuit anno Domini millesimo quingentesimo quinto, die decimo tertio Ianuarij patre Ioachimo primo Electore Brandenburgensi, & matre Elisabetha Iohannis Danorum Regis filia. Vxores habuit duas, priorem Magdalenā, filiam Georgij Saxoniæ Ducis & Barbaræ Reginæ Poloniæ, quæ ipsum auxit filijs quinque: Iohanne Georgio qui nascitur anno millesimo quingentesimo uicesimo secundo: Friderico, qui fuit Episcopus Magdeburgensis & administrator Halberstadensis, moritur anno millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo Octobris die tertio: Alberto & Georgio geminis, qui in ipsis cunis quasi obiere: Paulo, qui uix Christianæ religioni per sacrum fontem initiatus, unà cum matre obijt: Filiabus uerò duabus, Barbara quæ nupta est Georgio Duci Lignicensi & Brigensi anno millesimo quingētesimo quadragesimo quinto in Bachanalibus: ac Elisabetha quæ moritur anno millesimo quingentesimo uicesimo nono, Augusti die uigesimo. Post Saxonicæ obitum uerò alteram coniugem duxit Heduuigim Poloniæ Regis Sigismundi primi & Barbaræ Sepusiensis filiam, quæ ei enixa est, Sigismundum natum anno millesimo quingentesimo tricesimo octauo die secūdo Septembris septima uespertina, Archiepiscopum Magdeburgensem, coadiutorem Halberstadensem ac primatem Germaniæ qui (ut suprà ostendimus) obijt die decimo quarto Septemb. anno sexagesimo sexto: Elizabetham Magdalenam, nuptā Francisco Otthoni Lunenburgensi Duci anno millesimo quingentesimo quinquagesimo nono die uicesimo Aprilis iam uiduam: Sophiam elocatam Vilhelmo Rosenbergico Baroni Bohemico, anno millesimo quingentesimo sexagesimo in Bachanalibus, obijt anno millesimo quingentesimo sexagesimo quarto. Heduuigim, coniugem illustrissimi Ducis Brunsuuicensis Iulij, &c. Funus eius ut diximus magna pompa celebratum Berlini, atq; ibi corpus reconditum, quod unà cum omnibus sanctis electis expectat gloriosam resurrectionem.

Decimo tertio eiusdē mēsis q erat undecimus à morte Ioachimi Electoris Brandenburgici Iohannes Marchio Brandenburgicus, uiam fratris subsequens, ex hac mortali uita ad cœlestia gaudia transit inter laudatissimos ętatis huius Principes, qui toga & bello floruère meritò numerandus. Nā quia (ut ille præclarè dixit Principis est uirtus maxima nosse Deum) Iohannes se iuuene Euangelij doctrina restaurata eam summo studio cognouit, & cum anno millesimo quingētesimo tricesimo sexto, patre Ioachimo Electore defuncto

functo, gubernacula ditionis suæ suscepisset, clàm comitatus sex fidissimis 1571 socijs se contulit Vuitebergam ad Doctorem M. L. ut cum eo de reformatione Ecclesiarum suæ ditionis consilium iniret, & sibi ministros uerbi Dei quæreret: atq; Euangelij doctrinam per totam nouam Marchiam spargi, & singulari uigilantia in Ecclesijs doctrinæ puritatem, & in populo disciplinam institutam conseruari curauit. Interim supremo magistratui quem à Deo ordinatum norat, debitum atq; legitimum honorem deferens. Quare cum anno quadragesimo sexto Imperator socijs fœderis Schmalcaldici bellum mouisset atq; ei affirmasset, se non mutaturum doctrinam in istis Ecclesijs, sed alias belli causas habere, ipse dignitatem supremi magistratus fœderatorum cognationi præferens, operam suam Cæsari in bello isto addixit, diuinā normā co i illorū, qu im X tunc uexillo inscriptam habebat, sequens: DATE DEO QVAE DEI SVNT, QVAE SVNT CAESARIS, CAESARI. Verùm cum Carolus aduersarijs de uictis non solum ipsis leges imponeret, sed & formulam fidei omnibus statibus in conuentu Augustano anno millesimo quingentesimo quadragesimo octauo post uictoriam acto præscriberet, tanta animi magnitudine & constantia religionis causam defendit, ut rebus ubique mutantibus, ac consternatis & uacillantibus cæteris fermè omnibus, qui Augustanæ confessionis doctrinam professi fuissent ipse solus ausus sit reclamare decreto Imperatoris, quo Imperij ordines iubebantur assentiri libro de religione, qui eo in conuentu conscriptus & approbatus est. Nam cum cæteri huic decreto subscripserint, & ipse quoque ad subscribendum sine intermissione urgeretur, fecit id quod cordatum & constantem in tuenda Augustana confessione Principem decet: accessit Cæsarem omnibus Imperij ordinibus iam tum formidabilem, eumq; præsente Ferdinando Romanorum Rege admonuit pacti & promissi, quo ante bellum sibi cauisset, estq; intrepide professus, se potius uitam amissurum esse, quàm discessurum ab Euangelij doctrina & religione, quam professus esset ante uictoriam. Quod quidem heroicum constantiæ exemplum in publicis historijs ad sempiternam memoriam extat & à grata posteritate magis celebrabitur. Non tamen Cæsare à promisso ipsius tunc recedente erga eum obseruantia labefactata est. Nam cum post quinquennium Principes quidam Germaniæ: pro liberatione captiuorum & recuperatione libertatis amissæ in Carolum unà cum Rege Galliæ Henrico secundo insurgentes, eum eò redegissent, ut Principibus captiuis dimissis, pro recuperanda Meti, ac repellendo Gallo bellum suscipere cogeretur, ei rursus tam necessario tempore fideliter adfuit, remq; eò deduxit, ut agnatus Albertus in Cæsaris reconciliati castra transiret, quo ipso quantum Galliæ Regis conatus debilitati repressiq; fuerint, cuilibet notum est. Inde uerò domum reuersus ueris officijs Deum coluit, & communi saluti Germaniæ, in publicis negocijs summa diligentia adfuit, suo consilio multis aliorum Principum controuersijs sublatis. Vtq; alijs pacis & tranquillitatis autor extitit, sic turbulentissimis hisce temporibus omnes bellorum tempestates à suis auertit, ita ne toto gubernationis suæ tempore peregrinorum arma in sua ditione sint uisa. Eloquentia porrò tanta ornatus fuit, ut parentem Ioachimum hac quidem adæquarit, cæteros uerò suæ ætatis Principes omnium testimonio superarit. Vita eius interior casta & modesta erat, nec sordidis uoluptatibus agebatur, sed ordine tempora ab ipso distribuebātur, alia lectioni sacræ & precationi tribuebat, alia deliberationibus & cognitioni causarum suæ ditionis, alia peregrinorum Principum negotijs, exiguū quod supererat. Iustitiæ amor in eo notus omnibus: nā ius æquabiliter, sine ullo

1571 ullo respectu, dixit. Disciplinę (quæ in aulis Principum auis rara est) custos diligentissimus: Nam & à luxu suos seuerè cohibuit, & in ministros blasphemantes ac deierantes grauiter animaduertit, primo delinquentibus ex arbitrio sodalium pecuniariam mulctam, deinde carcerem, postremo pœnam cõstitutionum Imperij infligens. Rei familiaris ita studiosus, ut alijs sui ordinis uiris eius rectæ curandæ ac instituendæ exemplum esse posset. Sic itaq; cum triginta sex annos, piè, iustè, moderatè atq; pacificè suis præfuisset, tandem ex apostemate in cruie recrudescente, ægrotare incepit: morbo itaq; ita inualescente, ut fratris uestigia sibi sequenda sentiret de Christianæ fidei articulis & negocijs religionis cum concionatore suo cõtulit, & ab eo exhibitum sibi salutarem corporis & sanguinis Saluatoris nostri Iesu Christi cibum, summa reuerentia accepit, & decimo tertio die Ianuarij, manè inter horam quintam & sextam in cõmemoratione uerborum Psalmi Dauidici. IN MANVS TVAS DOMINE COMMENDO SPIRITVM MEVM, REDEMISTI ME DOMINE DEVS VERITATIS, &c. animam Deo creatori suo piè reddidit. Corpus deinde primo Februarij magna pompa conditum in monumentum quod sibi uiuus construi curarat in templo Custrini. Natus patre Ioachimo primo Electore Brandenburgico, & matre Elisabetha Iohannis Danorum Regis filia, anno millesimo quingentesimo decimo tertio, dimidia hora post tertiam pomeridianam. Vxorem habuit Catharinam Henrici Ducis Brunsuuicensis, & Marię Vuirtenbergicæ filiam, ex qua filias duas sustulit, Elizabetham elocatam Georgio Friderico Marchioni Brandenburgico, anno millesimo quingentesimo quinquagesimo octauo die uicesimo octauo Decembris, Catharinam nuptui traditam Ioachimo Friderico, itidem Marchioni Brandenburgico & administratori Magdeburgensi anno millesimo quingentesimo, octauo die Ianuarij, masculos post se reliquit nullos. Quare noua Marchia, quam tenuit, ad Iohannem Georgium patruelem deuoluta est. Vixit annos quinquaginta quinq;, menses quinq;, dies quatuordecim. Annum obitus utriusq; & Ioachimi Electoris, & Iohannis fratris distichon hoc continet.

Hic iacet Elector propero cum fratre Iohanne
Ossa tenet tellus Spiritus astra tenet.

Octauo Ianuarij anni huius Iochimus Ernestus Princeps Anhaldinus, Iohannis Quarti Principis Anhaldini & Margaritæ Brandenburgicæ Ioachimi Electoris Brandenburgici primi natæ, filius, cum Eleonora filia Christophori Ducis Vuirtembergici & Annæ Mariæ Marchionissæ Brandenburgicæ filia, nuptias Stutgardiæ celebrat, ac postea sponsam ad suos magna solennitate Dessauiã, eò Electoribus Saxone Augusto ac Iohanne Georgio Brandenburgico uenientibus, deducit.

Decimo Ianuarij, nobile quodam circiter milliare à Salisburgo habitante, ac agricolarum suorum cuidam frumentum, quo ipse abundaret, denegãte, miser qui prolem numerosam haberet fame suorum motus, eam uniuersam interficit, ac mox eius uehementia impellente, denuo nobilem accedit, eiq; facinoris perpetrati seriem exponit. Hoc itaq; cognito, ipse cum saccos quibus frumentum impleretur adduci iussisset, pro frumento serpentes ac uenenatas bestias in granario reperit. Notens hoc exemplum Dardanarij, ut & alia, de quibus infrà, & Magistratus auaritiã eorum quoad id fieri potest puniant. Ni etenim id fiet, iræ diuinæ iam imminentis non finis, sed accumulatio metuenda erit.

Decimo tertio Martij Iohannes Regulus Transyluaniæ, quem superius bellorum in Hungaria contra Maximilianum Imperatorem secundum motorum

torum autorem fuisse scripsimus, à medico suo Blanderata medicamentis 1571 enecatus, ut fertur, diem suum in Transyluania claudit, anno postquã Transyluaniã à diuo Ferdinando Rege suo deficientem occupasset, decimo quinto. Natus Budæ annò millesimo quingentesimo quadragesimo, Iulij die septimo, dimidia hora post quartam pomeridianã, patre Iohanne de Zapolia Vuayuoda Transyluaniæ & comite terræ Scepusiensis, qui post Ludouici Regis Hungariæ funestũ & calamitosum occasum â nõnullis factiosis proceribus & nobilibus regni in die Martini Rex salutatus fuit anno millesimo quingentesimo uigesimo sexto, & matre Isabella filia Sigismũdi Regis Poloniæ eius nominis primi, & Bonæ Sforciæ. Hunc patre mortuo tutores patrocinio Imper. Solymanni cõmendarũt, cuius deinde auxilijs suffultus pro Hungariæ regno occupãdo ea tentauit, quæ & toti imperio, & sibi suisq; maximè damna & detrimenta attulere, decessit sine hærede. Quare Transyluani in eius locum uicesimo sexto Maij insequentis Vuaiuodam elegêre Stephanum Bathori de Somlyo frustra Principatũ appetẽte Casparo Bekusoli.

Nono Aprilis Georgius Thunrij uir bellicosus, cui Cæsarea Maiest. arcẽ Canisam in Hungaria custodiendam tradiderat, dum se ex ea à Turcis elici patitur, ab ijs ex insidijs circumuentus, unà cum octoginta socijs fortissimè pugnantibus ex equo delapsus à Mauro quodam occiditur. Caput eius amputatum Cõstantinopolim mittitur: truncus uerò quatriduo post, qui dies erat Dominicæ Passioni sacer, Zigetho Canisam transfertur, ibiq; cum sedecim signis militaribus humatur magno multórum gemitu atq; dolore. Huius uirtute Palotha anno sexagesimo sexto cõtra Bassam Budensem defensa, atq; Sangiaccus Albanus captus fuerat, ut suo loco id indicauimus. Porrò uerò Camsa præcipuũ propugnaculũ est Hungariç Zigethũ uersus.

Vicesimo octauo Maij Fridericus Elector Palatinus, anabaptistica doctrina, passim nõ saltem in sua ditione, sed & finitimis locis grassante, de erroribus eius sectæ reprimendis pias cogitatiónes suscipiens, colloquium antea decimo Aprilis indictũ in Valle Francolina, sita inter Vuormatiã & Spirã, cum eius sectç hominibus, undiq; publica fide euócatis, inchoat. Comparuere uerò eorum q partim præsides, partim admonitores, partim doctores uocãtur; numero circiter quindecim obstinati idiotæ, nullisq; literis tincti, sed ueteris & noui testamẽti scriptis falso intellectis inhærentes, quib. Elector postquã eos de erroribus agnoscendis in sua præsentia admoneri curasset, opposuit inter alios Petrum Dathenũ Theologum nonnũquã & Venceslao Zulegero præside ab Electorẽ constituto interloquente, ea de quibus cõferretur, tribus notharijs Xylandro, Fausio, & Neandro diligẽtissimè excipientibus, & ne uel falsi, uel negligentiæ suspitio incideret, singula cuiq; parti, quã primum dicendi finem fecisset, alta uoce prælegentibus. Capita uerò disputationis hæc erant.

An scripta Veteris Testamenti apud Christianó, stantundem quantum Noui Testamenti ualere debeant, id est, an ne præcipua capita Christianæ fidei ac uitæ æque ex Veteri Testamento probari possint ac debeant ut ex Nouo?

Secundò an Pater, Filius, & Spiritus Sanctus sint æterna atq; diuina essentia: attamen tribus personis distincta?

Tertiò an ne Christus substantiam carnis suæ, ex substantia carnis uirginis Mariæ, an uerò aliunde assumpserit?

Quartò an credentes in Veteri, cum credentibus in Nouo Testamento communis Ecclesia ac populus Dei sint?

1571 Quinto an pueri in peccato originali concepti ac nati, ob id filij iræ & æternæ mortis rei sint?

An perfecta obedientia Christi certa fiducia apprehensa unica atque sufficiens satisfactio nostrorum peccatorum & causa æternæ uitæ atque salutis sit, an uerò partim per fidem in Christum ex gratia, partim autē per crucem & bona opera iustificemur?

An substantia carnis humanæ, in nouissimo iudicio resurrectura, an uerò aliam Deus creaturus sit?

An excommunicatio Ecclesiastica & infidelitas matrimonium separet?

An Christiani propria bona emere & possidere queant citra offensionem charitatis Christianæ?

An Christianis magistratum gerere, & malos gladio punire liceat?

An Christianis licita iuramēta in nomine Dei præstare permissum sit, hoc est, Deum adhibere testem ueritatis?

An Christianorum pueri sint baptizandi?

An Sacramentum altaris sit nudum doctrinę signum, & cohortatio ad patientiam & dilectionem, an uerò efficax obsignatio salutaris communionis, qua omnes credentes cum Christo ad æternam uitam fruantur?

Et hæc quidem capita ideo concepta erant, ut de ijs disceptaretur, quod è diametro contrarium à plerisque eorum doceatur. Nam illi doctrinā Veteris Testamenti de salute hominis imperfectam esse contendunt contra testimonia Deut. cap. 18. 30. & Psalm. 19. ac Prophetarum doctrinam de fidei articulis, Nouo Testamento contrariam, contra autoritatem Apostolorum Pauli & Petri quorum ille cap. 16. ad Roman. clarè affirmat mysterium iustitiæ per Christum non solum Iudæis, sed & cunctis gentibus per scripturas Prophetharum patefactum, hic uerò 2. Epist. cap. primo suos collaudat qui attendāt Prophetico sermoni quasi lucernę lucēti in loco caliginoso donec dies elucescat. Plerique etiam ipsorum negant Dominum nostrum Ihesum Christū, uerum, omnipotentem atque æternum Deum una cum patre & spiritu sancto, in una æterna, perpetua ac inseparabili substantia, contra manifesta scripturæ loca Hieremiæ tricesimo tertio, Dauidis Psalm. quadragesimo quinto, Iohannis secundo, Romanorum nono, Iohannis decimo quarto. Similiter quoque humanam naturam ex uirgine Maria assumpsisse diffitentur, ac è cœlis illam attulisse asserunt contra scripturæ testimonia Genesis tertio atque etiam uicesimo secundo Psalm. 132. Iesaiæ septimo. Pueros in peccato originali conceptos ac natos, minimè damnari somniant, contra doctrinam Pauli ad Ephes. 2. Rom. tertio & quinto, Dauid Psalm. tricesimo secundo, & octuagesimo quinto imò pueros qui iam nascuntur à peccato originali liberos atque immunes esse contra autoritatem scripturæ, Genesis quinto, & Gen. sexto, Iob. capite decimo quarto, Dauid Psalm. quinquagesimo primo & doctrinam Christi, Iohannis tertio Paul. Rom. tertio. Credentes in Veteri Testamento cum credentibus in Nouo re ipsa Deo reconciliatos, antequam Christus nasceretur & pateretur minimè credunt, contra testimonium Petri prima cap. primo, Genes. decimo quinto, Iesaiæ quadragesimo tertio, Dauid Psalm. octuagesimo quinto, & centesimo tertio, Iesaię quinquagesimo tertio. Plerique etiam ipsorum statuunt, non in Christi merita, sed nostra propria opera, crucem ac afflictionem fiduciam æternæ salutis reponendam contra doctrinam Apostolorum Pauli Rom. capite tertio quarto, quinto, undecimo, Gal. secundo, quinto, Ephes. cap. secundo, 1. Corinth. primo Iesaiæ quinquagesimo tertio, Danielis nono, Zachariæ nono.

Eandem

Eandem substantiam carnis in nouissimo die resurrecturam, quæ iam in hac 1571
uita circumferatur, multi ipsorum dubitant contra dictum Pauli ad Philip. cap. tertio, prima Corinth decimo quinto, Io. cap. quinto. Iob. cap. decimo nono. Matrimonia etiam ob leuissimas causas separant, ut Henricus Dorpius de regno Monasteriensi scribit, maximè hi qui uocantur Mennonitæ contra dictum Christi Matthęi decimo nono, prima Petri tertio, Pauli prima Corinth. septimo. Hebr. decimo tertio. Nec quidam ipsorum propria bona Christianis possidere licere docēt, maximè Hutterici, qui in Morauia degunt contra doctrinam Pauli ad Corinth. prima cap. septimo, & Thessalon. prima cap. quarto. Plerique magistratum reijciunt ac peruicaciter contendunt Christianis non licere magistratum gerere, ut olim docuere Martionitæ, & Manichæi, qui etiam uoluere omnes magistratus & politicas administrationes esse peccata. Et qui magistratus atque officia politica administret, hunc non posse saluari iuxta hæresin Celsi, Iuliani, Marcellini & aliorum, contra doctrinam sacræ scripturæ Roman. decimo tertio, Deut. tricesimo secundo. Prouerb. Salom. octauo & decimo sexto, Danielis secundo, Psalm. octuagesimo secundo, & centesimo quadragesimo quarto. Iuramenta Christianis penitus denegant, etiam magistratu ea exigente, contra testimonia scripturæ, Ieremiæ quarto, Pauli prima Corinth. primo. De pueris baptizandis nullum Christi uel Apostolorum mandatum extare furenter asserūt, contra doctrinam Christi Marci decimo, Petri actorum cap. secundo, Marci cap. primo, Iohan. tertio. Postremò quidam ipsorum Cœnam Dominicam, negant esse Sacramentum, sigillum aut notam diuinæ gratiæ per Christum nobis promissæ ac partæ ad confirmationem nostræ fidei, sed Sacramentum utrunque tam altaris, quàm baptismi esse nuda symbola fraternę charitatis atque concordiæ à Christo ideo instituta, ut nos ad crucem & patientiam cohortētur, & animent contra expressa uerba institutionis Cœnæ Dominicæ, Matthæi uicesimo sexto, Marci decimo quarto, Lucæ uicesimo secundo. Paul. prima Corinth. undecimo. Quia uerò, in delyræ ac obstinatæ huius sectæ mentionem incidimus, non abs re fore arbitramur, si de eius uarietate nonnihil dicamus. Sunt enim eius sectæ species uariæ: &, ut dissimiles prouisores uel concionatores habent, sic & uita dispares existunt, nihilominus tamen singulis Electorū ac Sanctorū Dei nomē sibi uendicantibus. Sunt etenim qui cū Balthasare Hubmeyero, Melchiore Rincken, Iohanne Denckio, Iohāne Hutio & Ludouuico Hetzero, in articulo Baptismi & ministerij Euangelij sentiant. Hi nullam interpretationem sacræ scripturæ admittunt, innixi soli literæ, atque solis quatuor Euangelijs & Epistolis Pauli, Iacobi, Petri, Actis Apostolorum & Apocalypsi, Iohannis receptis, reliqua scripta Patrum, Hieronymi, Augustini, Ambrosij & Bernhardi, ut traditiones hominum reijciunt. Alij gloriantur de tertio Dauide, habentque multa communia cum Mahometis Ismahelitæ doctrina, cuius abominabilis secta, circiter annum sexcentesimum duodecimum, sub Heraclio Imperatore exorta est: Nam pluribus uxoribus utuntur, ut Rex Monasteriensis Iohannes de Leyda anno millesimo quingentesimo tricesimo quarto, hi se uenditant Coryphæo Melchiore Hoffmanno, qui Ecclesiam suam nouam Hierusalem uocat.

Tertij sectatores sunt Iohannis Vuicleui & Lambertianorū, hi omnia mandata abrogant, & in communione rerum omnium uiuunt, iuramenta omnia uetant, nec etiam ulli magistratui præstati uolunt.

Quarti, uocant Munzeriani à Thoma Muntzero, hi penitus Sacramēta

1571 aspernantur, primi autores motus rustici, excitati anno millesimo quingentesimo uicesimo quinto, nihilominus se peccatorum expertes & iustos esse profitentur.

Quinti, circa S. Gallum & Cellam Abbatis finitimaq; loca in Heluetia habitarunt, de quorum doctrina & opinionibus iusti Knitrhisij, Frenisheimeri peculiaris tractatus inuenitur.

Sexti, Doctores suos Michaëlem Satlerum Georgium, Vuagnerum & Leonhardum Cæsarem iactant, de quorum secta atque doctrina in paruis concordantijs quædam tradita sunt. Horum uerò doctores duo prohibent sub suæ excommunicationis pœna: primò segregationem à constitutis & missis animarum pastoribus in ipsorum parochijs, usum omnium Sacramētorum, consortij uel uiciniæ uel nuptiarum cum alijs. Secundò fratribus interdicunt, ne cui præterquam suæ sectæ hominibus, fidem, doctrinam & mysteria ipsorum manifestent, nec pastores animarum seu præpositos nominent. Ad hæc docent, ut Euangelicorum templa, conciones & Sacramentorum participationem fugiant, cum illa sint domicilia Idolorum, manibus hominum facta in quibus Deus non habitet, nec rectè Euangelici concionatores doceant, uel cultus diuinos peragant, sed sint peccatores, ea quę doceant alios, ipsimet non facientes, ita ut populus propter immensam ipsorum auaritiam uitam emendare ex ipsorum concionibus nequeat. Ad hæc tradunt cum Magistratu et alijs hominibus contumaciter loquendum, nec ijs honorē exhibendum se solos pro Sanctis ac pijs, reliquos pro impijs habendos esse. Verùm hæc de uarijs Anabaptistarum sectis breuiter attigisse sufficit, de quibus complurium luculenta scripta inueniuntur.

Postremò cum de propositis articulis à uigesimo octauo die Maij usq; ad decimum nonum Iunij disceptatum esset, nec obstinata capita ullis scripturę testimonijs uel argumentis cederent, sed in erroribus conceptis perseuerarent colloquium soluitur, atq; sectarijs seriò iniungitur, ut à docendo in Palatinatu abstineant, nec subditos Electoris in posterum sub grauissima pœna seducant.

Vicesimo quinto Maij fœdus inter Papam, Philippum Hispaniarum Regem & Venetos ad summi Pontificis diligentissimam sollicitationem Venetijs tandem cōfirmatur atq; subscribitur. Nam cum Pontifex Maximus non tantum expeditionis Turcicæ contra Christianos magnitudinem, sed & cōsilia Turcæ de inuadenda, ac subiuganda tota Italia alijsq; finitimis regionibus cognouisset, consilio cum purpuratis patribus habito, omnem diligētiā adhibuit, ut Turcę furori occurreretur, remq; eò tādem deduxit, ut perpetuum atq; durabile fœdus contra hęreditarium hostem fieret inter sedem Romanam, Regem Hispaniarum & Venetos, his conditionibus: Fœdus nō saltem defendendi, sed & offendendi proposito perpetuū esto, atq; maneto, auxilia sociorum ad minus centum bene instructis triremibus quinquaginta millibus armatorum, Italorum, Hispanorum ac Germanorum quatuor millibus & quingentis equitibus bene armatis cōstanto, cum munitione & apparatu bellico necessario ita instructo, ut auxilia cōfœderatorū quobet anno ad summū in mense Aprili in mari cōspiciantur, atq; hostem aggrediantur. Pontifex ad hæc auxilia decem triremes, tria millia peditum, ducentos septuaginta equites. Rex Hispaniarum ad eadem tres sextas, Veneti duas suis sumptibus præbento.

Decimo quarto Iunij Goldrbergi, Lembergi, Laubijq; in Silesia fame passim grassante, pisa, rapa, frumētum ac triticum pluit, ex quo collecto molaq;

trito,

trito,homines undiq; accurrentes,triduo post panem confecere. Illustre id 1571
exemplum est clemētiæ ac omnipotentiæ Dei, suos in summa inopia pasce-
re ac sustentare ualentis,nō minus hoc tempore,quā olim in deserto, popu-
lum Iudaicū Māna de cœlo eadente,pauit. Porrò ut hoc clemētiæ in Silesia,
sic iræ suæ aduersus impios atq; auaros Dardanarios & Curculiones in Sa-
xonia inferiori eiusdē huius mēsis die uigesimo nono Deus Exemplū aliud
edidit. Situm est in hac oppidulū Leoburgū ad Albim, sede Ducum Saxo-
niæ inferioris,qui inde Leoburgenses dicuntur,celebre,à Lunæburgo duo-
bus Hamburgo uerò sex milliarib. Germanicis distās: In eo duo sordidi pro-
polę,quorum alteri Georgio Embsio,alteri uerò Iohanni Sprengero nomē
erat aliquot millibus frumenti modijs ad quęstū faciendū coēmpris,dum id
per baiulos in naues deferri curare uolunt,ut Hamburgū deuectū carius di
uendāt,atq; in granariū cōtendentes,ianuā aperiunt,frumentū magno impe
tu ijs obuiam fertur atq; totum per fenestras euolat,ita ut ne granū quidem
in tabulato remanserit magna omnium incolarū admiratione. Eo Georgius
uiso,statim attonitus cōcidit,atq; animā turpi lucro infectā exhalat: alter ue-
rò e granario desiliens,ad Albim se undis suffocaturus,fugit. Verū baiuli eū
retractum,cōpedibus cōstringunt,atq; rem,ut gesta erat,ad ducē tūc Katze
burgi degentem perscribunt. Is re cognita,statim Leoburgū contendit,ut
hominē coràm uideat. Cæterùm hic circiter undecimā noctis horā à Satha-
na miserè uexatus,ante ducis aduentū,animam cōspectu Dei hominūq; in-
dignā efflat. Dux ergo adueniens,eo cognito , cadauer ipsius cōburi iubet,
atq; per totam ditionem subditis sub pœna amissionis uitæ atq; bonorū im-
perat,ne quis frumentū quæstus exercēdi gratia ad pauperes onerādos præ-
emat. Memorabile quidē hoc exemplū pœnæ diuinæ ob oneratam annonā,
& non minus notandū,quā quod paucos ante annos in Sueuia accidisse etiā
exteri literis prodidere. Nam cum in ea præpotēs quidā ac clarus nobilis ma
gna frumenti copia coaceruata,pauperi cuidam partē saltē precij ob inopiā
offerenti,ac de reliqua fidem sibi haberi petenti,frumentū uēdere recusaret:
hoc ira discedente , ut nobili nulla misericordia prædita pessima quæq; im-
precaretur, hic dum paulò pòst seruū suum in granariū ad inspiciendum fru
mentum mittit,is domino id à tribus nigris bobus deuorari refert: uiso,ita at
tonitus,ut paulò pòst moreret. Dominus ergo eo cōsternatus, cum ex alio,
quē ad id uidendū dimisisset,idem cognosceret , ipsemet ad ueritatē rei per-
cipiendam ad granarij fores se cōfert,atq; per rimulā granariū multis diuer-
sis animalibus frumentū deuórantibus,repletum uidens,tanto pauore corri
pitur,ut instar afflati à malo spiritu,cathenis allegandus esset. Multis hæc res
admirationem peperit,atq; adeò diuulgata est,ut & Itali eam dignā literis cē
suerint. Quare minus à nobis quoq; silentio prætereunda uisa est. Cæterùm
quotus quisq; in tanta hominū cæcitate talibus exemplis mouetur, antequā
ipsemet magno suo malo iram Dei sentiat? Saniores tamen non solum hæc
exempla cōsyderent,sed & similia, quæ superiori ætate accidisse referuntur,
ad animū reuocent,nimirum Hattonis Moguntiæ Archiepiscopi, qui , quo
murium,ipsum diu noctuq; inuadentiū , rabidos morsus effugeret,turrim
Bingiensem in medio Rheni frustra construxisse scribitur.

Circiter hoc idem tempus cum superiori hyeme Moschouitæ relicta ob-
sidione Riualensi,cum reliquijs sui exercitus progressi, Finlandiam Regis
Suetici Iohannis ferè totam depopulati essent,incensis direptisq; uicis & op
pidis,& aliquot millibus omnis generis & sexus hominum abductis in ca-
ptiuitatem,more barbaro,Deus hanc Tyrannidē ultus est, misso Rege Tar-

1571 tarorum Krempschi potenti admodum cum exercitu, septuaginta millium armatorũ leuis armaturæ, qui ex improuiso Moschouiã obsedit, obsessã expugnauit, Regiam gazã diripuit, incensis oppidi ligneis ædificijs, ac aliquot millibus hominum trucidatis, reliquos in miserrimam seruitutem abduxit, Moscouitas hostem insecutos ad unum omnes concidit, cumq; captiuis & prȩda ad suos saluo exercitu reuersus est, furẽte & fremẽte Basilio Moscho.

Vicesimo Iulij noctu ab hora undecima usq; ad primam mediæ noctis in nouæ ciuitatis Pragensis publico foro subsequens horribilis uisio à multis fide dignis cõspicitur. Initio exauditus est magnus flatus, motus, ac strepitus: Populi itaq; ex fenestris prospicientis oculis statim tantus equitatus progrediens offertur, ut ob magnitudinem eum uisu assequi nequiuerit. Hic uerò progressus ex uico, quem cõbustum uocant, inter ædes iacentes è regione templi in medio foro siti, atq; à corpore Christi denominati, magno sonitu contendit ad monasterium Slouuan uocatum Emaus, tali apparatu, forma ac habitu, quo equites in expeditione uti consueuêre. Hunc equitatũ progredientem, ut nulla uox in eo audiretur, subsecutus est ingẽs currus, ferro munitus forma tali, qua sunt, qui uulgò Camerales uocantur, rotis tamẽ carens, agitatus tanto impetu, qui sonitum ederet, solumq; areæ deprimeret. Hũc currũ eminùs octo uiri magni ocreati, capitibusq; carẽtes sequebant, ex quorũ cursu & pedũ supplosione, tam ingens atq; terribilis sonitus excitabatur, ut totius equitatus strepitum superaret. Postquam uerò equitatus, currus & uiri acephali prætergressi fuissent, non longè à dicto templo in foro conspectus fuit ignis lucidissimus, ad cuius latus unum quã plurimæ cistæ accumulatæ iacuêre: ad alterum uerò multa parua uasa, similia ijs in quȩ nitratus puluis reconditur. Intereà currus horribiliter resonãs inuehitur, cui cistæ, & uasa omnia imposita & prope curiam nouȩ ciuitatis, in uicum à latitudine dictum subito turbine inuoluta atq; abducta fuêre, omnibus in turbine euanescentibus. Paulò pòst apparuit ingens atq; clarissima stella instar lati pilei quæ fulsit usq; ad tempus matutinum. Quibus hæc uisio uisa est, eam præfecto nouæ ciuitatis & Senatoribus publicè exposuêre: quidam uerò ipsorum, rei nouitate ita perculsi sunt, ut in morbum inciderint. Quid omnipotens Deus tali uisione significare uoluerit, diuino ipsius consilio relictum est, haud dubiè uerò pœnam nostris peccatis commeritam denunciat. Ante deuastationem Hierosolymorum, Iosepho teste, & ante ruinam imperij Romani, ut scribit Dion, in aëre & in terris hinc inde equitantes conspecti fuêre. Et nostris temporibus in loco quo pugna inter Mauritium Electorem Saxoniæ, & Albertum Brandenburgicum commissa est horribiles fremitus equorum exauditos fuisse constat, toto ferè anno ante prælium commissum. Quare nec nos huiusmodi signa contemnamus, sed sȩcuritatis torpore excusso, à peccatis desistamus, & uera fiducia ad filium Dei confugiamus, ut imminentes calamitates uel mitiget uel tollat.

Primo Augusti Marcus Antonius Bragadinus, & Tiepolus, Famagustæ à Turcis in Cypro obsessæ rectores, numero propugnatorum, qui initio obsidionis quatuor millibus gregariorum, & octingentis selectissimorũ Italorum, ducentis Albanis seu Epirotis & tribus millibus incolarum constiterat, post uaria oppugnationis & obsidionis incõmoda ad tantam paucitatẽ redacto, ut uix mille superessent, simulq; cõmeatu, nitrato puluere alijsq; rebus necessarijs deficientibus, nec ullo auxilio Venetorum apparẽte, de ciuitate honestis conditionibus ad preces oppidanorũ dedenda cõstituunt, atq; duobus obsidibus, Hercule Martinengo & Matthæo Colsio, nobile Famagustano

stano datis totidemq; receptis, atq; in urbem honorificētissimè introductis, nimirùm Mustaphæ Bassæ atq; exercitus Turcici Ducis legato, & Ianizarorum Aga, id est, præfecto, cum hisce de urbe dedenda paciscūtur, ita ut præter corpora bonaq; salua, quinq; machinis bellicis currulib. & tribus equis melioribus abductis, Italis urbe excedere liceret. Mustapha naues, quibus ipsi in Cretam transmitterentur, daturo, ac Græcis non saltem uitam atq; bona, sed & uitam Christianam concessuro. Cæterùm his conditionibus à Mustapha manus propriæ subscriptione approbatis, maiorīq; præsidiariorū parte nauibus imposita fraudulentissimus Turca, perfidia omni posteritate notanda, mox præcipuos duces, ac quinquaginta Sclopetarios unà cum Bragadino ad se in tētoria pactorū fiducia uenientes, alterū post alterū frustatim cōcidit Bragadino in terrā proiecto, aures ipsemet amputat eūq; omni cōtumelia cū opprobrio nominis Christi afficit, trecentos Christianos q in urbe erāt miserè trucidat nauibusq; impositos spoliat, atq; cathenis uinctos seruos efficit. 1571

Die deinde tertio qui septimus erat Augusti ab hac laniena ędita, urbē ingressus, Tiepolū rectorem quem diximus in crucem agit, ac postea 17. mensis eiusdē omni Tyrannidis genere in urbe perpetrato, Bragadinū uirū præstantissimum cōrumeliosissimè habitum cōtra omnē fidem, humanitatē & honestatem uita priuat: Nam initio ad singulas fossas castrorū deductus, corbes terræ singulis importare & deportare, & ad Mustaphæ conspectū procidere ac terram deosculari coactus est, deinde ad portū maris delarus atq; in sellam repositus, maloq; altissimò alligatus, Christianis captiuis nauib. impositis spectaculi loco ostenditur. Postremo autem in forum asportatus, ac omnibus uestibus nudatus, & ad palum extensus uiuus excoriatur. In quo tristissimo supplicio Turcica perfidia atq; tyrannide Mustaphæ exprobrata, in uera Christi Saluatoris inuocatione magnaq; constantia ac patientia moritur. Turcis postea cutem stramine repletam malo suspendentibus, & ad Christianorum ignominiam in Syria ac regionibus finitimis ostentantibus. Admoneat nos hæc barbarica tyrannis, ut non solum preces contra eā assiduis gemitibus in uera Christi agnitione, ac pœnitēria nostrorum peccatorum ad Deū fundere discamus, sed & perfidissimæ ac maledictæ sectæ Mahometanæ promissis minimè fidem adhibeamus, tunc fallere conantis, cum credulos inuenit, ut præter hoc exemplum & Iulæ in Hungaria anno millesimo quingētesimo sexagesimo sexto simili fraude doloq; captæ abundè testatur, ac prouidè prudēterq; Hieronymus Vuolffius uir doctissimus omnes Christianos admonuisse uideatur, ne temerè Turcæ credant, Iulæo præsidio cōtra fidem datam, non minus atq; Venetis trucidato.

Hei miseri, qui nos decipit perfidus hostis?
Seruat, cum libuit, quam dedit ille fidem.
Bis miseri, quod degeneres cecidistis inulti
More boum: nec uos lausuè decusuè manent.
Præstiterat seruasse fidem, uitaq; profusa
Sanguine Threicio triste rigasse solum.
Ad uos Christicolæ memores ne fidite Turcis:
Cedere certa salus, cedere nulla fides.
Mors & ignauos torquet sua spicula: fortes
Pro patria & uera religione cadunt.
Non obitus fraudi, sed erit uictoria laudi:
Non Deus hanc nobis, crimina nostra negant.

Porrò exercitus Turcarū Famagustam obsidentium ducentis millib. constitisse fertur, inter quę quatuordecim millia, stipendiariorū aliorū octoginta

1571 millia, Volonum qui ipſis Alcanzi dicuntur abſq; ſtipendio militantes ſexaginta millia, quorum numerus ideo tantus fuit, quod Muſtapha publicari curaſſet Famaguſtam Nicoſia ditiorem eſſe, alias numero ipſorum triginta millia raro excedente, præter Muſtapham, eum quem diximus, & alij Baſſæ in caſtris fuére, indigni quorum nomina referantur, nulla uirtute niſi perfidia, inhumanitate, Tyrannide ac Machometano delyrio inſignes. Ex tanto uerò exercitu ultra octoginta millia ad Famaguſtam perijſſe ſcribuntur, inter quæ Baſſę cum Ianizarorum Aga, alijsq; Sanzaccis quàmplurimis. Atq; ita Famaguſta quam Genuenſes & Veneti longo tempore poſſedère, illi quidem Iano Luſignano extortam, hi uerò ſucceſsione ut diximus obtentã, in Turcæ Tyranni poteſtatem peruenit, magno Chriſtianæ Reipublicæ detrimento: quod quidam uir doctiſsimus his uerſibus obiter quidem, ſed grauiter deplorat, ſcribens.

Magnifica urbs Venetûm modo Cyprum luget ademptam,
Se queritur reliquum iuris habere nihil
In Cypro, quæ frumenti dulcisq; Lyæi;
Cultores ditat duplice meſſe ſuos.
Publica rei uulnus lethale accepit & ingens
Iactura eſt iterum facta, quis ergo dolet?
Nemo dolet certè ex animo, niſi cernat acutum.
Intrare in thalamos publica damna ſuos,
Graſſantemq; Dei latè conſideret iram
Chriſtiadûm impacta ſilua bipenne gemit, &c.

Menſe Septembri cum circiter finem præcedentis, filij Imperatoris Maximiliani, Rodulphus & Erneſtus Archiduces Auſtriæ ex Hiſpanijs ſoſpites reuerſi fuiſſent, Carolus Archidux Auſtriæ cum nepte ex ſorore Anna filia Alberti Ducis Bauariæ nuptias Viennæ magna feſtiuitate celebrat.

Viceſimo tertio Septembris cadauer Comitis Palatini Vuolfgangi, quod anno ſexageſimo nono decimo quinto Iunij, Admiralij iuſſu Engolemium tranſuectum diximus, & hic pace facta Cognatum in ſacello arcis cuſtodiri curarat, metuens ne qua contumelia à Engoliſmenſibus afficeretur, Cognaco Rupellas, hinc per mare in Germaniam translatum Maiſenheimij ſepulchro auito infertur, ac honorificè ſepelitur, eius deductionem comitantibus filio Philippo Ludouico, & Georgio Iohanne patruele, & legatis aliorum filiorum & agnatorum Electoris Palatini Friderici, Iohannis Caſimiri, & Richardi, nobilibus ac ciuibus ſuæ ditionis compluribus. Etſi enim filij pia humationis paternæ ſollicitudine copiarum præfectis atq; miniſtris parentis in caſtris Nauerræi relictis, in Germaniam reuerſuris cadaueris paterni adductionem iniunxiſſent, tamen cum exercitus per loca remotiſsima ab Engolemo in Germaniam rediret, ut ſuo loco meminimus, minimè uoluntati ipſorum ſatisfieri potuit. Quare poſt pacificationem firmatam Iohannem Vuolfium Iuris Licenciatum uirum induſtrium, quo conſiliario in expeditione parens uſus fuerat, ad Regem Galliæ atq; Reginam Nauarræ ablegarunt, corporis paterni eductionem è regno Galliæ enixè petentes.

Licet uerò Rex ei benignè aſſentiretur, atque Nauarræa unà cum Admirallo quibus poſſet rationibus eam promoueret, tamen cum pleræque ciuitates quas tranſiri oportebat, præſidijs militaribus tenerentur, ac inſolentia eorum metuenda eſſet, nulla commodior ratio corporis aſportandi, quàm per mare, uiſa eſt, licet nec ea metus penitus expers eſſet, cùm

quod

quod mare à piratis infestaretur, tũ q̃d nautæ pro more suo mortui cadauer 1571
scientes in naui minimè ferant. Cæterùm industria Vuolfij loculo quo
cadauer recondebatur, alteri cistæ incluso, eáque linteaminibus obducta,
funibúsque constricta, quarto die Iulij Prouagij sub specie mercimonij, Lu-
becensis nautę Olcadi imponitur, atque uarijs tempestatibus agitatum, tan-
dem Tramium; qui est portus Lubecensium, undecimo Augusti die ad-
ducitur, atque rebus ad honorificam uecturam, necessarijs Lubecæ com-
paratis, inde uicesimo nono post habitam funebrem orationem Lunæbur-
gum, hinc Brunsuuigam, deinde Vuolffebytum, postea Mundam, exin-
de Cassellas, postremò in propriam ditionem suam uehitur principibus ac
ciuitatibus quo cadauer uenirет, honorificè excipientibus, eique in tem-
pla collocato, cum campanis pulsatis, funebres conciones haberi curan-
tibus, idqué cum insigni comitatu ubique deducentibus. Etsi uerò hoc
factum filiorum illustrissimi principis quibusdam minimè necessarium ui-
sum fuerit, sumptibus maximis, qui translationis impensi fuêre, parci po-
tuisse existimantibus, aliásque nænias commemorantibus, tamen consili-
um eorum rectè perpensum, non solum laude dignum, sed & uetustissi-
mis tam sacris quàm prophanis exemplis defenditur. Nam ut Tobiæ se-
nioris præceptum ad filium prætereamus, quo inter alias salubres admo-
nitiones filio iniunxit, & suam, & matris sollicitam sepulturam, an non
Iacob cum hominibus in Aegypto sepeliri nolens, Iosephum adiura-
uit, ut eum mortuum ad patrum suorum sepulturam deferret, idqué Iose-
phus religiosè adimpleuit? Et hoc quidem patrum exemplum haud du-
biè & aliæ Gentes sunt imitatæ: Neque enim frustra est, quod eximius
uates Homerus ait, Nestorem quem omnium Græcorum sapientissimum
facit, suauisse ut interfectorum corpora sicubi exusta fuerint, ossa recondan
tur in urna, & in Græciam reuehantur, ac patrio more ibi humentur. Idq;
idem in Sarpedone Iouis filio factum perhibet, ossa nimirum illius de exter-
no loco in patrium solum fuisse translata. Verum ut ueteribus & gentilibus
relictis ad recentiora, & Christianæ pietati nostræq; nationi magis confor-
mia ueniamus, etiam Constantini Magni, & meritissimi Imperatoris ossa
translata fuisse constat, quod deinde idem non solum in Germanicis Impe-
ratoribus, ut Otthone tertio, Cunrado Salico, Henrico Nigro, Henrico IIII.
& V. Lothario Saxone, alijsq;, sed & alijs Principibus usurpatum est ita, ut
etiam uxoris suæ corpus, alio quàm uellet loco humatum, Cunradus Mis-
nensium Princeps eò quò ipse cupiebat reposuerit. Quin & non ita ante
multos annos Erici senioris Brunscuuicensis Ducis, cum Haganoæ in comi
tijs obijsset, corpus, inde ad auorum sepulchra translatum est, ut meritò hu-
iusmodi exēpla maioris sint facienda, quā leuissimæ quorundā nęniæ quib
eiusmodi transferendorū corporum morē animo sedet ridere Diogenico-
modo, minimè recordantiū eius, quòd Augustinus libro primo de ciuitate
Dei capite decimo tertio grauissimè, & pientissimè scripsit in hæc uerba.

Non sunt cōtemnenda & abijciēda corpora defunctorū, maximeq; iusto-
rum atq; fideliū, quib. tanquā organis & uasis ad omnia bona opera sanctus «
usus est spiritus. Si enim paterna uestis & annulus, ac si qd huiusmodi, tan- «
tò carius est posteris, quātò erga parentes maior extitit affectus. Nullo mo- «
do ipsa spernenda sunt corpora, quæ utiq; multò familiarius atq; coniuncti- «
us, quam qualibet indumenta gestamus.

Porrò ad Ducē Vuolffgangū quod attinet, natus is fuit patre Ludouico
comite Palatino Rheni & comite Veldētię, auo Alexādro, pauo Ludouico

1571 cognomine Nigro, abauo Stephano dicto Bipontino, atauo uerò Ruperto Romanorum Rege, artibus belli pacisq; clarissimo, & matre Elizabetha, filia Vuilhelmi senioris Lãdtgrauij Hessiæ, & Elizabethæ sororis Ducis Brũsuuicensis Erici Senioris. Cęterùm patre Ludouico in infantia cũ uix septẽnis esset mortuo, tutorem nactus patruũ Rupertum, qui sacris ordinibus relictis Euangelij doctrinam amplexus fuerat, eius cura traditus est institutioni Casparis Glaseti, uiri tantæ doctrinæ & sanctimoniæ, ut eum inter nõ multos homines Principis amantes dignũ existimarint, cui nobilitas atq; puerilis indolis institutio cõmitteretur. Cùm ergo ingenium in eo capax, morigerum ac docile esset, nõ tantum literas latinas, sed & religionis fundamẽta ex fontibus sacræ scripturæ, matre fœmina electissima id præcipiente, sub Glasero hausit, ita, ut in articulis religionis tunc temporis cõtrouersis, nõ saltem Augustanæ cõfessionis capita, autoritate bibliacorũ scriptorum munire, sed & aliorum cõtrariam sententiam refellere nosset. His itaq; agnati progressibus, Illustriss. Elector Palatinus Fridericus cognitis, eũ in Aulam suã Heidelbergam euocauit, ut & alijs disciplinis, quæ in gubernatore requiruntur imbueretur. Facile itaq; Princeps qui natura ad cognoscenda uaria raperetur, prudentissimi agnati cõsilio acquieuit, atq; in aulam eius concessit, quo eius prudentia iuuenilis ipsius ætas informata ad Reipub. gubernationem aptior instructiorq; efficeretur. Quoad itaq; in aula mansit, ita se gessit, ut & agnatum sibi deuinctissimũ redderet, & ob præclaram indolem, humanitatẽ atq; modestiam, quæ singularis in eo erat, laudem omniũ referret. Verùm cũ filius unicus esset, & iam annum decimũ nonum attigisset, matris quæ duca tui prospicere de certo successore cogitaret, consilio, Annam Philippi Landtgrauij Hassiæ, & Christianæ Saxonicæ filiam, uxorem duxit. Cum uerò uix bienniũ cũ ea uixisset, ingens & periculosum bellũ Germanicum exarsit, in quo in summas difficultates cõiectus est, Carolo Quinto Imperatore post Electorem Saxoniæ Iohannem Fridericum debellatũ, atq; cũ socero Landtgrauio captum, decreti Augustani formulã, quam INTERIM dixere recipi ab ipso postulante, eumq; Augustã ad se accersente. Ex quibus tamen, Deo pectus ipsius religionis studio flagrans, spiritu constantiæ ac fortitudinis muniente, ita eluctatus est, ut Princeps iuuenis, præ multis alijs sui ordinis, hominibus insignem editæ confessionis suæ fidei laudem retulerit. Siquidẽ initio cum ad mandatum Cæsaris Augustam uenisset, nullam aliam religionẽ se nouisse affirmauit, præter eam, in qua esset natus, & ad id usq; tempus educatus, atq; sui rationem haberi submisse petiuit, cum oblatione facturum se quantum salua conscientia posset. Dimissus uerò cum per literas, & internũcios acrius urgeretur, ut decretũ ratum haberet, & Ecclesię ministros qui nõ parerẽt, loco remoueret. Ipse datis ad Cæsarem literis, Gallica lingua conscriptis, quid Augustæ sit actum, æstate superiori, paucis repetit. Cumq; domũ reuersus esset, illam decreti partẽ, quæ pertinet ad dies festos, & esum carniũ populo se proposuisse dicit, & obseruari mandasse. Decretũ etiam religionis non semel & diligenter quidem legisse totũ, & fateri multa esse in eo, quæ cũ sua fide per quam salutem expectet æternam, consentiant: multa etiam esse quæ discrepẽt. Veruntamen Ecclesiæ ministris mandasse, ut singula diligenter expendant, sibiq; postea renuntient, quomodo rem institui posse putent. Cũ autẽ uno simul ore cõfirment omnes, non se posse illud pacata cõscientia probare per omnia, nõ sibi fuisse integrũ, illos adigere, ut secus facerent. Episcopos ergo rogasse, ut ipsi rationẽ aliquã inirẽt. Illi uerò quid responderint iã antea se nũtiasse, bona quadã spe futurũ, ut nihil ab se requireret amplius. Nunc

Nunc autem, quoniam apertè tibi uis, inquit, responderi potentissime Cæsar, quæ mea sit sententia dicam. Et primò quidem, quod ad religionem, ad ritus atque cæremonias attinet, quæ nunc annis aliquot per meam ditionem seruantur, equidem sum natus in illis & educatus, ut antehac quoque tibi demonstraui Cæsar, ad hoc usque tempus, nec aliud unquã doctrinæ genus audiui, simul studium & operam aliquam in eo collocaui, & quantum ingenio percipere potui, planè mihi uidetur consentire uerbo Deo. Nam hoc mihi profitendum est quandoquidem interrogor, ne conscientiam ipse meam uulnerem, neue saluti meæ pessimè consulã. Hæc etiam est ratio cur decretum approbare nõ possim alioqui paratissimus, more & exemplo maiorũ, cui causa nihil nõ facere. Tibi uerò Cæsar, qui summus es Magistratus licet in eo statuere, quod uidebitur. Equidẽ non sum is qui possim, aut uelim, aut debeam repugnare. Tuo sit hoc totum in arbitrio. Solum deprecor, ne quid ipse cogar præter animi sententiam facere, nèue populus ditionis etiam. Ad Ecclesiæ ministros quod attinet, proximis literis orabam, ut tuo permissu liceret ijs manere, baptisandi pueros & ægrotos, uisendi causa potissimũ, donec essent eis alij summissi. Verùm si iubes ut ilicò discedant & solùm uertant, non expectatis alijs, & si magno futurum est illud populi cum dolore & detrimento, tamen obtemperabitur. Nam & iam ex ipsis multi abierunt, & in ijs quæ præstari possunt atque debent, omnem obsequentiam tibi præstandam esse scio. Huc Principis Vuolffgangi responsioni licet Carolus non admodum acquiesceret, attamen multi eius animum exacerbantibus, tamẽ Deo Imperatoris consilia, ira moderante, ut, nihil contra Ducem Volffgangum ui & armis, quib. ipse bello Germanico abstinuisset, susciperet, Vuolffgangus quasi sub umbra alarum omnipotentis Dei, in religionis suæ professione, ministris retentis permansit, Imperatori in cæteris debitam obedientiam præstans. In quo ut Caroli Potentissimi Imperatoris moderatio laudanda, qui uictoriam ad pacis constitutionem potius, quàm Volffgangi eiusque subditorum persecutionem dirigere maluerit, sic Principis Vuolffgangi constantia prædicanda, qui etiam iuuenis, quiduis potius subire, quam ab agnita religione, metu uiræ uel amissionis ducatus deficere, ac consilia sua potius mãdato Dei præcipientis, ut Cæsari quæ sunt Cæsaris, Deo uerò quæ sunt Dei, dentur, conformare, quàm conscientiam suam sauciare uoluerit. Achille etiam apud Euripidem in Iphigenia præclarè dicente, obtemperabimus Atridis honesta præcipientibus, si inhonesta præceperint recusabimus obedire. Verùm enimuero, cum hasce difficultates singulari Dei auxilio superasset, ac iam quasi in tranquillo portu, se nauigare existimaret, de repente ea tempora subsecuta fuere, quibus non minus periculi eius ditioni creatum quàm antea. Nam cum Rex Galliæ Henricus secundus, fœdere cum quibusdam Principibus Germaniæ, pro libertate Electoris Saxoniæ, & Landtgrauij Hassiæ facto, post Metim occupatam in Germaniam transijsset, nec ab Argentinensibus, ut sperarat, intromissus cum copijs esset, is in Bipontinum ducatum deflexit, ac per eum Vuteisebitrgum cum copijs contendit. Etsi uerò Rex copijs Bipontem transeuntibus amicitiæ iura Principibus Germaniæ promissa Vuolffgango seruarit, non tantum per Casparem Culingiũ Admiralium Franciæ, ad portam oppidi constitutum, sub pœna mortis, ut exercitus absque maleficio trãsiret interdicens, sed & inde discedẽs Vuolffgãgũ pileo, quẽ in expeditiõe Germanica eò usque gestarat, cũ pugione & gladio ꝓprio donarit, tamẽ quæ solet esse militaris insolentia, subditis in agris maxima detrimẽta illata fuere pecorib. abactis pabulo abducto cõpluri-

1571 pluribusq; in locis quo pecunia extorqueretur, hominibus miserè occisis.
Quæ res ut subditis quærelarum, sic Principi optimo doloris occasionẽ maximam præbuit. Cùm enim sciret, se erga subditos parẽtis animum, affectio-
» nem & uoluntatem gerere debere, quemadmodum Esaiæ uicesimo secun-
» do scriptum est: Erit quasi pater habitantium in Israël, ac nosset Principes se habere debere ad subditos, sicut pastores ad oues, non poterat non incommodis subditorum commoueri, eorumq; calamitate affici. Cæterùm cum originem horum malorum intelligeret, & ipsemet patienter ea tulit, & subditis ne malis peiora fremitu ac indignatione accerserent, sed uoluntati Dei in tolerandis ærumnis obedirent, autor extitit.

Porrò uerò bellorum motibus sopitis atq; post Principes captiuos dimissos pace tam in Ecclesiasticis, quàm politicis negocijs in publicis imperij comitijs, omnium ordinum ac statuum consensu, Augustæ constituta, ipse qui incommoda per superiora bella Ecclesijs suæ ditionis illata, animaduerteret, ad curam religionis & Ecclesiæ ad bonum magistratum pertinere didi-
„ cisset, ex Psalmo secundo, osculamini filium, & rursus uicesimo quarto, attol
„ lite portas Principes uestras, & introibit Rex gloriæ, Esaiæ 49. Reges erunt
„ nutritores Ecclesiæ & reginę nutrices, cumq; hisce dictis illustria exempla
„ præstantissimorũ Regum ac Principum, Dauidis, Assæ, Ezechiæ, Iosaphat, Constantini Magni, Theodosij Caroli Magni, aliorumq; congruere nosset, ad Ecclesiarum suarum abusus corrigẽdos, & discrepãtiam & ἀταξίαν tollendam animum adiecit, atq; ex doctorum & Theologorum consilio, Ecclesiarum suarum Doctoribus, ministris & concionatoribus, summam doctrinæ continentem omnium confessionis Augustanæ articulorum ueram & perspicuam declarationem, ex testimonijs uerbi diuini scriptis, conscribi curauit, cum forma administrationis Ecclesiarum cęremoniarum, seu ordine rituum uel agendorũ in Ecclesijs, quæ ita omnibus probata fuit, ut non tantum multi comites ac ciuitates imperiales postea Euangelij doctrina recepta, secundũ eam Ecclesias suas ordinarint, sed & cum pauculos ante annos Augustiss. Imperator Maximil. secundus dynastis atq; nobilibus archiducatus Austriæ liberã Euangelij doctrinæ in Augustana cõfessione expositæ prædicationem in eorum arcibus, oppidis, & pagis permisisset, hac tamẽ conditione, si de ordine rituum cum uetustissimarum Augustanæ confessioni adiunctarum Ecclesiarum, congruente, antea conuenisset, ipsi uel Vuolfgangi Palatini, uel Argentinensem petiuerint, has alijs omnibus potiores esse censentes. Nec uero solum Ecclesias rectè instituisse, contentus fuit, sed cum Scholas à primis patrum temporibus, Ecclesijs tanquam officinas pietatis, uirtutum & doctrinarum adiunctas semper fuisse sciret, earum constitutionem ac conseruationem subditis iniunxit, & ipse pro uirili ad Ecclesiæ & Reipub. utilitatẽ earum erectioni prospexit, in ducatu Bipontino, Hornbacchiana fundata, ex qua hactenus eius ducatus Ecclesijs, de ministris prospectum fuit. Prouide uerò cum inter cæteras Principum uirtutes, iustitiæ administrationem omniũ maximum esse cognouisset. Nam iustitia Regis, ut Augustinus inquit, pax est populorũ, tutamen patriæ, immunitas plebis, munimentum gentis, gaudium hominum, solatium pauperum, hęreditas filiorum, ideò ne administratione iustitiæ officio suo deesset, operam quoque insignem nauatur, ut iudiciorum abusibus sublatis, ea non tantum sapiẽtibus, sed & bonis, ac integris uiris demãdaretur, eorũq; potestatẽ certis
„ legũ finibus circũscriberet, ac receptis ordinationib. ditionis suæ subijceret
» minimè ignarus dicti Aristotelis in Politicis dicentis: Qui legem iubeat præ-
esse,

se, Deo & legibus imperium tribuere, qui autem hominem iubeat præesse 1571
scilicet iuxta ipsius arbitrium sine lege, eum præficere beluam. Nam cu- "
piditates & iracundia deprauant etiam optimos uiros, Lex autem mens est "
sine cupiditate. Atqui dum Ecclesiæ, & Politiæ rectè in sua ditione insti- "
tuendæ ac Spartæ quam nactus esset, ornandæ studeret, eiusque uirtutum "
celebritas longe lateque diffunderetur, factum est, ut illustrißimus Elector Palatinus Fridericus, cuius antea meminimus, cum iuxta doctrinam Iethronis, sibi de uiro inter omnes sapiente & timente Deum, in quo ueritas esset, & qui odio haberet auaritiam, dispiceret, cui Ambergensem gubernationem in superiori Palatinatu committeret, nullus inter omnes tantæ functioni aptior utiliorque Vuolffgango Principe situisus. Etsi uerò ægré à suis subditis quos sibi commissos norat, auelleretur tamen cùm agnati erga se propensißimi uoluntati multis de causis minimè refragandum esse putaret, quod posceretur fecit, ac uicariatum, (ut uocant) superioris Palatinatus suscepit, inque eo ita se gessit, ut semper admonitionem Pij Regis Iosaphat, ad iudices præ oculis haberet, nimirum uideret quid faceret, nec hominis iudicium se exercere recordaretur, sed domini, & quodcunque iudicaret in se redundaturum uereretur, timor domini cum illo esset, & cum diligentia cuncta faceret. Quare factum est quod Aristoteles scripsit, ut & populus, cum Principem Dei cultorem uideret, ei magis obediret, & Otho Heinricus Palatinus, Friderici successor, nullum in paterno ducatu Neoburgensi potius succedere mallet, quàm Vuolffgangum. Quæ res scilicet controuersiæ non fuerit expers, tandem tamen eo deducta est, ut ducatus Neoburgicus Vuolffgango manserit, donatioque ab agnato Othone Henrico in eum collata, ac literis inuictißimi Caroli V. confirmata, ad filios superstites transierit. Defuncto uerò Othone Henrico cum possessionem ducatus Neoburgici apprehendisset, ad reformandas Ecclesias eius ducatus, Iacobum Andreæ ad se euocauit, cuius consilio, ea suscepit, quæ & ad emendationem Ecclesiarum, & Monasteriorum reformationem facerent. Nam, & ministris Ecclesiæ luculenter prospexit, & Scholam Laugingianam constituit, in qua non tantum doctißimos professores, sed & ultra quadraginta adolescentes suis sumptibus aluit, quorum opera & ad Reipub. & Ecclesiæ administrationem uteretur. Nec pauperes in suo ducatu neglectos, sed piè ac Christianè sustentatos fuisse constat. Ac si præsidum curia, nonnulla sint aliò translata, qui ut Nanziãzenus queritur Briarei manibus rapiunt ex publico, id minimè mirum, cum omnia tempora habeant exempla ueteris dicti ταμίαι λάμιαι. Ecclesijs itaque ducatus Neoburgici atque Scholis non minus piè ac rectè, quàm Bipontini constitutis, subditos in pace atque iustitia summa cum diligentia rexit, eam curam adhibens, ut minimè bellis implicaretur, belli nomen ut tristè auersans pacis autem ut dulce amplectens. Quid etenim melius uel salutarius pace cogitari poßit? Prudentio rectißimè scribente.

Pax plenum uirtutis opus, pax summa laborum
Nil placitum sine pace Deo, non munus ad arem
Cùm cupias offerre probat, si turbida fratrem,
Mens impacati sub pectoris oderit antro
Sydera pace uigent consistunt terrea pace.

Verũ cũ in Gallia, persecutione indies magis magisque in primo bello ciuili adaugescẽte ea ita procederet, ut armis utrinque sumptis Germanorũ auxilia à Condæo expeterẽtur, & ipse per Admiralium ueteris necesßitudinis ergo Bipon-

1571 Biponte contracta, pro auxilijs ferendis sollicitaretur, opem minimè denegandam censuit, cum alijs de causis, tum quod pericula in Gallijs, tandem Germanis, cum ipsis communia futura præsagiret. Vt autem in auxilij periclitantibus ferendi, pollicitatione se facilem præbuit, sic cognita Condæi ex manibus Guisiacorum dimissi liberatione, equitatum quem ducibus Alberto Rosenbergico & Iacobo Schulenburgico pro ipso conscripserat electissimum, non absque insigni detrimento suo dimisit, cuilibet equitum in procinctu iam existenti, menstrui stipendij solutionem numerans. Licet uerò damno hoc accepto à bellis in posterum deterreri potuisset, tamen Serenissimo Imperatori Maximiliano Christianam expeditionem in Hungariam contra Christiani nominis hostes Turcas, unanimi cōsensu Imperij suscipienti, proprijs sumptibus suo equitatu præstò adesse, & conseruationi ueræ religionis ac propugnationi patriæ, uitam impendere maluit, quam honestissimæ patriæque amantissimæ uoluntatis declarandæ occasionem neglexisse uideri. Ac utinam omnes eum, quem ipse tunc temporis ostendit animum habuissent, minimè Christianus orbis cum Augustissimo Imperatore Maximiliano secundo de Zigethi amissione conquereretur. Siquidem cum de eius uehementissima oppugnatione in castris Cæsareis cognitum fuisset, ad eundum obsessis auxilio, paratum fuisse constat. Verùm horum meminisse sufficiat, cum fatales nostræ calamitates uel lachrymis uel querelis reparari nequeant, ac nostra peccata haud dubiè meliores successus non fuerint meriti. Cum uerò post Hungariam expeditionem domi in pace uiuens, sibi mortem cum cæteris hominibus communem esse perpenderet, nihilque ea certius, hora uerò incertius sciret, testamentum condere statuit, in quo non tantum de bonis ac gubernatione ditionis disponeret, sed & fidei suæ confessionem luculentissimè ederet, exemplo Patriarcharum, priorum Regum, aliorumque Sanctorum, in Bibliacis scripturis & historijs Ecclesiasticis celebratorum, qui ante discessum hac mortali uita, eò respexere, ut liberis suis ac posteris certum, firmum, clarum ac inconcussum testimonium, suæ doctrinæ, ac ueram confessionem fidei, tanquam hæreditatem omnium maximam ac præstantissimam in terris post se relinquerent, quò ex ijs posteritati certò liqueret, quàm fidem ac religionem parentes atque maiores ipsorum amplexi fuissent, eorúmque immotis uestigijs tanto melius atque constantius insistere, & non tantum mundanam, sed & spiritualem hæreditatem per filium Dei ex sinu patris prolatam, longéque mundana præstantiorem adire, & apprehensam per gratiam Dei omnipotentis retinere possent, prout id insignia exempla ueteris Testamenti, præsertim Patriarchæ Iacobi & regis Dauidis, & in nouo exemplum unici mediatoris & saluatoris nostri Ihesu Christi, clarè testantur ac probant, & præter ista exempla etiam magnitudo harum rerum id per semetipsam exigit, ut quod pij ac Christiani parentes ante migrationem è terris citra mutationem benè ac piè concluserint & determinarint, id apud filios ac posteros maiorem authoritatem habeat, & in diuturniori memoria conseruetur. Ideo ad religionem quod attinet, hæc eius uoluntas fuit.

QVANDOQVIDEM, ut Christianus & pius princeps, ac in uera & saluifica doctrina Euangelij natus & educatus usque ad istam horam gratia omnipotentis Dei in ipsa permanserit, & mediante diuina gratia in eadem quoque constanter perseuerare cogitet, & æterna atque immortalia multo magis, quàm temporalia atque caduca curanda sint. Adhæc cum exemplo

maiorum

maiorum ad conformem fidei suæ declarationem teneri & obligari se agnoscat; spe indubitata, eam filijs suis charissimis ac posteris, nec non fidelibus suis subditis maximæ consolationi & exemplo similis constantiæ futurum, præsertim cum hisce nouissimis perturbatissimis, tristissimis, & periculosissimis temporibus, multa ac uaria scandala, certamina atque dissidia enata sint, nec exiguus numerus sit eorum, qui ob illa (sine quibus tamen Ecclesia esse nequeat) à uera Prophetica & Apostolica doctrina abhorreant, & uel ea offendantur, uel dubitationum causas de ea arripiant: Ideò principio coram Deo, totóque mundo, uera & incorrupta fide, constanti ore & corde fateri se firmiter credere omnia quæ in sacris scripturis, Propheticis & Apostolicis, reuelata, docta, probata, atque fundata sint, cum uerò, Christiano, ac incorrupto intellectu, & sensu congruente cum sacris literis (uerissima ac unica norma & regula ueritatis) omni modo ac ratione qua Ecclesia tempore Apostolorum, capita Christianæ fidei in symbolo, quod Apostolicum dicitur, comprehenderit, & eadem postea in Symbolis Niceno & Athanasij hactenus diuina gratia in Ecclesijs conseruatis dilucida ac perspicua declaratione, citra additamentum repetita ac renouata sint, ac ipse in ordinatione Ecclesiastica sua iampridem publicata, pro clariori sententiæ suæ demonstratione pro omni dubitatione amouenda, ad Augustanam confessionem exhibitam Carolo quinto Imperatori anno tricesimo, aliósque similes libellos utiles, prouocarit. In qua fide atque doctrina usque ad ultimum uitæ spiritum Deo opitulante perseuerare cogitet, ut & ea super qua pastores atque ministros Ecclesiæ suæ hactenus examinari & recipi uoluerit. Et cum articulus iustificationis coram Deo, fundamentum sit nostræ Christianæ fidei, isque ab antiquo, ut & hodie uarijs modis controuersus & disceptatus fuerit. Similiter quoque de Cœna Domini ac Saluatoris nostri Ihesu Christi uariæ disputationes ac dissensiones inter discrepantes opiniones hoc tempore inciderint, per quas etiam rectè credentes simplices, & ut scriptura loquitur, electi seduci, uel in dubitationes atque errores pertrahi possint. Ideò se in hisce duobus articulis, in specie confessionem fidei, in sua ordinatione Ecclesiastica luculenter comprehensam sub titulo de Remissione peccatorum, & quomodo homo corã Deo iustificetur propter meritũ Ihesu Christi per fidem, & sub titulo de Cœna Domini, & sub altero incipiẽte ordinatio Cœnę Saluatoris nostri Ihesu Christi repetere, minimè in dubium reuocando, prædictam declarationem esse ipsissimam atque uerissimã ueritatem diuinam, in qua sui liberi ac posteri (quos ut id faciant hoc ipso admonitos uelit, atque in posterum cohortari cogitet, institutionem paternam atque maternam urgendo) constanter permansuri, nec uel per portas inferi, uel rationem humanam, quæ in rebus diuinis captiuanda sit, & fiduciæ & institutionis paternæ causa, minimè abduci se passuri sint. Seque ex imo pectore æterno ac misericordi Deo patri, filio, & spiritui Sancto pro summo ac ineffabili beneficio perpetuas ac immortales gratias agere, quod se creaturam ipsius per miserabilem lapsum primorum parentum, ut & omnes homines ex ijs natos, atque in æternum exitium præcipitatos, uera agnitione suæ maiestatis, & salutifici uerbi clementer illuminarit, & per partã gratiam unici mediatoris & redemptoris nostri, cœlestium bonorum suorum, absque ullo merito suo capacem atque participem reddiderit, & in tali confessione, ex singulari misericordia cõseruarit ac cõfirmarit, & maximè, quod eo usque sibi uitam prorogarit, quoad ditionẽ sibi diuinitus concessam in simili fide ac confessione uiderit, gratiarum actione sui & posterorum nomine

adiuncta,

1571 adiuncta, pro omnibus temporalibus beneficijs, donis, bonis ac prosperis, quibus affectus atque cumulatus fuerit. Cumque Christus unicus noster mediator atque Saluator in suo sacrosancto Euangelio in multis locis omnibus suis fidelibus seuerè ac strictè præceperit, eiusque in Dominica oratione quotidie commonefiamus, ut ex toto corde alter alteri delicta mutua ignoscat, Deo etiam nobis peccata nostra tunc condonaturo. Ideò ad exonerandam conscientiam se ignoscere omnibus tàm uiuentibus, quàm mortuis, singulis & uniuersis, à quibus offensus ac læsus fuerit, uel dictò uel facto, uel quacunque ratione, id in tanta imbecillitate humanæ naturæ fieri potuerit, quò omnipotens, misericors, atque æternus Deus peccata, quæ uel scienter uel ignoranter commiserit, iuxta promissionem eius, propter passionem ac mortem Ihesu Christi, qua is pro peccatis totius humani generis ex diuino atque mirabili consilio satisfacere uoluerit, sibi quoque ex misericordia & mera gratia condonare atque remittere dignetur, cum petitione ac piò desyderio, si toto uitæ suæ tempore quocunque modo præter magistratus officium sibi diuinitus commissum quem offenderit uel læserit, cuiuscunque conditionis uel status, humilis aut superioris hominem, is similiter sibi id propter Deum, ut Christiana charitas exigat, ignoscat, atque condonet. Se quoque omnem offensionem ac indignationem, si quam concepetit penitus remittere unicuique, atque mandare filijs suis dilectis, ac coniugi amantissimæ, ut itidem faciant, nec erga quenquam eorum memores sint. Hac ergo confessione ac declaratione ueræ pœnitentiæ ac contritionis, super peccatis suis præuia, in quibus tamen minimè meritum suæ salutis collocet atque reponat, solummodo omni fiducia in gratiam per Christum Ihesum Saluatorem nostrum partam recumbens. Commendare se animâ ex mortali corpore migrantē, iam, & quolibet tēpore, sanctæ ac indiuiduæ Trinitati Deo patri, Deo filio mediatori ac redēptori, Deo spiritui Sācto, qui quoad in terris fuerit, rationē sui habuerit, se cōsulatus fuerit cōfirmarit ac sustētarit, & indies omnia eadē adhuc pręstet, summo cum desyderio & attentissima religione cordis sui eum precando, ut altissimus, omnipotens, æternus, benignus atque misericors Deus, qui ipsemet dixerit: VIVO EGO, NOLO MORTEM PECCATORIS, SED VT CONVERTATVR AC VIVAT, sui misereatur, ac propter filium suum dilectum, quem ex ineffabili immensaque bonitate, unicum ac certissimum mediatorem & redemptorem constituerit, peccata quocunque nomine illa appellentur, sibi benignè remittat, se in gratiam recipiat, exaudiat & ab æterna morte liberet, similiterque ut idem saluator atque redemptor noster ab æternitate, à patre ex singulari dilectione, mirabili ac imperuestigabili diuino consilio progressus, misericordia gratiosa, iustificante ac consolatrice manu sibi adsit, ueram fiduciam erga Deum confirmet, adaugeat atque amplificet & sibi cum diuinæ uoluntati ipsius placuerit, Christianum, bonum sanumque exitum ex hac uita concedat, & tanquam perditam, attamen à se rursus in ouile reductam ouem, cōtra Diabolum, mortem, infernum, eiusque portas tueatur, & tādem per suam passionem & merita, suam animam ex corpore terreno migrantem in cœlestia atque perpetua gaudia, regna sui patris omnibus Christi fidelibus parta atque parata ducat, ferat, atque recipiat, prout ex corde credat ipsum iuxta promissionem eius certissimè facturum esse, cui utpote diuinæ ac immutabili promissioni innitatur, nec de ea ulla ratione dubitet. Induxisse quoque se in animum, assistente diuina gratia, huic ueræ confessioni inhærere, & in omnibus quæ in ea contineantur constanter perseuerare, ac reliquum uitæ

tempus

tempus in ijs transigere, nec passurum se ab ijs tanquam uerissimo fundamento, cui meritò inniti debeat, abduci in dubium non reuocando, Christum Iesum redemptorem & mediatorem nostrum ex gratia & misericordia sua se in his protecturum ac conseruaturum contra mortem, diabolum, propriam carnem, & omnia quæ inter cœlum & terram ijs aduersari queant, & sibi iuxta promissiones suas minimè fallaces, in ultima hora mortis adfuturum, quo per mortem ad uitam transire & cum omnibus Christi fidelibus cœlestis gaudij particeps fieri possit. Et si (quòd tamen misericors atque fidelis Deus, qui neminem ultra uires tentari patiatur, ad gloriam suam clementer auertere dignetur) fortè uel in nouissima hora mortis uel ante eam ex imbecillitate humana, tentationibus, afflictione, terrore mortis, aut ex alijs casibus qui sibi uel in corpore uel animo accidere possint, huic confessioni contrarium quid dixerit, fecerit, aut gestibus ostenderit. Se testari hoc eulogio (quod sano corpore atque iudicio sibi permissum sit facere) quod contra hanc confessionem ultimo suo eulogio insertam, nihil facere cogitet, sed eam, non ex capite suo, uel ullius alterius hominis, uerum ex uerbo Dei, & uera doctrina Ecclesiarum, quę super eo fundatæ sunt, conceptam & haustam, mentem suam firmam, indubitatam ac immutabilem esse, in qua in perpetuum permanere uelit ac debeat, & à qua recedere ipsum non deceat. Et si quid ei contrarium fiat, aut in eam partem accipi possit, id se pro tunc, & tunc ut pro nunc iuxta præceptum diuinum, cui id aduersetur expressè & manifestè reuocatum uelle Deum patrem omnis gratiæ & misericordiæ ad extremum ardentibus uotis per filium suum unigenitum mediatorem nostrum suppliciter rogando ut quod in se inceperit, id Spiritu sancto suo confirmet, atq; gratia sua sibi præluceat, ne lumen doctrinæ cœlestis quod in se & omnibus Christi fidelibus accenderit extinguatur, sed perpetuo conseruetur. Ex qua confessione Principis luculenter perspicitur, non solum quam Christianis cogitationibus mens ipsius paucis ante mortem annis, & antequam expeditionem Gallicanam susciperet occupata fuerit ex peculiari Dei gratia atq; instinctu Spiritus sancti, mortem suam præ foribus esse uidentis, sed & quanta cura ueræ atq; synceræ religionis ad posteritatem trāsmittendæ, flagrarit, liberos ac posteros ad similem confessionem, cohortando ut pios Reges fecisse constat. Nam ne Dauidis exemplum commemoremus, qui ex hac uita migraturus, filio Salomoni Ecclesiæ defensionem ac cultum Dei his uerbis commendat: Ecce ego ingredior uiam uniuersæ terræ, confor- «
tare, & esto uir fortis, & obserua, ut custodias mandata Domini Dei tui, ut am- «
bules in uijs eius & custodias cæremonias eius, & præcepta eius, & iudicia, & «
testimonia sicut scriptum est in lege Moysis Reg. 3. cap. 2. Quàm præclarum «
exemplum huius rei suppeditat, Theodosius, laudatissimus Imperator, qui moriturus uocauit ad se filios Arcadium & Honorium, & regnis inter ipsos diuisis, postea utrunque admonuit, ut pietatem & diuinam doctrinam tueri & propagare studerent. Hac enim inquiens & pax conseruatur & bella conficiuntur & hostes uertuntur in fugam, & trophæa statuuntur & parantur uictoriæ. Vt autem Principis Vuolffgangi in uera atq; syncera religione colenda & confitenda studium eximium ex hisce liquidò perspicitur; sic quæcunq; ad ministerij Ecclesiastici conseruationem & religionis propagationem facerent, diligentissimè curauit. Nam cum DOMINVS ordinarit, ut hi qui Euangelium annunciant, de Euangelio uiuant, & idcirco Paulus ad Galatas grauissimè præcipiat ut qui Catechizatur, communicet ei, qui se Catechizat in omnibus bonis; ipse ministris Ecclesiæ necessaria stipendia liberaliter constituit, &

Anno 1571. ne ægerent, diligentissimè prospexit. Ac quo ministerium autoritate muniret
ministros ac concionatores rectè docentes atque uiuentes, in summo honore ha
buit, eos, quod plærunque ab alijs fieri consueuit, minimè contemnens, uel ob
importunas admonitiones, aut increpationes auersans, sed functionis ipsorũ
longè grauissimæ atque difficillimæ magnitudine agnita, eos ut Christi legatos
reuerens, ac sæpius cum se uoce ministrorum quasi tactum deprehenderet, di-
» ctum Apostoli ad Thessalonicenses allegans: Eos qui præsunt diligite excel-
» lenter, propter ministerium eorum, ut cum gaudio & non gementes suo mu-
» nere fungi possint. Et tantum abest, ut reprehensionibus acrioribus ab audi-
endis concionibus, quæ consuetis diebus haberentur alienaretur, uel retarda-
retur, uel ipse in Ecclesiasticæ functionis munus contra mandatum Dei irrum
pens, ministris modum concionandi præscribendum existimaret, ut etiam in
grauissimis deliberationibus ac negotiorum tractationibus, signo concionis
edito, diuini uerbi auditionem omnibus mundanis negotijs præponens, con-
siliarios se ad conciones audiendas subsequi iuberet, hoc ipso non solum stu-
dium pietatis pro se ostendens, sed & exemplo suo ad uerum Dei & sacrorum
cultum, subditos inuitãs. Verissimè etenim Chrysostomus scripsit, oculos sub-
ditorum omnium in Principum mores conuersos esse, ad quos tanquam Ar-
chetypum suos effingant. Neque uerò solum ipse ad ueræ religionis curam sin-
gulari studio ferebatur, sed & cum iuxta doctrinam Pauli, summum parẽtum
officium esse sciret, ut liberos uerbo Dei institueret atque doceret, quomodo De
um uerè colerent, nullumque luculentius uel amplius patrimonium ipsis relin-
qui posse censeret, nihil quod ad bonam, piam, atque laudabilem institutionem
eorum pertineret, prætermisit, ijs præceptores præficiens, qui eos tam in reli-
gione quam literis rectè informare, & ad omnes uirtutes Principibus Christia
nis dignas assuefacere nossent, ipsemet exemplo suo eos ad religionis studiũ,
ueritatis confessionem, ac ministerij Ecclesiastici obseruantiã excitans, ac sum-
mopere cauens, ne aut uerbis aut factis, aut gestu denique ipsis malum exem-
plum præberet, minimè ignarus, quam facilè tenera ætas, etiam in his rebus
quas parentes non attendunt, corrumperetur. Verissimum enim, id est, at-
que manebit, quod Satyricus scribit: Velocius & citius nos corrumpunt uitio-
rum exempla domestica, magnis cum subeunt animos autoribus. Hac solli-
citudine de recta filiorum institutione non minorem pro subditorum liberis
gessit, quo & ipsi uera Dei agnitione, & artibus Ecclesiæ & Reipub. utilibus
imbuerentur, uerbo Dei edoctus, Magistratum non tantum esse custodem cor
poris ut armentarium, cui tantum alimentorum cura, & ne alter alterum læ-
dat, commissa sit, iuxta secundam tabulam, sed & principaliter ad officium
eius pertinere, ut, quod Esaias dicit, sit Ecclesiæ nutritor, eique hospitia præbe-
at, eam colligat atque ædificet: ac gloriæ Dei seruat propagatione doctrinæ cœ-
lestis, quemadmodum Psalmo 102. scriptum est. In conueniendo populos in
unum, & Reges ut seruant Deo. Quare in ducatu Bipontino Scholam Horn-
bachianam, in Neoburgico Laugingianam piorum Regum exemplo fun-
dauit, in que ijs, ut diximus, tenuiores suis sumptibus fouit & bonis artibus e-
rudiri curauit. In reliquis quoque erga subditos talem se exhibens, ut licet
delicta seu rè puniret, ob humanitatem & benignitatem tamen amari mere-
retur. Adeò enim accessu comis atque affabilis erat, ut neminem quamuis infi-
mum à colloquio rejceret. Et si interdum offenderetur uindictæ cupiditate,
atque iracundia repressa, benignè offensiones condonabat, iræ minimè tenax,
sed æque placabilis, atque ad eam procliuus, exemplo heroicarum naturarum,
quæ

quæ quò præstantiores, generosiores, Deiq; similiores, eò sunt mitiores & placabiliores. Cumq; aliorum Principũ de securitate ferarũ edictorum transgresiones à quibusdam seuerius, quàm uel æquitas, uel humanitas, uel diuturnitas imperij ferret, non tantum pœnis pecuniarijs, tormentis, ac quæstionibus puniri, sed etiam ius saltuarium pro libidine multorum usq; ad extremum supplicium extendi pessimo exemplo cognouisset, ipse, qui feras à parente & rerum omnium autore Deo in promiscuo usu rerum relictas ex sacris literis didicisset, & eiusmodi ius magis ex Leguleiorum quorundã, procerum cupiditati subscribentium, quàm miserè plebeculæ commoda cõsyderantium sententia atq; consilio promanasse intellexisset, ita eiua asperitatẽ moderatus est, ut neminem nisi peccandi licentiæ assuetum unquã mulctarit, & à reliquis asperioribus pœnis corporis semper sibi temperarit, memor Harmoniæ de qua Salomon præcipit Ecclesiast. 7. Ne sis nimium iustus & & ne sis nimium impius, hoc est, nimium indulgens. Quia nimia iustitiæ seueritas in Tyrannidem transit, quam desolatio sequitur, sic nimia indulgentia seu lenitas impietatis omniumq; scelerum fomes esse consueuit. Et hæc de ratione ipsius in gubernandis subditis dixisse sufficiat. Erga uicinos in pace atq; concordia cõseruanda qualis fuerit, prolixius dici minimè necesse est. Etsi enim ut Satyricus scripsit:

Inter finitimos uetus atq; antiqua simultas
Immortale odium & nunquam sanabile uulnus.

Tamen ne inuocationem incensis odijs turbaret, sed & conscientiæ & communi tranquillitati Reip. parceret, & priuatæ quieti consuleret, sæpè de iure suo cesit, controuersiarum definitionem, aut bonorum uirorum arbitrio; aut ordinariorum iudiciorum determinationi permittens. Ex quo factũ est, ut bellorum occasionem, toto gubernationis suæ tempore alijs præscinderet, & subditos in pace conseruaret, non iracundia uel priuato dolore arma capienda esse dictitans, sed necessariæ defensionis causa ac priuatos dolores publicæ utilitati condonandos statuens. In coniugali cõcordia alenda ac cõseruanda studium eius notissimum est. Nam cum uxore cõcordissimè uixit, omni officiorum genere eam demulcens, incommoda matrimonij si quæ inciderent, patienter ferens, ac infirmitates sexus muliebris æquo animo dissimulans, thori matrimonialis iura sanctissimè seruans, atq; uxoris & liberorum curam habens, & hoc ipso pietatis amorem declarans: Nam quo quisq; pietatis amantior, hoc est, φιλοστοργότερος erga uxorem ac prolem. Alias optimi Principis uirtutes uel dotes in præsentia cõmemorare minimè nostri est instituti. Veruntamen φιλοπονία ipsius in rebus agendis & eloquentia in negotijs explicandis, minimè silentio prætereunda esse uidetur, quarũ illa tãta erat, ut in meditatione eorum quæ uel alijs Principibus rescribenda uel subditis respondenda essent plus operæ studijq; poneret, quàm nullus fere suorum consiliariorum idq; ut fieret noctes diebus continuaret. Eloquentia uerò tanta erat, ut nulli Germaniæ Principum cesserit, ac nisi tam illustri loco natus fuisset, Cancellarij munus, inferiore loco constitutus insigni cum laude obire potuisset. Tantis uirtutibus animiq; dotibus ornatus cum esset, ac summa cum laude pietatis atq; iustitiæ multos annos gubernasset subditis charus, alijsq; Principibus gratus, tandem in tristissimum ac funestissimum ciuile bellum Gallicum tertium, non tam bellandi cupiditate quã studio afflictis in Gallia succurrendi, pertractus est. Nam cum statim post excessum illustrissimi Principis Iohannis Casimiri Comitis Palatini Rheni ex Gallijs pacificationis eius interuentu constitutæ leges uiolarentur, ac Rex Na-

1571 uarræ, & Condensis in tam difficili tēpore Vuolffgangi opem atq; auxiliū
implorarent, hic qui sæuitiā, quæ passim exercercetur, nō intra Galliæ fines
saltem substiturā, sed & successu temporis ad finitimas regiones progressurā
præuideret, homines, quorum causam ab initio, ut diximus, probarat, in an-
gustijs uersantes minimè deserendos esse duxit, maximè alijs causis acceden
tibus, quas superiùs exposuimus, licet qui id bellum ei dissuaderent nō per-
pauci essent. Etsi uerò belli suscepti euentus, magis aliorū dehortationibus
ac prædictionib. quā cōsilijs ipsius responderit, tamē eius uoluntas própte-
rea minimè, uel culpāda, uel exagitanda uidetur. Nā sæpius sapiētissimos in
consilijs suis falsos, & historiarū, & experiētię exempla testantur, ita ut inde
hæc dicta nata sint: OPTIMIE' COGITATA SAEPE' PESSIME' CADVNT.
& ἁμαρτάνει καὶ σόφυ σοφώτερος, id est, errat etiam is qui sapiente sapientior est,
iuxta Aeschyli sententiā. Nec horum dictorum ueritatē Ethnicis exemplis
Periclis, Themistoclis, Alcibiadis, Demosthenis, Pōpeij, Ciceronis, & mul-
torum similium confirmati opus est, qui cum sibi persuaderēt, quòd optimè
Rebus pub. cōsulerent magnis & se malis, & Respub. perniciosis bellis, peri
culosisq; mutationibus implicuerunt. Quanti errores pientissimorū Regū
ac prudentissimorū gubernatorū in sacris literis nobis ꝓponuntur? Nam ut
Ezechiæ Regis sanctissimi exemplum prætereā uchementer errantis ac De-
um offendentis thesauros suos legatis Babylonijs ostendendo. Iosias, cui si-
milis pietate post Dauidē nullus uixit, quā stultè egit, Nechao Regi Aegy-
prio bene monenti, bellum minimè necessarium cupiditate & cæca spe infe-
rens? Iosaphat facto fœdere cū impio Rege Achab, ob auxilium latum, quā
grauiter à Propheta Iehu obiurgatur? Machabęi pietate, fiducia in Deū, ani-
miq; magnitudine & prudentia paucis inter clarissimos Ducibus cessere,
nihilominus uerò in suis consilijs eos grauiter hallucinatos fuisse uidemus.
Quàm enormiter enim lapsus est egregius ille Heros Iudas, cū post præcla-
rissimas uictorias exitiale sibi suiq; populo fœdus cū Romanis inijt? Nec er-
ratis caruere Simonis prudentissimi & Ionathę fortissimi uiri actiones, quo-
rum ille sub specie amicitiæ à Ptolomæo Hierichuntis pręfecto ad conuiuiū
inuitatus, cum uxore & duobus filijs Matathia & Iuda nefariè occiditur, hic
uerò cū sibi fraudulenter sub simulatione amicitiæ persuaderi ab hoste Try-
phone passus fuisset, ut exercitum quadraginta milliū dimitteret, secūq; Pto
lemaida ueniret, ab homine perfidissimo cōprehensus, cum omnibus socijs
æquè ut frater crudeliter interimitur, magno Israhelitici populi luctu, neu-
tro memore Epicharmi istius dicti μέμνασο ἀπιστεῖν ταῦτα γὰρ ἄρθρα φρενῶν. Cū
ergo mens humana multo imbecillior, maioribusq; tenebris obducta sit,
quā ut omnes casus qui in reb. humanis multiplices, uarij, & perplexi sunt,
prospicere, & rerum euentus, qui à solo Deo dependent, regere possit, sicut
Sapient. 9. Salomon dicit: Quis poterit scire, quid uelit Deus? Ideò Deum
rogemus, ut ad suam uoluntatē nostra cōsilia dirigat, eiusq; cognitio, fides,
& timor, nostris actionibus, tanquam rectrix pręluceat, ut Dauid inquit: Te-
stimonia tua sunt consiliarij mei, & Philosophus benè dixit: NVLLA EST
FOELIX GVBERNATIO SINE DEO. Verū de hisce satis. Cū ergo Vuolff-
gangus suæ sententiæ de non deserendis afflictis in Gallijs insistens, cōpara-
tis quanta potuit fieri celeritate, rebus ad expeditionem necessarijs, cum e-
quitum millibus septem quingentis & nonaginta sex, peditum millibus to-
tidem, septingentis & quadraginta sex, in Burgundiam peruenisset, in tran-
situ Diuionensis urbis apostemate in crure enato, initio malè habere cœpit,
ac ei, ob curas, uigilias, & nimis uehementem corporis agitationem, febri

causo-

causonica, ut uocāt octauō Iun. accedēte, ipse sacrosancta cœna Dominica, iuxta institutionē Christi tanquā salubertimo uiatico ad uitæ æternæ migrationē nono die Nessunij sumpta, die 11. Iunij, hora 7. pomeridiana ibidem inter manus comitis Ludouici Nassauiensis in uera Dei inuocatione spiritum quem à Deo acceperat eidē reddidit. Admiralio sequenti die ad ipsum inuisendū aduentāte, atq; corpus exenteratū balsamo q; conditū, cuius intestina in tēplo Nessunensi recōdita fuere, Engulemium trāsferri curante, id & Gallis & Germanis comitantib. Repositum uerò isthuc, quā diu illic māserit, & qua ratione translatū sit, cum antea exposuerimus, denuo repeti necesse non est, hoc saltem ijs addimus, obitū eius, ut multis luctui, sic aduersarijs eius gaudio fuisse. Cadauere uerò Meisenheimiū trāslato, particula testamēti quā antea retulimus, cum illic, tum in omnib. utriusq; ducatus templis, populo prælecta fuit, atq; ut in fide ac religione percepta, exemplo Principis psisteret, cōmonefactus. Atq; ita Vuolffgāgus Princeps optimus sano ac prudēti consilio filiorū munumēto auito illatus, quiescit, expectās gloriosam resurrectionem, cū omnibus Christi fidelibus. Vxorē habuit, ut antea diximus, Annam Philippi Landtgrauij Hassiæ & Christinæ Georgij Ducis Saxoniæ filiæ, filiā, ex qua post se reliquit, liberos superstites, filios quinq;, Philippū Ludouicū, Iohannē, Otthonē Henrichū Fridericū, & Carolum, Filias totidem, Christinam, Annam, Elizabetham, Barbarā, Mariā, Elizabetham, quæ soboles ipsius ut prosperetur, fecundetur, augeatur, atq; honorificetur, faxit Christus, eāq; in uestigijs parētis cōseruet. Vixit Vuolffgāgus annos circiter quadraginta tres, omnium piorū iudicio longiore uita dignissimus. 1571

Vicesimo nono Septēb. qui iacer erat Diuo Michaëli, Solis aspectus per tótā ferè Germaniā ualdè tristis, rubicundus, & ueluti sanguinolentus fuit. Eodem uerò die Moschouitā inaudita Tyrānide in Riualienses Liuonicos, quos per aliquot menses obsederat sæuijsse proditum est, & agitata inter confœderatos consilia, de Turcica classe inuadenda, ut iam dicemus.

Septimo Octob. qui erat diuæ Iustinæ sacer pugna naualis inter Christianā & Turcicā classem cōmittitur, in qua admirabili diuini numinis potētia Christiani tantam uictoriā retulēre, quanta uix pōst hominū memoria ulla cōtra barbaros Christianis concessa legitur. Etsi uerò rei gestæ series à quāplurimis luculenter atq; prolixè descripta extet, breuiter tamen eam & nos quoq; hic prosequemur, ut & immortalis ac præpotētis Dei, huius tāti boni, ut & aliorum omniū bonorum autoris beneficiū agnoscamus, & fortissimis ac clarissimis uiris, q periculum à nobis omnib. uitæ suæ periculo depulerūt, & qui barbaris in nos irruentibus iter corporibus suis occluserūt, pestemq; ac perniciē quam illi Christianis machinabātur, in ipsorū capita conuerterūt, debitus honos pro noua ipsorum uirtute tribuatur. Cum itaq; Sultanus Selymus, bello Venetis indicto, nō tantū Nicosiam ac Famagustā, quam ueteres Salamin dixēre, ui expugnasset, ut superiùs exposuimus, sed & expugnatione florentissimæ insulæ elatus, suburbijs Zazynthi & Cephaleniæ incensis, & afflicta omni genere excursionis Dalmatia, Corcyraq; deuastatæ, ita omnia incendijs sanguine & captiuitate hominū infestaret ut nihil à Venetijs ultra sex milliaria Germanica tutū esset, & multi Turcarū classem singulis momentis aduentantem expauescerent, indiesq; clasis hostilis cresceret. Veneti qui de tuendo suo dominio ac repellenda Tyrānide Turcica solliciti, Pontificē Maximū, Hispaniarū Regem Philippū, regulosq; Italiæ præcipuos, ac Melitēses equites in belli societatē pertraxissent, omnibus modis uti cōfligeretur sollicitare non destiterunt, cū tempore Turcicæ potētiæ dato, quo ea processura esset,

1571 prudentissimo presagio præuiderent. Erat uerò eo tempore Christiani fœderis classis Mesinæ urbe Siciliæ, Papæ triremes duodecim, Regis Hispaniarum octoginta, naues uiginti duæ, Reipub. Venetæ centum & octo, naues duæ, Triremes maiores, quas Galeazas uocant, sex computatis unà cum Hispanis quatuor Melitensibus, itidem Florentinis, Sabaudis, & Genuensibus triremibus. Cùm uerò Christiana classis illic subsisteret in magno metu: maiore uerò spe, factum est concilium militare inter proceres, cui præter tres Imperatores Iohannem Austriacum Generalem ut uocant, Marcum Antonium Columnam & Sebastianum Venerium Venetum præfectum, interuenere commendator Maior Castiliæ Ascanius Cornia, Andreas Auria, Augustinus Barbarigus, Marcus Quirinus, Antonius Canalis Veneti, & Secretarius Reipub. eiusdem. Interdum etiam Principes Vrbini & Parmensis, Paulus Iordanes, Vrsinus, Marchio S. Crucis & alij complures. In quo concilio licet multis ultrò citroq; disputatis, nihil conclusum fuerit, fundamenta tamen earum actionum, quæ postea subsecutæ, autore Ascanio Cornia iacta fuere. Is enim cum usu rei militaris ualeret, & proximis annis Melitæ à Turcis obsessæ egregiè succurrisset, deliberatione an ne de rerum summa dimicandum nec ne: proposita, ita dixit.

SERENISSIMI DOMINI MEI, Existimo, Imperatorem solum in tribus casibus fugere, & detrectare debere dimicationem. Primò cum damnum occubentis exercitus superat beneficium à uictoria expectandum. Exemplum est cū Dux Guisianus oppugnaturus Neapolitanum regnum aderat, imprudenter factum fuisset ab Albano Duce, confligere si tentasset: ille enim solummodo copias amittere poterat, nos unà cum his florentissimum regnum. Item si longo tempore copiæ hostiles durare nequeant, qua de causa pater tuæ celsitudinis felicis memoriæ in bello protestantium ad Ingelstadium noluit concurrere, incitantibus multis: ultimo cum impar esset prælium, superioribus nimirum aduersarijs. Sed nos nisi confligamus, indies pulcherrimarum regionum raptationem & amissionem sperare debemus, Turca & durare potest, & nos uti possimus metuo uehementer. Et quanquā si succumbimus, admodū debilitemur, uti prudentissimè qui ante me dixerunt allegant, quibus etiam dono, Hispanos & Italos quos habemus maiori ex parte non esse ueteranos, & Germanos in mari inhabiles: tamen nec illorum sunt ueterani omnes, nec plures, nec illorum triremes cum Venetis, nec præsides triremium cum ijsdem, qui plurima fœlicissimè in mari confecerunt. Quare fortunam quæ in omni re plurimum ualet, & auxilium Dei periclitandum censeo. Ideoq; omnia ordine & rectè prouideamus, ne in facto consilium capere cogamur & nostræ perturbationis origo & fons ipsimet simus. Hæc est mea opinio, saluo meliori iudicio eorum qui melius me sciunt. Itum est in illam sententiā domino Odescalco legato Pontificis Romani eam approbante, & Venetis uti necessariam summis laudibus prosequētibus. Ergo omnia quæ ad præliū spectare uiderentur præparata. Et leges re ad certamen cum hoste ueniente hæ præscriptæ fuere. Acies dextra quinquaginta tres triremes habeto, Doria eius præfectus esto, ac pro symbolo militari uiride uexillum gestato.

Media acies sexaginta sex triremibus constato, Duce Iohanne Austriaco, cum uexillo asturei coloris, cornu dextri quinquaginta quinq; triremes continentis Augustinus Barbarigus Venetus præfectus esto.

Hæ acies eodem ordine procedunto, eosq; subsequitor Marchio S. Crucis albo uexillo triginta triremibus.

Iohan-

Iohannes de Cardona octo triremibus circiter uiginti uel triginta millia- 1571
ria ad explorandam hostium classem praecedito.

Tam duces quàm milites in hac classe Christianam uitam degūto, spe atq; fiducia, ut cū pro gloria Christi pugnēt, Deum Opt. Max. eos minime deserturum, sed pugnantibus uires certamq; uictoriam, occumbentibus Paradisum atq; æterna gaudia, superstitibus immortalem gloriam largiturum.

Capitanei classis summa diligentia prouidento, ut tam arcte triremes iungantur, ne hostium impresioni aditus pateat.

Quælibet triremis ad prælium instructa esto & catascopia quæ fregatæ uocantur, ad earum inspectationem disponuntor.

Inter acies ac cornua tantum spatij relinquitor ut tribus uel quatuor triremibus accessus pateat.

Classem, sex maiores triremes uel Galeazzæa quidem unamquanq; acierum binæ, præcedunto, ita ut mediam aciem circumdare queant.

Franciscus Duoda Capitaneus maiorum triremium eas ita regito, ne in hostium aciem irrumpant, sed semper ante aciem eiaculatione tormentorum, hoste offendendo occupentur.

Ad eiaculationem tormentorū quod attinet quilibet capitaneus prospicito, ne ea displodantur, nisi magno cum hostium damno atq; incōmodo, semper q; duo ictus usq; ad inuasionem triremium hostium asseruantor.

Marchio S. Crucis ad subsidia laborantibus ferenda destinatus ijs qui ope omnium maximè indigere uidebuntur pro sua prudentia succurrito.

In hac classe celoces seu fregatæ quadraginta armatæ militibus sunto, inter quos in unaquaq; ad minus decem sclopetarij erūt, qui hostium nauigia minora aggrediantur, nisi aliud ipsis mandabitur.

Hisce ita conclusis atq; decretis 16. Septemb. Messina discedunt, atq; Corcyram uelificātes, ex relatione Catascopij Gildandradæ cōmendatoris missi ad explorādum ubi hostis subsisteret cognoscūt, hūc in portu Lepanti olim Naupacti dicti, se cōtinere. Quo Austriades cognito 28. Septemb. cōcilium conuocat, & nūquid hostis insequēdus sit, deliberat. Ibi uerò maior pars, maximè uerò Doria grauissimis de causis statuit, ab insectatione desistendū ob incōmodum anni tempus, quod classis Christiana tēpestate facili momento dissipari queat, & eundem nauigatio quē anno superiori euentū sortiatur, tempestatumq; ui in extremū periculū conijciatur, & quod Turca in locis finitimis subsidia maxima habeat, portum Naupacti in quo non facile offendi queat occupet, ac cōmemorato præter hæc infortunio quod Christiani Garbis & Algiri perpessi fuissent, e re censet, uel Margaritini uel Soppotā, uel Nouū Castellum simul uel separatim obsidere. Aliaq; multa his addita ferūtur in eādem sententiā, quæ omnia cōmemorare nimis longū foret. His Sebastianus Venerius classi Venetę prȩfectus omnino cōtrarius fuit, multisq; precibus & obtestationibus adhibitis Iohanni Austriaco auctor fuit, ne prȩclaram adeò rei bene gerendæ occasionē diuinitus oblatā è manibus dimitteret, aut tam instructa classe, tam paratis militū animis cū hoste cōgredi dubitaret, qui ita uicinus esset, ut paucorū dierū nauigatione sine periculo ad eum perueniri posit, haud quaquā uerò ita cōparatus, ut metum coniunctis propè atq; unitis Christianorum uiribus incutere debeat. De oppidis & castellis quibusdam expugnandis quod dicatur, neq; operæ prȩtium, neque rem tanta classe satis dignam uideri, haud ista leuia curanda, sed ea ante omnia aggredienda quibus totius belli summa uertatur. Ab hac sententia nequaquam abhorrens Austriacus, ne quid tamen iuuenili temeritate præci-

1571 pitare uideretur, amplius ſe deliberaturum, & ſequenti die reſponſurum dixit. Cuius prima luce, cum ad eum Venerius rediſſet, & in eandem ſententiam qua priore die uerba facere cœpiſſet, finire eum Auſtriacus paſſus nõ eſt, ſed paratum ſe eſſe interlocutus eſt omnia tentare & facere, quo prælij cũ hoſte committendi poteſtas fiat, neq; dubitare, quin hoc conſiliũ à Deo ipſo inſpiratum ſalutare, & ipſis & uniuerſo orbi Chriſtiano futurum ſit. Iuſsit igitur, ut in proximam diem ad nauigationem parata eſſent omnia, ea triceſima Septemb. fuit, qua cum è Corcyra claſsis diſceſsiſſet, quinq; dierũ ſpatio prouecta circa Lepantũ cõſtitit, ubi cũ biduũ ferè aduerſis uẽtis cõflictaretur, de reditu agi cœptum fuit. Sed Auguſtinus proximus Barbarigus, à præfecto claſsi Venetæ (illi prouiditorem uocant) Auſtriaco multis rationibus perſuaſiſſe dicitur, ut manere, & mox ad futurã pugnandi occaſionẽ expectare uellet. Hanc optatã adeò ſeptima Octob. dies ſecum attulit. Curzolim iuxta, qui locus inter Zazynthũ & Lepantũ in Ionio mari eſt, cõſiſtebat claſsis Turcica. Inter eius quoq; Principes cognito Chriſtianorum aduẽtu orta diſputatio, ecquid facto opus eſſet? Si enim immobilis cõſiſteret, aut paululum refugeret, ne á confœderatis intercluderetur, uerebantur. Præliũ uerò cum inſtructiſsima claſſe ſine maximo periculo iniri non poſſe præuidebant. Ac quidem Pertau Baſſa Imperator terræ, Siroccus alijq; ueteres cõplures duces, ne dimicaretur ſummopere diſſuadebant, quod cum Chriſtiana claſsis uno duce gubernaretur, ac in aggrediendo promptiſsima eſſet, expectandam occaſionem quo ad ea diſsiparetur, cenſerent. Tum uerò inter alios Haſſam Baſſa filius Hariaden Barbaroſſæ accepta licentia dicendi ita locutus fuit.

DOMINI SVPER OMNIA POTENTES, ijdemq; ſummis beneficijs affecti à Maieſtate inuictiſsimi Cæſaris noſtri, cupientibus ſatisfacere gloriæ & uolũtati ipſius, quæ eſt umbra & ſpiritus Dei, qui uiuat in ſecula ſeculorum neceſſariò nobis eſt dimicandum, uobis polliceor eaſdem, & eodem modo eſſe coactas has canũ copias, quales ante 30. annos fuſæ & incatenatæ fuerũt, à præſtantiſsimo patre meo Hayradin Baſſa Barbaroſſa, iiſdem in pelagis, qui nõ ferent aſpectũ nec impetum noſtrorũ militum, ſed præ puſillanimitate animo deficient. Nullus eſt inter eos amor, nõ obedientia, nõ neruus diſciplinæ militaris, ſed à diuerſis nationibus, & ritibus inimicis & exoſis. Sunt diuerſorum Principum triremes ad oſtentationẽ ſolum, nõ ut ſe periculo exponant, cum alter alterius perniciem clanculũ uenetur. Summũ uirtutis eſt, quod egregiè blaſphemant Dei nomen, ſunt etiam (ut & hoc uirtuti illorũ aſcribatur) pulcherrimis indutis ueſtibus, pleni pecunijs infinitis: non ſunt quales ſumus nos, cõtumeliam diuini nominis exhorrẽtes, alter alterum diligentes & reuerentes, & uni Domino fideles, qui eſt ſemperq; erit uictor & triumphator. Habemus ducentas octoginta perfectas triremes, cum illi ultra centum quinquaginta non habeant, ut à Caracoſa relatum eſt uerisſimũ. Quare qui uolunt ſatisfacere uolũtati & honori Imperatoris noſtri eamus.

In eandem ſententiã uerba fecerunt Ochiali Aphricæ minoris, quæ uulgò Barbaria dicitur gubernator, & poſt eũ Cayabeg, Sangiaccus Smyrnæ. Sed contra ſentiebãt Siroccus Sangiaccus Alexandriæ, & Carabuch. Sangiaccus Hontiſarenus, & maximè Mahemet Bey Eubœæ inſulæ, Sangiaccus olim Belerbey Barbariæ filius Baſſæ Salarays, qui inſtimulatus à conſentientibus nihil ueritus, ita locutus eſt. Certè in ueritate miror diſcurſus acutiſsimos Haſſan Baſſæ militis obediẽtiſsimi & maximi præfecti Regis Regum qui eſt ambidexter gladius dextræ diuinæ, ac uiuat in æternitatem ſeculorum. Sed

non

non mihi omnino persuasum est, hostem aduenisse sine ratione benè subducta: Nam agitur de pelle illorum, & residuo regnorum suorũ & prouinciarum Ergo nõ sit probabile, si adeò essent malè instructi eos prorumpere ad manifestam sui perditionem, & quod Caracosa egregius miles retulit, non uidetur quod hoc anni tempore ex Sicilia ueniant quęrentes inimicum ut fugiant, & nõ, ut audacißimi fortunam suam periclitentur. Non est, simile, Vt ante triginta annos, cum Rex Hispanorum potẽtißimus omnes suas selectißimas copias, & proprium fratrem filiũ magni Caroli V. miserit, & Veneti sint uulpes, si maximè nos simus Leones: Qui unico momento, & aleæ iactu omnia suæ recuperare contendunt. Et longißima oratione minutißima omnia persecutus, dissuadebat: Placuit Pertau Bassæ oratio prudentis ducis, & Carabuch, & Siroccus Sangiachi laudabant eandem, sed Ochialinus & Ali præfectus iusserunt legi mandatum Selymi in contrarium. Quo facto, uisum est eam ineundam esse uiam, quæ uiros fortes & militares & tãti ministros Principis magis deceret & prælio experiundum esse potius ancipiti, quàm turpem fugam arripiendam. Speculator ergo, præmissus notißimus Pirata Caracossa cum de centum 40. tanũmodo hostiũ triremibus retulisset, uehementius omniũ animus ad præliandũ incenderat. Fefellerãt aũt illum, naues onerariæ, ut reliquarum triremiũ prorsus conspectũ tollerent. 1571

Septima igitur Octob. triremes septuaginta circiter progressæ sunt, pręlium ultrò exposcentes, ratæ hac audacia territũ iri hostes, ut aut fuga sibi consulerent, aut minus animosè confligerent. Sed contra omnia acciderũt. Conspectu enim illarum triremium inflammati confœderati sine mora in illas impetum facere censuêre. Iohannes ergo Austriacus iubebat uiros rei maritimæ bellicæq́ iuxta peritos malum conscendere, ac omnia diligenter explorare & earum numerum quoad eius fieri posset obseruare: Ii qui in terrã emisi erant, magna per celoces accurrebant celeritate, idem quod primi confirmantes. Iubebat etiam ex Regia sua triremi tormentum bellicum exonerari, & reliqua ædi signa quæ conuenerant, ut pugnæ indicia essent, temporis ꝑ quo suũ quemq; triremẽ oporteret capessere locũ & ad pugnam sese expedire. Ipse conscensa celoce una cum Ludouico de Cordona magistro equorum & Iohanne Soto Secretario huc illuc uolitando colligebat in unũ triremes uariè à se inuicem disiectas, ac omnia celeriter satagerent mandabat, hortando nunc has nunc illas, essent memores se non regum cupiditati operã nauare, sed sibi singulæ [illegible] incolumitati, ac ipsi deniq; Deo alacres secum pugnam capesserent, ac multa in hanc sententiam incredibili & supra ætatem dicendi efficacia animoq; in mediũ adducẽdo. Cõuenerat inter classis Principes ante triduũ, ut pugnæ tempore tota claßis diuideretur in tres ordines & singulis binæ quadriremes præponerẽt ut tormentorũ bellicorũ quibus abundant ui ac multitudine impetum in hostes faciẽtes ordines eorum disijcerent. Quapropter ipse Iohannes Austriacus trãsuolabat ad dictas quadriremes, quæ classem sequebãt ac mandabat, incitabat, ac hortabãt, ut quã celerrimè ad sua loca traijcerẽt, in quo sanè nullius opinionem uoluntatemq; fefellêre. Reuersus inde, claßis Principes huc illuc amandabat, præcipuè uerò ad Iohannem Andream Doriã qui dextro cornu præfectus erat, & Augustinum Barbarigum, qui sinistro, quos hortabãt ut suam quisq; triremem paululum extra ordines ut conuenerat, educeret & pro se quisque suas triremes in ordinem redigeret, pugnę expediret, lento uterque passu progrederetur, ipsasque triremes quam possent maximè coniungerent ac coarctarent. Hisce peractis reuertebatur ad suam Regiam, incitan-

1571 do uoce ac gestu capitaneos ac milites earum triremium, quarũ puppis in reditu præteruolabat, qui sanè unanimi clamore & supplosione incredibilem ostendebant pugnę cupiditatem, ubi ad suam triremem uentum erat, uidebatur sibi quod dicta duo cornua non satis bono progrederentur ordine, ideoq; per celocē emittebat commendatorem maiorem Castiliæ, ut ea quid facto opus esset moneret. Itidem mittebat ad Marcum Antonium Columnam Pontificiæ classi præfectum, ut suas triremes in corpus ut uocant classis adduceret, sibiq; se coniungeret quàm posset fieri arctissimè. Interea classis Turcica non in solitos ordines (solent enim esse semilunares) sed nostris similes deducta erat, utraq; uerò lentè progrediebatur. Nostra quidem propterea quod Iohannes Austriacus afficeretur dolore, quod Marchio S. Crucis qui à tergò triginta ducebat triremes, nondum aduenerat, & quod Iohannes de Cardona qui exploratum præcesserat cum octo triremibus à classe dilapsus esset, ad quos tamen amandabat celoces quæ eos hortarentur, ut quanta possent celeritate sibi præstò essent. In quo etiam nihil ab ipsis prætermissum fuit: Nam sub horam duodecimam uterque nostræ classi in conspectu erat, quo tempore sex quadriremes de quibus dictum est à classe Turcica aberant bellici fortè tormenti iactu. Hoc loco Iohannes Austriacus iussit Tibicines & Tympanistas pugnæ signum dare, & confirmauit animos suorum militum formulis militaribus. Denique in genua procumbens Deum breui oratione precatus est, ut sibi dignaretur illa die uictoriam contra suos hostes concedere, quod piũ pientissimi classis Imperatoris exemplum, cæteri reliquarum triremium capitanei imitati sunt. Quo facto, plenis remis in hostem itum fuit tanta animorum contentione & promptitudine, quanta uix aliàs milites cum hoste congressi sunt. Tormenta primum bellica exonerabantur, infinito numero & prægrandi strepitu, denique suum quæq; locum egregiè tutata est. Ipse etiam Iohannes Austriacus cum Regia Turcica per uexilla quæ eminentius reliquis ferebat, quo cognosci posset, suam iussit in eam dirigi, ac maximo impetu in eam delata est, infectisq; armis concurrunt. Cum Regia Turcica septem aliæ ueniebãt, omnes unà nostram Regiam petentes. Nostra à puppe erat capitanea ut uocant commendatoris maioris & Patrona ipsius Iohannis Austriaci. Dextrum latus Pontificiæ, sinistrum Venetæ claudebant. Sic inter se hæ triremes commissæ dici non potest quanta animi magnitudine constantiaq; utrinq; dubio satis euentu belliq; fortuna multo tempore certatum sit, donec elapsa iam hora cum media, appareret nostras potiores fore partes. Iam enim à prora lætum peruenerat ad puppim nuncium, Regiam Turcicam nonnullos ex nostris ingressos esse, & indubitatam in ea classis parte suæ celsitudini uictoriam attulisse. Hic ergo Iohannes Austriacus mandabat lęta omnes repetitaq; uoce exclamarēt, VICTORIA, VICTORIA &c. quam uocem reliquæ triremes, quę uicinæ erant, excipiētes alacri uoce imitatæ sunt, quippe certò iam uidentes uictoriam penes se futurã. Superata igitur Turcica Regia cum alijs sibi uicinis, ipse cum alijs nonnullis, Pontificia præsertim & Veneta se extra ordines subducens, ad dextrum cornu transuolabat, in quod ingens hostilium triremium agmen ferebatur, exonerãs in ipso traiectu in multas sibi obuias triremes tormenta bellica, quib. illas aut submergebat, aut cõficiebat, aut ad deditionē cõpellebat. Quod Turcæ animaduertentes paulatim inde se subducebãt, ne quicquã isthic fortunam experti, sed iam sinistrũ cornu q̃d propè terrã erat, circũfusum triremib. hostiũ extremè aliquandiu laborauerat. Huc etiã Iohannes Austriacus cũ dictis triremihus transcur-

transcurrebat, suppetias ferens militi ob uulnera & laborem, non tàm fesso 1571 quàm animam exhalanti. Sed nec hic Turcę impetum sustinere poterant, quamuis aliquandiu reluctarentur. Expansis ergo subito uelis fugam arripiebant rectà occidentem uersus in apertum mare traiecturi, quamuis ob nostrorùm hominum uirtutem nec sui salutem comparuere, Iohannes Austriacus enim arreptis quot poterat triremibus, & unà cum illis Iohannem Andream Doria, Marchionem S. Crucis, generales triremium Neapolitanarum remis incumbebat, ut hostem prohiberet, ne promontoriũ quod altius in mare procurrebat, & hosti transeundum erat, traijcere possent. Nec hac spe omnino falsus est. Ex omnibus enim hisce triremib. octo tantum uel circiter elapsæ sunt, quæ altius se magno cum periculo in uẽtum exonerãt. Cæteræ in terram appulsæ, nostris predæ fuere Turcis fuga terrestri uitæ salutem sibi conciliantibus, Triremes uenti beneficio elapsas, nostræ non sunt insecutæ, & quod remiges defatigati essent, & nox ingrueret, ac multi succubuerant, uel aliàs malè mulctati essent, multi etiam exempti erant compedibus, ut militis locum supplerent. Cæteræ interea classis triremes nihil uel operæ uel diligentiæ omittebãt, ut ad unam omnes hostiles triremes subigere possent & uncare, cui illorũ studio euentus felicissimè respondit, Iohannes Austriacus in uicinum se recipiens portum, celocem ad cæteras, quæ significaret idẽ & ipsę facerẽt, mittebat. Hæc pugnæ illius naualis Castraphe fuit, qua nec nostra, nec patrum memoria, ulla contigit præclarior uel momẽtosior, aut in qua maiori animorũ armorũq; cõtentione cõcursum sit, utrinq; multis indicijs spem uictoriæ haud dubiam facientibus. Erant in nostra classe, Triremes ducentæ, quadriremes sex, Naues quas Holcadas uocant, uiginti, quæ tamen pugnæ non interfuerunt quod ob placidum uentũ tempori adesse non possent. Cæteræ biremes, lyntres & celoces fuere, quæ tametsi in pugna partim possunt, tamen ad summam rei haud leue momentum adferre uisæ sunt. Militum hisce imposita erant uiginti duo millia ex uarijs nationibus collectorum, uidelicet Hispanorum octo millia, Italorũ undecim millia, & Germanorum tria millia, præterquam quod triremes omnes remigibus, nautis, ac alijs ordinarijs hominibus quàm instructissimæ essent. Turcarum uerò classis ducentis uiginti, duabus triremibus, quadraginta biremibus, & magno minorum nauium erat instructa numero, quibus inerant uiginti quinq; millia, pro maiori parte ueteranorũ militum. Quippe cũ Naupacti paulo antè acerrimus habitus esset delectus, & tecena ualẽsq; miles tyronibus consumptisq; suffectus, qui ad cõtinuas de Christianis uictorias adeò erat assuefactus, ut nihil maius nostra militia despiceret, & cõtemneret, adeò ut de uictoria consequenda nullum faceret dubium, quãquam postea compertum sit præfectos nonnihil hęlitasse ob Hispanicas triremes quas occidentales uocãt, quasq; summopere timere solent. Virtus & peritia rei militaris insignis in nostris apparuit capitaneis, & incredibilis uigor in militib. & decurionibus, atq; adeò ipsis remigibus qui compedibus reuincti erant. Veruntamen prælium acerrimum fuit, quod illinc desperatorum, hinc uictoriam sibi pollicentium more pugnaretur. Hora enim diei decima quinta ceptum, & usque ad uicesimam tertiam productum fuit. Capta Turcorũ quinq; millia, occisa circiter unũ & uiginti millia, Christianorũ liberata quatuordecim millia, captæ triremes Turcicę cẽtum quinquaginta & una, submersæ quadraginta. Solus Ochialis fuga sibi consuluit cum triremibus quinque & biremibus uiginti nouem. E confœderatis mortuus Augustinus Barbarigus cum sagittam altero oculo recepisset. Duces & nobiles

1571 les Veneti octodecim, extranei septem militum uerò circiter quinq; millia, uulneratus Imperator Venetus, sagitta in genu fuit. Triremes Venetæ tres periērūt. Item Papæ triremis una, Sabaudiæ Ducis altera Melitensiū tertia, ipsis uerò ordine prima. Tantæ uictoriæ nūcius ad senatum Venetum Onuphrius Iustinianus fuit, qui cū triremi sua decimo nono Octob. Venetias appulit. Inde lætitia tota urbe incredibilis, cōcursatioq; omniū ordinū, omnis sexus, atque ætatis fuit, tota deniq; ciuitas in aream & portum Diuini Marci se effudit, ut inopinatæ adeò & præclarę uictorię testimonium quod auribus hausisset, idem oculis aspiceret, & præsentem è uictrice classe triremem secundis acclamationibus salutaret. Princeps ipse extēplò in æde D. Marci cum Senatu, Legato Pontificis & Hispani supplicauit, alteraq; uicesima prima supplicatio fuit: cui Cæsaris etiam & Galli legatus omnesq; magistratus Veneti interfuere, utque maioris lætitiæ indicium extaret, carceres aperti, omnesq; qui nō ob maxima facinora capti essent dimissi sunt. Neq; uerò solum uictoriæ huius parię lætitia intra Italiæ fines sese continuit, sed & nūcium eius allatum in Germania eam gratulationē excitauit, ut Pōtificij quidem more suo supplicationes haberent, Euangelici uerò ꝓ publicis concionibus Deo gratias agerent, eumq; ardentibus uotis rogarent, ut Eccles. suæ misertus tristissima seruitute Turcica Christianos liberare, populūq; suū in ueram libertatem assertum cōtra Tyrānidem Turcicā in posterum defendere propter filij sui unigeniti gloriam dignaretur. Viri quoq; docti musis suis euocatis, uarijs carminibus uictoriā hanc illustrare conati fuere, quibusdam Iohannē Austriadem, alijs uerò Venetum nomē celebrantibus. Quæ omnia cum peculiaribus libellis cōgesta extent, nos ad ipsos lectorē eorū cognoscēdorum cupidum, remittimus. Trophæū uerò huic classi erectum, dedicatūq; Maximil. II. Imperatori, subijciemus in hæc uerba factū: NAVALI TRIVMPHO ex Turcis relato, extincto Pelagi metu, purgatis maleficio Thraciæ, Peloponnensi, Dalmatiæ Ionij, Sperq. sinus oris, Rhio, Anthirrio Hexamilij impedimēto, Africæ littoribus, infero tractu ad Herculis usq; fauces, & Athlāticas Gades securis, Scyllæ Charybdisq; rabie, breuibusq; placatis, Cycladū Seiti & Abydi, Phryxeisq; obicibus infractis, Byzantio & Mecha trepidantibus, inaudita fortitudine, celeritate quatuor hórarū trecentarū triginta nauium classe superata, longis rostratisq; ad centū 60. remulco: abactis, Cetheis, Lyburnicis Lēbulisque innumeris disiectis, supressisq;, quę loca Baiazetes ante septuaginta quatuor annos eripuerat, ad Naupacti angustias, ꝓ Halcyonū, receptibus, Ithacęq; Austrijs pręcipuè Hadriacisq; Cęruleo Neptuno factis. Sole prima Kal. Nouemb. eiusdemq; Nonis, quibus acerrimè pro Christi negotio fuit depugnatū ferrugine sua Othomanno infesto, diraq; eiusdē capitis Phœbe iam inhibēte: Mēse quo Hebręis olim Scenopegia, nobis ocij tecta sunt concessa, gaudio uniuersæ cumulato Pannonijs terrore subleuatis, prorsus liberis alijs, cunctorū animis ad pileū excitis, 15. millibus, Christianorū mācipio solutis, his totidem hostibus cæsis, 5. millib. captiuis, Periperi cū uiginti lōgis in Cypro latitante, alijs aliquot nūquā instructis. Interni maris litoribus utrinq; spolijs applaudentib. summo Bertau necato, Ahalio incerto, pyratis cōfectis, illius filijs cū Aegei insularū omnibus penè pręfectis serui tuti illigatis, Oczalio, Argirense cū paucis speculatorijs, linteolisq; prælij spectatore nondū elapso, Neritide obsessa, omniū spei Marti nō Gradiuo, selectori celeri uictoriæ ꝑpetuæ, memorię interminatæ VI. Cal. Nouemb. idē nūcijs cōfirmātib. S.M. Quę istę uices diuinę? Aquila Hesperia cū Leone perpetuo à Stella & Luna sollicitti, subito Sol facti, periculum omne ad Caspios

& Asiam

& Asiā redigātur. Postremò uerò tabella, in qua excidium barbaræ clasſis 1571
depictum, hoccarmen ut elegantiſsimum ſic & grauiſsimum inſcriptum.

Quis uolare auſit iurato fœdere pacem,
Regna aliena iugo premere, atque excindere gentem
Immeritā patremq; hominū, patremq; Deorū
Temnere, & immemorem ſceleris putet eſſe nefandi?
Ab te ne tanti rabies ueſana furoris,
Exagitet, quicunq; pij moderaris habenas
Imperij: tenet ipſe pater memor omnia mente,
Et meritas ſumit maturo tempore pœnas.
En Aſia Venetis polluta pace Tyrannus,
Vrbibus euerſis, ingenti cæde peracta,
Contemptus uictor ſuperis, tumidusq; ſecunda
Sorte ruens, totumq; fatigans claßibus æquor,
Vt curſu cadit in medio, uictusq; repente
Sternitur ac pœnas auſo pro crimine pendit,
Non hæc conſilio humano & mortalib. armis
Proueniunt, Deus ipſe Deus poſt funera mille,
Poſt mille exhauſtos terræq; mariſq; labores,
Nos tandem aſpiciens, æterno fœdere pacis
Ter geminos iunxit Reges tua flumina belli;
Armauitq; pias cœleſti robore mentes,
Et dedit in domitas hoſtis contundere uires.
Cernis ut Ionio concurrant æquore utrinq;
Frontibus aduerſis inimicæ in bella triremes,
At uario ardentes ineant certamine pugnas
Infracti utq; duces orientis, & agmina latè
Heſperio ſub Marte cadant? congeſtaq; claßis
Centum annis, centum uictrix ſucceßibus una
Luce ruat? uiden' infectas quàm multa per undas
Telaq; Threiciosq; arcus Lyciasq; pharetras
Verſet, & hoſtili turgeſcat ſanguine pontus?
Paſce oculos, animumq; tuum miroq; labore
Artificis fruere, ac partis lætare triumphis
Te tamen hoc unum ſemper præq; omnib. unū
Admoneat, miſeris quantum mortalibus obſit
Iuſtitiam et ſummi Regem contēnere Olympi.

Decimo Octobris Synodus Theologorum ac miniſtrorum, qui ſunt ſub ditione Electoris Saxoniæ Auguſti, Dreſdæ Myſorū celebratur cogēte eam dicto Illuſtr.ſs. Electore A. Cauſa uerò eius hæc erat. Ediderant Vitæbergenſes Theologi Cal. Ianuarij inchoantibus hūc annum Catecheſim cōtextam, ut titulus præ ſe ferebat ex corpore doctrinę Chriſtianæ q̄d amplectūtur ac tuentur Eccleſiæ regionū Saxonicarum & Miſnicarū, quæ ſunt ſubiectę ditioni Electoris Saxoniæ. Ea uerò quàmprimum in publicum prodijſſet mirum quam grauem cenſuram ſubierit, plæriſq; Theologis eam ſcriptis publicis cōdemnantibus: inter hos maximè Ihenenſibus, Brunſuuicenſibus, Lunæburgenſibus, Hallenſibus, & Mansfeldicis. Elector itaque, qui ſynceræ doctrinę in Eccleſijs ſuis retinendæ ſtudioſiſsimus ſit, fama illa de ſuorū Theologorū Catecheſi cognita, eos Dreſdam cōuocat, atq; ut ſententiā ſuā de ſacroſancta Cœna Domini, & articulis illi connexis, claré, perſpicué, atq; diſerté exponāt, mandat. Illi ergo quod iuſsi fuerant faciunt ac ſummā confeſsionis ſuæ DE PERSONA ET INCARNATIONE CHRISTI, DEQVE EIVSDEM MAIESTATE, ASCENSIONE ET SESSIONE AD DEXTERAM DEI. unà cū doctrina uera & explicata DE COENA DOMINI repetūt, eamq; unanimi cōſenſu Academiarū Lipſenſis & Vitæbergēſis, & triū conſiſtoriorū deniq;, & ſuperintendentium uniuerſorum, & ſingulorum docentiū in iſtarū regionū Eccleſijs cōprobatam, ad præcidendas aliorū ſiniſtras ſuſpitiones, publice edunt, liquidò conteſſantes nolle ſe confeſsionem iſtam aliter accipi, quàm ſecundū normā illius cōſenſus, qui fuerit hactenus in Eccleſijs & Scholis iſtarum regionū p annos quadraginta aut quinquaginta, cuius ſumma etiam in quibuſdā peculiarib. libris cōprehēſa ſit. Et improbare ſe ſecus docētes, ut in ſcripto quo confeſsionem ſuā cōprehenderunt latius uidere eſt, nobis enim eam cum in omnium manibus uerſetur, huc aſcribere minimè neceſſarium eſt uiſum. Cæterùm etſi multi ſperarent, diſsidium id hoc tempore ſopitum, atque Vitæbergenſiū cōfeſsione alijs ſatisfactū eſſe debere, tamē cū nō tantū affirmare uererentur in Catecheſi illa de aſcenſione, deq; ſacroſancta Cœna Domini nihil alienū à recepto & approbato in iſtis Eccleſijs cōſenſu traditum eſſe, ſed & ſcripta ſcriptis accumulando, Saxonicos acerbius inſectaren-

1571 ctarentur,res eò deuenit,ut Saxonicarum Ecclesiarum doctores atq; m inistri,doctrinæ suæ confessionem de dictis articulis & ipsi ex sacris literis, orthodoxis,patribus, & scriptis repeterent, ac Vitæbergensium sententiam, phrases,locutiones,& rationes,ut cum Sacramentarijs congruentes,refellerent:Ita ut Salomon uerissimè capite 17. scripsisse uideatur: Litis initium simile esse aquæ rumpenti alueum,quæ postea nulla ui contineri potest. Deus ergo in tanta animorum distractione miseræ atq; afflictæ Ecclesiæ in hac delyra mundi senecta misereatur,eiq; pacem & concordiam largiatur,inq; Germania perpetuò sibi semē colligat & seruet.Porrò Saxonici Doctores, quos confessionem repetijsse diximus,erant initio Theologi Ducum Brunsuuicensium,Lunæburgensium,Megalopolensium, Academiæ Rostochiensis,ciuitatum Lubecæ Hamburgi,Hildensheimij,Gottingæ,Hannoneræ, Embecæ,Hamelæ,Brunsuuici,Goslariæ,Halberstadij, Salinarum Saxonicarum.Horū sententiā & Vuirtenbergici Theologi amplexi,& ipsi peculiari scripto doctrinæ suæ de ijsdem articulis confessionem deinde exposuerūt.

Duodecimo Octob.Ducis Nordfolciæ in Anglia altera aduersus Reginam Elizabethā cōspiratione detecta, is iusto Dei iuditio comprehenditur, atq; in carceres conijcitur.Anno quidem sexagesimo nono ob similis sceleris suspitionem quoq; captus fuerat,liberatus uerò atq; dimissus, cū non facilè quid sinistri de se quenquam suspicaturū arbitraretur,nouū scelus cōtra Reginam,ciuitatem Londinensem totumq; regnum Angliæ nefario conatu aggreditur,atq; cum nobilibus circiter septuaginta coniuratione facta cōuenit,de scelere adimplendo cum Regina Londini esset, non inscius moris ipsius,q̄d circiter hoc tempus ibi ad octiduū & ultra subsistere,ius dicere ac grauiores regni causas fractare soleat.Quare quidā coniuratorū octauo,decimo,& undecimo huius mensis sub specie iuditij frequentādi Londinū cōfluunt,pluribus ministris quā antea comitati,præterquā quod magna sociorum pars,in quibus omnē spem sceleris exequēdi collocarāt,in ciuitate præsens degeret.His ergo ita stantibus,Nordfolcus profligatissimū quendā nebulonem in habitu mendici Londinū ablegat,eiq; baculum excauatū,cui literæ inclusæ erāt in manus tradit,cum mādatis ut baculum diligenter asseruet,Londinumq; contendat,& à Ianitore,cuius nomen ei expresserat stipē petat,mox deinde uenturū quendā insignē,de toto negocio antea informatum,qui baculū ab ipso sit accepturus.Sed ecce quā singulari prouidentia diuina res geranť,ac sceleratæ machinationes præter multorū opinionē manifestantur atq; in lucem proferantur.Nam dum simulatus ille mendicus Lōdinum uenit,accidit,ut is qui baculum ab ipso ex cōuento capere debebat, diutius emaneret,ac mendicus accepta usitata stipe, alijsq; eiusdē cōditionis hominibus abeuntibus,ad portā resideret.Ianitor itaq; eum accedens,de causa cur illic desideat rogat,hic propter Deum adhuc semel stipem sibi dari petit:ille uerò cui mendici persona suspecta esset,statim baculū quē in manibus teneret,in mendici baculū impingit,ita ut is excauatus frangeretur.Ianitore ergo q̄d insidiarū huic rei sub esse olfaciente,mendico manus inijciunť, atq; literarum resignatarū sententia cognita,una cū baculo & literis ad Reginam deducitť,ubi cōiurationis socijs detectis,statim eorū quāplurimi capiuntur atq; simulatus mendicus in quatuor partes dissecatť.Interea Nordfolcius ignarus detectæ cōiurationis & ipse Londinū uenit. Cōprehēsus itaq; atq; corā Regina eiusq; intimis cōsiliarijs de causis repetitę cōiurationis rogatus, accuratā purgationē sui instituit. Verū cum literæ proprijs ipsius manibus scriptæ,quibus socios ad constantiā in perpetrādo scelere animatt,ijsq; tempus

pus certum præfixerit,proferuntur, adeò obstupescit, ut delicti ueniam petie- Anno 1571.
rit,nec ad aliam rem ullam,quam Reginæ beneuolentiam sibi confugiendum uiderit. Propositum ergo coniurationis statim per totam ciuitatem diuulgatum est,nimirum quod hoc die duodecimo Octobris,Reginam ex insidijs opprestam interimere,ciuitatem Londinensem ab una parte in quatuor aut quinque locis incendere, ab alia uerò tumultum concitare, atque Nordfolcum cum exercitu in eam intromittere,omnes resistentes tam incolas, quàm exteros trucidare,& sibi dominatum usurpare uoluerint. Quin etiam ita consilia sua disposuerint, ut ipsorum complices eodem tempore omnia regni loca seditione complerent: Vt scriptis publicis proditum est.

Duodecimo Nouembris Veneti Malgaritum oppidum non longè à Corcyra situm, atque præsidio Turcarum munitum his suppellectilem saluã paciscentibus deditione capiunt, atque incensum solo æquant. Et circiter hoc idem tempus Epirotæ qui hodie Albani dicuntur, Soppotam ciuitatem à Turcis derelictam occupant,eamque Venetorum ditioni tradunt.

Decimo quarto Decembris, Albanus nouis tributis constitutis, eorum'que constitutiones in Belgia publicat. Licet enim Principibus ac Magistratui uectigalia,tributa, & exactiones ex mandato Christi & Apostoli Pauli iure debeantur, nec imperia sine huiusmodi præsidijs sustineri queant, tamen ita pro uidendum Magistratibus,ut in his modus seruetur,nec grauiora quam populus ac uitæ ciuilis societas ferre possint,imponantur. Ni etenim id fiat exactionum, tributorumque grauitas maxima mala sæpius parere consueuit, ut omnium gentium historiæ id testantur: Nam ut Roboam Salomonis filij exemplum silentio prætereatur, an nondum celebratissimus Imperator Theodosius propter assidua bella nouam exactionem molitur, Antiochiæ periculosam seditionem excitat? In Germania quidem, fuêre Principes ordinarijs redditibus contenti, subditos extraordinarijs tributis atque oneribus contra uoluntatem non presserunt. In Gallia uero, licet regum suorum, ut nulla alia gente obseruantissima eius rei exempla subinde accidisse minimè obscurum est. Siquidem & Lemouicenses Chilperici Regis temporibus, propter uini Vrceolum à singulis Vinearum possessoribus exactum, & magnam Galliarum partem Carolo sexto regnante, propter noua uectigalium genera introducta,seditionem mouisse,annales Galliæ testantur. Flamingi uerò & Gandauenses, adeò eius generis exactionibus semper obstitêre, ut aliquoties bello eum suis comitibus contendere potius,quam onerum insolitorum molem suscipere maluerint. Quare multo rectius sentiunt, qui iuxta responsum Iohannis Baptistæ neminem ultra consuetum & modum onerant, & moderatorum Principum exempla imitantur. Darius Rex Persarum cum percunctaretur officiales,an tributa grauia essent? respondentibus mediocria, iussit dimidietatem remitti. Quin & Nero in initio sui Principatus, quo gratiam popularem aucuparetur, quintam & uigesimam Venalium mancipiorum remisisse, & Traianus uectigal uigesimatum sustulisse scribitur. Pertinax etiam Imperator, quæ præcessores Tyranni per uias & portus emungendis pecunijs uectigalia instituerant, prorsus aboleuit: leges quoque ad confiscationis rapacitatem institutas abrogauit, asserens, sanctius esse inopem obtinere Rempub. quàm per rapacitatem & dedecorum discrimina opes augere. Porrò uerò Albanus quo ad uectigal pertinentibus,rebus præciosis,& ad negociationem destinatis, frumento, carnibus,alijs'que ad uitam sustinendam necessarijs onera imposuit, ità ut nihil quod in Brabantia ueniret, sine onere relictum sit, in nullius contractus oneribus remissior, quàm uenditione fundorum

Anno 1571. tum atque equorum, ex illorum uenditione uel permutatione uicesimum quintum denarium iusti precij, ex horum autem aliunde in Brabantiam adductorum, tantundem, ex alijs uerò rebus decimam partem exigens.

Hoc etiam anno per totam ferè Germaniam Cephalalgia sæuissima grassatur, ita ut plæros que ea correptos ad furorem redigeret. Fames uerò ubique tanta, maximè in Sueuia & Bauaria, quanta uix hominum memoria fuisse putatur. Hisce flagellis Dei quidem corripimur, sed non corrigimur. Quare non mirum si mala malis accumulentur, & una calamitas alteram excipiat.

DE REBVS IN ORBE GESTIS ANNO M. D. LXXII.



SExto Ianuarij, aquæ fluuij Vistulæ in Porussia prope Thornam in sanguinem per triduum cum omnis populi cõsternatione conuersæ. Deinde uerò fluuio ad pristinam substantiam reuertente, circiter horam noctis nonam, terræmotus cum maximo turbine, & duarum nubium ruptura facta est: ex cuius aquarum impetu dimidia muri pars abrepta, quadraginta domus abductę, pontis iuga sedecim auulsa. Atque in undis trecenti homines submersi fuêre. Lapides quoque ponderis librarum decem de cœlo delapsi, homines ad terram prostratos necarunt. Adhæc granarium ciuitatis fulmine correptum, cum frumento igni consumptum est. Hęc noui anni prodigia tristissima, haud dubiè malorum denunciationem continent. Apud Romanos cum Vulsinijs sanguine lacus manasset, anno urbis conditæ quingentesimo quadragesimo nono, id quod nunquam antea acciderat, duo consules Marcellus & Crispinus ab Hannibale circumuenti, Rempub. ueluti orbam relinquerunt. Deinde cum anno urbis sexcentesimo decimo octauo Puteolis in aquis calidis riui manassent sanguine, ab Achæis exercitus Romanus cæsus est, uerùm talia surdis occinuntur, perpaucis huiusmodi prodigiorum effectius ad animum reuocantibus atque à delictis ad meliorem uitam sanioraque consilia se cõuertentibus, ut rectè Homerus Iouem loqui introduxisse uideatur.

Cur stulti incusant mortales numina cœli
Et sibi nos dicunt autores esse malorum?
Cum præter fati leges in aperta ferantur
Damna, suæ mentis proprijs erroribus orti.

Decimo sexto Ianuarij Thomas Dux Nordfolcij, is quem anno superiori duodecimo Octobris captum, atque custodiæ traditum diximus, præeunte custode carceris, & portitore securis, hora matutina septima ex carcere educitur, & iudicio capitali sistitur ad diluendum crimen proditionis intentatum. Accusatores erant quatuor fiscales regij ad hoc deputati: Iudices, Comes de Hembsberi, Magnus Stuardus, quem maiorem domus uocant, repræsentans Reginæ personam, ut summus Iudex, in sella ad hoc speciatim constructa, cum uiginti quatuor alijs, quorum nouem Comites atque Barones, reliqui Milori, id est, cubicularij erant. Stuardo uerò manu leuata, Nordfolcium proditionis arguente, hoc è contrario crimen diffitente, ac eloquentia spe omnium maiore sese purgante, causa ita agitari cœpta est, ut Fiscalibus intentionem suam uerificare, reo innocentiam ostendere conante, disceptatio usque ad horam

ad horam uespertinam sextam, nullo nec manducante, nec bibente protrahe- Anno 1572
retur. Tandem tamen iudicibus ad consultandum secedentibus, Nordtol-
cio uinum & cereuisia bibenda præbentur, & à iudicibus reuertentibus sen
tentia fertur, quod ob proditionem contra Maiestatem regiam, & patriam
commissam suspendis, & semimortuus in quatuor partes distrahi, dilaniari-
que secundùm consuetudinem regni debeat, cum precatione, ut Deus ani
mæ ipsius misereatur. Hanc ergo sententiam cum manu leuata quasi calum
nijs oneratus acceptaret, cum inficiatione proditionis obiectæ, & petitione
ut ratio filij sui haberetur, hora nona manus ad pectus tenens, præeunte car
nifice in carceres reducitur, ac illic suspensa sententiæ executione usque ad di-
em secundum lunij asseruatur, idque pro more regni.

Vicesimo secundo eiusdem mensis Oeniponte terræmotus similium calà
mitatum index mane hora septima factus est, atque per triduum durans, sua
conquassatione, non tantum ciuium ædes, sed & Archiducis Palatij partem,
templumque ac typographiam deiecit, strataque uiarum disrupit, tanto homi-
num pauore, ut Archidux una cum familiaribus in theriotrophium se reci-
pere cogeretur, populusque nouissimum diem instare existimare. Similes
quoque terræ tremores circiter hoc idem tempus, sed minores fuisse feruntur,
Monachi in Bauaria & Augustæ Vindelicorum. Terræmotus uerò quæ ma
la comitari solita fuerint, sæpius luculentis testimonijs commonstratum fu-
it, nos autoritati Christi, non dubia coniectura insinuantis, futuros ante no-
uissimum huius seculi diem terræmotus, perinde ut signa earum quæ subin-
de futuræ sunt in uniuerso, id est, mundo generali calamitatum subscribere
decere: ijsque potius ad emendationem uitæ inuidari, quàm perseuerantia in
peccatis mala publica accersere, quæ terræmotus subsecuta fuisse constat, ni
mirum bella, pestem & famem illa quidem aëre cadaueribus infecto, hac in-
cultis manentibus agris subsequente, ut hæc partim usu, partim literarum
studio non obscurè comperta & explorata fuere. Non'ne enim post terræ-
motus quos sibi Mardocheus Laheti filius, uidere uisus est, cunctæ ad pu-
gnam nationes excitatæ traduntur, & dies quoque subsequuta tenebrarum
& discriminis, tribulationis & angustiæ & formido super terram maxima?
Nòn'ne & Ozia Rege luda in superbiam olim elato, sibique alienum usur-
pante officium, terra supra modum tremuit, argumento ultionis contra eun
dem diuinæ perspicuo, quum & ille tum lepra infectus regnum deponere
coactus fuerit, & se in ordinem redigi passus, ut qui ex summo loco diuina
fastidisset, idem in sordido & humili ab omnibus fastidiretur. Sunt & quon-
dam infelices ludæi non sine memorabili clade experti, quid præcedentes
terræmotus, quos aliquoties antea obseruarāt portenderint, nimirum illud
supra quam dici queant calamitosum Hierosolymitanæ urbis excidium.
Cuius illi inter alia prodigia & ostenta terræmotibus sæpenumerò admoni-
ti pœnitentiam de peccatis suis propter quæ, hoc ipsum fore significabatur
excidium, non egerunt, sed quam à peccato reuocati, uel non crediderunt,
uel cœci & partinaces cœli minas contempserunt. Quid obsecrò terræmo-
tus L. Martio, Sex. Iulio consulibus portendit? Procul dubiò bellum illud me
morabile, quod ciuile dici cœpit, quo uix aliud funestius terræ Italiæ fuit?
Non'ne etiamnum uarij terræmotus bellorum perinde Punicorum magni-
tudinem prænotarunt? Sic quoque terræmotus apud Constantinopolim
maximus parum boni portendit, quum sub id tempus perniciosissima Ace-
phalorum hæresis, Calcedoneum concilium acriter impugnantium & pul-
lularit & subcreuerit. Quantum uerò malorum terræmotus Imperatori Lo-
thario futurum significarit, Galli & Itali quondam uel suo periculo didice-
runt. Tum quidem lætales inter Imperatorem Lotharium & fratres natæ

TTtt sunt

Anno 1572 sunt discordiæ, atque bella deinde longè maxima subsequuta: Normannis omnem deuastantibus Aquitaniam, multis incẽdio consumptis cœnobijs, & aliquot insuper Galliæ rum oppidis ad internetionem penè per Normannos redactis. Quid autem Imperatori Friderico eius nominis secundo, terræmotus pronunciarint, dictu perinde iuxta & auditu horrendum est. Tradunt sub illa quidem tempora Frisiam regionem à maritimis fluctibus totam fermè submergi cœptam, & à Tartaris Schiticam, Georgianam, Armeniamq; maiorem solo propemodum æquatas, ab eisdem que Poloniam & Hungariam magno nimirum incommodo adfectas. Addiderim (quod sum me dolendum est) Hierosolyma tum à Cardirio magni Saladini filio quintum fuisse funditus euersa, templo duntaxat domini ac eiusdem sepulchro precibus Christianorum integro relicto. Et terræmotus quoq; Imperatore Friderico eius nominis tertio non indubie cladem illam Constantinopolitanam memoratissimam arguit, & conflictum subinde inter Christianos & Turcas, apud Thaurinum oppidũ satis horrendum. Transeo interim quantam malorum congeriem terræmotus sub Iulio Max. Pontif. & Imperatore, Maximiliano uel nostra quidem memoria portenderit, à quo sanè tempore (ut uerum ingenuè fatear) Ecclesia nullo non luxu & abusu, ita indies magis pessũ iuit ac decreuit, ut nisi cum magno orbis periculo redire postliminio posse non uideatur. Hinc non est quod multis ambagibus ambitiosior arguar, quid nobis proximè præcedens in ijs finibus terræ motus portendat, quando ex ijs quæ diximus, uel quamlibet paucis, & ex parum æquis huius temporis conditionibus nemo marte suo non facilè conijciat. Cuius equidem significationem unius cuiusq; iuditio relinquendam censeo, non nescius Christianam pietatem repudiasse uanam & superstitiosam illam ueterum Romanorum, aliarumq; Gentium circa prodigia omnia & ostenta obseruationem.

Vicesimo nono eiusdem hora noctis decima incendium in arce Vuirtzeburgica exoritur, tantasq; uires acquirit, ut Episcopus Herbipolensis Fridericus cubiculo suo conflagrante ægrè sola cam sia indutus euaderet. Periere in eo homines sedecim, iacturam uerò omnium maximam Episcopus in libris rationum, literis, diplomatis, & instrumẽtis publicis hoc incendio conflagratis, sensisse scribitur.

Hoc mense Februario insolita niuium copia inferioris Saxoniæ terras cõplet, ramq; intensum frigus etiam flumina nauigabilia Salam, Albim, & Visurgim constringit, ut, id quod rarissimè accidere solet, nauigatio in ijs intercluderetur. Experta, id est, suo cum damno nauis Piratica, prope Neuuhausium castrum Diocœsis Bremensis, ira è frigore improuiso congelata, ut extricate è glacie nequiens cum præfecto, & socijs triginta caperetur atque in castrum Vorde abduceretur, illis postea carceri mancipatis memorabili exemplo latrones & sceleratos post multas grassationes diuinitùs tandẽ à Nemesi opprimi, & ad supplicia merita rapi.

Pridie Calendas Martij Catharina Sigismundi Regis Poloniæ coniunx, Ferdinandi Imperatoris & Annæ reginæ Bohemiæ filia septima, miserias suas in his terris, fœlici ex hac uita exitu finit. Nupta prius fuerat Francisco Duci Mantuano: eo uerò ex pauore lapsus in locum Mantuanũ, anni quinquagesimi mense Februario extincto, Regi Poloniæ Sigismundo sororio post secundas cum Barbara Radziuilla nuptias ad tertias consolanti in matrimonium tradita: huius molestias non exiguas sensit. Nata Viennæ anno millesimo quingentesimo trecesimo tertio, Septembris die uicesimo tertio hora nona, ante meridiana.

Primo Aprilis bellũ Belgicum, quo Albanus post Aurisici discessum, statua

tua triumphali cum illustri Eulogio erecta, se penitus defunctum existimarat, præter opinionem eius aliorumque complurimum restauratur. Geusij siquidem, ab infestatione maris anseres aquatici dicti, affluentibus in diem copijs ita multiplicati, ut hostium oculis sese offerre non dubitarent, hoc die triginta nauibus Brielum oppidum Hollandiæ commodissimo portu maris nobile, ex improuiso inuadunt, ac ciuibus ad denunciationem deditionis responsum differentibus, per portas pulueris tormentarij ignea ui disiecta in ciuitatem irrumpunt, eaque occupata ciues atque uicinos Delftios in fidem Auraici adigunt, Ductore Vuilhelmo Comite de Marcha, & Lumio, qui quod Auraico superiori bello militasset, à Leodiensi Episcopo bonorum magna parte exutus fuerat. Albanus ergo occupatione Brieli cognita, Hispanos præsidiarios cum classe traiecto, ad recuperandum Brielum profligandumque Lumium mittit. Verùm is cum suis hostes cũ damno inde repellit, sed & prope Flerdingam oppidum non procul à Brielo situm in fugam coniectos, Dordracum usque insectatur, urbem undique mari cinctam, ac nauigationi cum primis idoneam. Ibi uerò Hispani exclusi dum Roterodamum contendunt, similem oppidanorum alienationem cõtra se experiuntur, ingressu urbis prohibiti. Præses ergo Holandiæ Boshuius in tanta necessitate potius artes, quàm uim respiciendam ratus, se solum in ciuitatem intromittere postulat, omnia ciuib. salua fore promittens. Ii itaque promissis credentes ingressum in ciuitatem illi concedunt. At dum sub porta consistit secum Hispanos intromittit, qui portas ingresi, ciues præsidem fidei data admonentes obuios prosternunt, tantumque terrorem oppidanis incutiunt, ut quam plurimi de muro delapsi submersi sint & ultra trecentos occubuerint. Tanta uerò illic strage edita, Hispani mox nocte insequenti inde discedunt, ac Delftios secutos opprimunt, trecentis Geusijs uino somnoque sepultis occisis. Sed Boshuius præfectus Holandiæ interea Roterodami Geusiacorum multos capite plectit. Porrò uerò hac strenuitate Hispanorum per Holandiam diuulgata, Albanus, populo ad pristinam libertatem aspirante, dum malum malo medicari conatur, ut Cæcias nubes maiora sibi mala attrahit. Nam incolæ Schiedami oppidi, sic à Scheia fluuio uocati, atque Brielo ferè è regione oppositi, strage Albanici exercitus, quam Roterodami exercuisset cognita, oppido relicto se Brielensibus coniunxère. Et Flissingenses in Selandia, quorũ portus nauibus ex Hispania uenientibus opportunissimus atque tutissimus est, ijsdem cognitis ad iugum excutiendũ unanimi consensu coniurant, nullum Hispanum in oppidum suum intromissuri, ac paulò deinde pòst Pacecum Albani nepotem cum alijs duobus præfectis, minas ducis Hispaniarum spirantem comprehendunt, ac nulla ratione, uel nobilitatis, uel magnarum pollicitationum habita in furcam rapiunt, omnique dedecoris genere affectum in quatuor partes dilacerant. Deinde octingentos Hispanos Middelburgensibus mediterraneis Zelandiæ fame & obsidione à Geusijs pressis, opitulaturos, partim occidunt, partim in fugam compellunt, nauesque eorum quibus uenerant sex exceptis concremãt, nautis ad malum alligatis. Adeò Hispanicum nomen exosum erat, ut qui de eo seruando cogitaret, patriæ hostis ac proditor censeretur. Et hoc successu Geusij usi portus maris occupatos muniunt præsidijsque firmant, naues, quas Albanus Enckusij fabricari curarat, interceptas abducunt, inque suum usum conuertunt, totumque mare, ita infestant ut Brabantia in frumẽti, ei uerò finitimæ nationes in salis, butyri, casei, halecis, aliorumque esculentorum penuriam uenerint: Engkhusianis suo iure uiuere uolentibus, alijs sal denegantibus, uel id communicatum Geusijs intercipientibus. Anno 1572

Anno 1572 Primo Maij Pius quintus Pontifex Romanus, ducentesimus uicesimus nonus ex febricula, qua per aliquot dies conflictatus fuerat, moritur, cum sedi pontificiæ præfuisset annos quinque, menses tres dies uiginti quinque: creatus septimo idus Ianuarij, anno millesimo quingentesimo sexagesimo sexto. De rebus ab ipso in pontificatu gestis, hoc loco dicere superuacaneum est, cùm ex peculiarem historiam requirant. Mors uerò eius inopinata, rebus omnibus rursus ad bellum Turcicum paratis, socijs fœderis permolesta accidit. Stipendiarij siquidem ea diuulgata, ob non soluta stipendia Viterbij, Goletæ alijs in locis tumultuari cepère: ueruntamen per Iohannē Martiani Vigubinum à Duce Vrbinate ad ipsos missum, sedati, atque à Fulignî direptione retracti fuerunt. Et Cardinales durante interregno de expeditione Turcica consultatione habita, eam continuandam ac prosequendam unanimi consensu decreuerunt.

Decimotertio Maij exequijs Pij quinti peractis atque Cardinalibus Italicis congregatis, in absentia Gallorum, Pontifex Romanus ducentesimus tricesimus eligitur, Hugo Boncompagnus Bononiensis, ex professore iuris auditor Rotæ ex auditore Cardinalis, Tituli H. S. Xysti à Pio quarto Pontifice duodecimo anno sexagesimo quinto factus, atque quod decimo tertio die electus fuisset, Gregorius decimus tertius nominatur. Eius uerò electio præter multorum opinionem accidit, præcipuè annitentibus Cardinalibus Buromæo, Mediceo & Alexandrino. Plerisque uel Alexandum Farnesium, uel Iohannem Moronum sedem istam conscensuros certè existimantibus. Porrò uerò Gregorius dignitatem pontificialem adeptus, mox ad prosecutionē Turcicæ expeditionis sese conuertit, ac benè precatus Antonio Columnæ classis præfecto, eum cum illa Caietam dimittit, inque alijs antecessorum suorum uestigijs gnauiter insistit, Concilij Tridentini decreta confirmans, eaque inuiolabiliter seruari iubens. Non diu pòst, filio quem Bononiæ professor susceperat, præfecto arcis Angeli constituto, de diuite matrimonio cum Vrbinatis Ducis filia dispicit: Philippum Boncompagnum ex fratre ac Philippum Gnastam Vilani ex sorore nepotes, Cardinales creat. Duæ uerò perquam graues illi Pontificatum ingresso difficultates obiectæ fuêre, prima uidelicet reuocatio tituli Magni Ducis Hetruriæ, Cosmo Florentiæ Duci per Pium quintum collati, uel eius saltem suspensio, usque ad finē litis, ab Imperatore Maximiliano flagitata: altera, comprobatio matrimonij inter Margaritam Reginam Galliæ & Henricum Nauarræ Regem à Galliæ Rege expedita, quarum illa ob Cosmi erga sedem Romanam obseruantiam, hæc ob fidem Henrici Regis sedi Pontificiæ aduersam, grauissimis deliberationibus occasionem dedit. Pontifice ita rebus prouidere cupiente, ne Principes Ecclesiæ Romanæ amici tam difficili ac periculoso tempore ab ea alienentur, & aduersarij gratiæ ac moderationis eius fructum aliquem sentiant. Cæterùm dum Pontifex disceptationis Florentiæ dijudicationem sibi (dissentiente tamen Imperatore) uendicat, Imperator legatum suum Roma de facto reuocat.

Vicesimo quarto Maij, qui erat profestus Pentecostes, Ludouicus Nassauiensis, ne Lumio Zelandiæ atque Holandiæ populares contra Hispanos, occasioni rei gerendæ in alijs Belgici partibus deesset, milite in Gallijs præpropere collecto Valencinam in Hannonia exoccupat, ciuibus non ad modum repugnantibus. Inde uerò mox profectus Montem munitissimam Hannoniæ ciuitatem, capit, eamque præsidio firmat. Interea autem Hispani arcem Valencianam præsidio tenentes, eruptione in oppidanos negligentius rebus suis prospicientes, facta, eos occidunt. Id secundo Iunij accidisse

scribitur,

ſcribitur, ita, ut exiguo tempore libertate parte gauiſi, celeris humanarum commutationis ac uiciſsitudinis fortunæ exemplum fuerint. Porrò uerò Montis occupatio non tantum magnam diffidẽtiam inter duos affines Reges Galliæ atq; Hiſpaniæ excitauit, ſed & cur ſui uictoriæ contra Turcã impedimentum non exiguum intulit. Licet enim ut fertur Gallus Rex Ludouici Naſſauienſis cognita, per totum regnum ſeueriſſimis edictis publicatis uetuerit, Naſſouio ſuppetias ferri, aut terras Hiſpaniarum regis quacunque ratione moleſtari, legatoq; Pontificio ad ſe miſſo, firmiſsimis documentis ſuam in Hiſpanum beneuolentiam, paciſq; ſtudium commonſtrarit: tamen cum Ludouicus Naſſouius tota prætcrita hyeme in aula Regis Galliæ humaniter exceptus, & ab omnibus in ſummo honore habitus fuerit, & in exercitu ſuo iam haberet ſtipendiarios regis, & ſuperiorum bellorum non paucos capitaneos, Galli apud Hiſpanos in tantam ſuſpitionem uenêre, ut Rex Iohanni Auſtriaco mandarit, ne cum ſua claſſe ex Sicilia diſcederet, & loca munitoria in Pedemontana Gallia maiori præſidio firmârit. Hiſpanis non obſcurè dictitantibus, quò magis Galli ijs ſeſe amicos oſtenderẽt, tantò periculoſiores ſubeſſe inſidias. Quare Galli Hiſpanorum diffidentia prouocati, palàm affirmare, nòn dubitare Regem Hiſpaniarum de ſui Regis fide, ſed Hiſpanos expeditionem Turcicam utpote ipſis minimè proficuam ac commodam auerſantes ſub prætextu horum tumultuum & falſi rumoris de Galliæ Rege excitati, uelle retinere claſſem in Sicilia, ut expeditionem in Africam rationibus ipſorum accommodatiorem ſuſcipiant. Verùm enimuerò quantumuis Hiſpanis & Gallis inter ſe contendentibus, reliqui tamen fœderis ſocij, conſilio habito conſuerunt; ut nulla interiecta mora triremes Venetorum & Papæ, quarum centum quinquaginta erant, expeditionem ſuperiori hyeme decretam ſuſciperent, ijſq; ſeſe coniungerẽt uiginti naues, octo quadriremes & decemtriremes Ducis Sabaudiæ & Melitenſium, & aliquot ex regijs, quas Iohannes Auſtriacus ipſis aſſignaturus eſſet, maximè, fama diuulgata Turcam non contemnẽdam claſſem in aliũ deduxiſſe, milite omni ſclopetis grauioribus inſtar Chriſtianorum armato. Mons autem ciuitas, de cuius occupatione ſermo nobis fuit, à temporibus Maximiani uetuſtate, ut annales Hannoniæ teſtantur; legibus optimis, munitione ac comitatus nomine celebris eſt. Olim quidem Bretaimons dicta à Britannis, qui arcem temporibus Maximiani pulſis neruijs in ea tenuere: hodie uerò ſolum Montis nomine appellata, quod in monte ſita, munitiſſimum propugnaculum Hannonienſi populo ac toti comitatui præbeat.

Iunij die ſecundo, Vuilhelmus Comes Bergenſis liber Baro Bochſmeri, & Bilantij ob bona ſibi ab Albano erepta, Auraici affinis partibus aſſociatus, peditum tredecim uexillis ac equitum ſignis duobus erectis Zutphaniam ciuitatem ex quatuor Geldriæ inſignioribus unam, in poteſtatem ſuam redigit, ac mox Dauentriæ obſidionẽ relicta, Dotecum, Duisbergum, Grollium, aliaq; Geldriæ uicina loca occupat.

Secundò Iunij Dux Nordfolkienſis, quem decimo ſexta Ianuarij, criminis læſæ mortis condemnatum diximus, ex arce Londinenſi eductus fuit in planitiem uicinam, quàm Montem uocant; in cuius medio pegma tabulatum in uſum ſupplicij exſtructum iam à multis annis fuit: uetus autẽ computruerat & iam corruerat. Regina enim Elizabetha clementer adminiſtrante Rempublicam, de nullo iam annis quatuordecim ſumptum ibi fuit ſupplicium. Itaque nouum extrui neceſſe erat: Quòd cum conſcendiſſet Dux hora ſeptima matutina, indutus thorace ſerico, & toga longiori byſſina, colore nigro, aſpexit undique populum ſeriò, capite pileo tecto, & cum parumper cõſtitiſſet, & circumieciſſet oculos in pegmate, rogabat ad quam

TTtt 3 par-

Anno 1527 partem ftaret,ut populum alloqueretur. Erat enim pegma quadratum & undique populus confluxerat, cumq; dirigeretur ad orientalem partem,& multum esset populi murmur & uarius strepitus, Alexãder Noellus D.Pauli Decanus obtestabatur præsentes,ut silentium præstarent. Tunc Dux in hunc planè modum in hæc uerba exorsus est.

Minimè uobis optimi uiri nouum est si uideatis hominem mori. Mors enim communis est omnibus & frequens,nec etiam hoc rarum est, quòd uideatis hominem hoc loco mori:etsi fateri me oporteat,Regina regni gubernacula ea clementia,& felicitate administrante,nouum planè esse, quod uideatis illustrem aliquem uirum hoc loco mori: quòd uerò primus sim mea est fortuna.Faxit DEVS Opt.Max.ultimus esse ut possim, meumq; supplicium reliquis posset esse exemplo. Non decreui longis ambagibus uos detinere,paucis dicam quid sentio, in longis enim sermonibus nec me exercui nec meæ conditionis homines pro huiusmodi concione perorare solent. Tria sunt de quibus uos affari cupio, ac uos rogatos esse uolo, uniuersa cognoscatis, nec uni alicui tantum articulo intelligendo intenti sitis. Neminem spero offendam,equidem inuitus uel minimum uestrum læserim. De primo quidem de forma delictorum meorum agam, quemadmodum mea ipsius conscientia de ijs iudicet: Multa quæ de ijs audiuistis uera sunt, quædam etiam falsa. Non sanè hic me purgabo, nec iustum reddam,nec ullam iniusticiam meis ascribo paribus & proceribus, innocentes eos & iustos pronuncio. Egi quod uniuersis & singulis puto cognitum de matrimonio cum Regina Scotiæ ineundo,aliter certè quàm subditum decuit, nec pro officio. Cùm enim sine Principis meæ consensu tale quid tentare nefas sit,illudq; ego aggressus sim,grauiter erga ipsius Maiestatem deliqui,meritoque gratia excidi, eoq; nomine in arcem hanc Londinensem coniectus fui, postea etiam inde liberatus & domum reductus, cùm meum peccatum in Reginam agnoscerem, meq; forma quadam submisissem (facti enim ueniā petieram)scriptoq; Reginæ recepi, me nunquam initurum ulla consilia cū Regina Scotiæ,Regina nesciente,uel non permittente: atq; illud est quod grauissimè me angit & cruciat quod malè egerim, nec promissorum meorum rationem habuerim.Intelligo rumores sparsos, quasi iureiurando mea promissa cōfirmassem, cœnamq; dominicam ea fide sumpsisse, quæ omnia sunt uana. Cæterùm confiteor aliter me egisse, quàm & scripsi & recepi Maiestati Regiæ. Sententia in me lata est, quod consilia inierim cum suspectæ fidei hominibus, inprimis Rhodolpho Italo Papæ nuncio,semel tantum eum mihi contueri licuit. Cupio uos omnes scire nunquam me egisse cum illo, nisi de syngrapha quadam scripto obligatorio inter illum & me. Ad quæ uerba Ducem interpellauit Bræincæus Londinensis Vicecomes, qui illum admonuit,cogitaret,se ad supplicium uenisse,non ut se purgaret,paresq; suos improbitatis argueret.Cui Dux,iustos pronuncio meos pares,nec illos accusare mihi præpositum est, nec hic me excusabo. Tum ad orationis continuationem rediens,accusatus fui,quod literas à Papa receperim. Vera hæc quidem, fateorq;,literas binas ab eo mihi traditas, quarum priores publicis & consuetis characteribus scriptas legi, alteræ cifris, ut uocant, & obscurioribus characteribus perscriptæ fuerunt. Ambæ literæ unum idemq; uoluerunt,atq; aliquid de rebellione facienda adiecerunt:uerum minimè consensi,easq; literas improbaui. Quod uerò arguunt uoluisse me coronam inuadere, periculum creare principi meæ, huic ciuitati, equidem his nunquam consensi. Nihilominus quod cum huiusmodi hominibus mihi negocium fuit, quos facilè erat intelligere nec in Reginam, nec Regni quietem bono esse animo, quodq; illorum consilia celarim, nec illa prodiderim, quemadmodum

modum mei officij fuerat, peccaui. Hic Vicecomes uehementius illum interpellauit, affirmando talia pro eo loco & tempore omittenda esse, nec ipsi turum esse, illam ei libertatem permittere, quodque ea ratione procuraturus illi esset pericula, & odium apud Reginam, cogitaret se ad supplicium uenisse, quemadmodum à proceribus secundùm ipsius delicta constitutum fuisset, cœpitque ostendere Duci mandatum quod à regia Maiestate accepisset, in quo hæc uerba discertè ponebantur, ante horam nonam supplicium de eo sumeretur. Ille uerò rogare & obtestari permitteret, finem facere, breuiorem se futurum, sicque rursus exorsus est. Quod ad secundum caput attinet, de quo admonitos uos uellem, suspectum me fuisse intelligo pluribus, quasi religionis essem Pontificiæ, mihique obiectū fuit patronum me esse papistarum, factionis'que eorum. DEVM Opt. Max. testem cito, papistam me non esse, nec fuisse, nec futurum, si liceret uiuere. Fatendum quidem est plurimos me habuisse amicos, cum quibus uixi familiariter, pluribusque fidisse me famulis, qui Pontificij erant, quibus faui, quo nomine offendiculo fui Euangelio, DEVS cœlestis mihi ignoscat: fides mea solo IESV CHRISTO nititur, in eo & per eum unicè spero me saluum fore, nec alio ullo medio. Quòd ad Papam attinet eius'que constitutiones, nunquam probaui à quo religionis negocium cognoui, nec illi fidem habeo, planè illum reijcio, oratos uos uelim, boni consulatis quæ dico. Non satis aptè perficio orationem institutam toties interpellatus. Postremò quantopere deuinctus sum Serenissimæ Dominæ meæ pauca dicam, in quam etsi grauissimè deliquerim ex innata tamen misericordia & clementia ipsi placuit, iusticiæ legum'que rigorem à meis auertere, ut'que tempus mihi concederetur cognoscendi & deflendi mea peccata, sua sponte uitam mihi prorogauit, supplicij'que tempus in præsentem horam distulit, concedat ipsi DOMINVS diuturnum & fœlix Imperium ad consolationem uerorum uerbi sui professorum. Pollicita est mihi clementer se tutricem fore meis liberis orphanis, utinam mea mors finem possit imponere omnibus periculis, quæ illis imminent. Minimè uobis consuluerim factioni ulli uos implicetis, si quis factiosus fuerit, caueat, ipsi soli erit detrimento & exitio. Sunt fortasis factiones plures quàm duæ uel tres, renunciate illis; acquiescite in Maiestate Regia, ab ea'que pendeatis, consilia eius ne supplantetis, si unicuique ex uoto omnia contingerent, quis erit spei locus? Memini Reuerendum senem Latimerum Eduuardi sexti Regis temporibus pro concione dixisse, fore, ut peccata impietatesque nostræ bonum illum Regem nobis eriperent: DEVM oro, sic uiuatis, ut DEVS Reginæ uitam proroget, quod si ex uoto meo, animique mei sententia fieri id posset, optarem illi uitam ad mundi finem, à quo, meo iudicio non procul absumus, credoque quosdam ex uobis, qui hodie uiuitis uisuros. Intercedite apud DEVM pro ipsa, diu ut uobis impere, ad præseruationem Ecclesiæ, conseruationemque pacis. Quibus uerbis à populo acclamatum est. Vltimò à uobis contendo oratione uestra DEVM Opt. Max. sollicitetis, ut liceat mihi ex hac uita cordatè emigrare, fidem mihi DEVS corroboret, confirmet'que in IESV CHRISTO, iam ultima hac uitæ meæ hora, utque spem mihi certam in misericordia sua concedat, efficiatque, ut constanter mortem hic obeundo, possim per mortem ad uitam æternam hic commigrare. Quibus uerbis populus rursus acclamauit AMEN, AMEN. His dictis in Septentrionalem partem pegmatis se conuertit, atque quo loco stramen iacebat, in genua se inclinauit. Perlectis LI. & XXXVIII. Psalmis, cumque ad medium peruenisset Psalmi tricesimi octaui, ad uocem inimicorum, exclamauit inimicos, DEVS illis ignoscat. Conuersus deinde ad populum, unum oblitus sum, in-

Anno 1527

Anno 1572 quit, eius, cuius præ cæteris inprimis meminisse oportuit. Illud est, me unicè uos obtestsri, uelitis mihi condonare si ullnm uestrum offenderim, quod si ullum hic cognoscerem in quem propriè deliquissem, ueniam ab eo peterem, similiter in genere omnibus qui me offenderunt, eo modo ignosco, quemadmodum peto DEVS Opt. Max. propter Christum mihi ignoscat, Psalmos clara uoce recitauit & singulari confidentia, quibus peractis duss orationes recitauit uoce humiliari. Posterior oratio ex Desyderij Erasmi libello de graui morbo conuersa fuit, qusm uulgò Crom Vuellij orationem uocant, hic Cancellarius regni fuit, qui tempore Henrici octaui eodem loco piè decessit. Tum surrexit, seq; exuit toga & superiori thorace, quibus uestibus cum se expediret præeunte Alexandro Noëllo, hæc uerba ex Iobe desumpta, citauit: DEVS dedit, DEVS abstulit quemadmodum placuit DEO, sic fsctum est, Benedictum sit nomen Domini. Cum'que stsret indutus diploide linea csndida & manicarum experti, humili col locari, ipse indusij sui collare inuertit, cum'que offerreretur illi sudariolum, quo faciem oculosq; obuolueret recusauit, astantiq; Carnifici dixit, ne metueret, se aperto uultu quietè declinaturum, collo commodè & per appositè librato, rogabst securim illi ostenderet, quod cum obnixè peteret, Decanus D. Pauli obtestsbstur psrceret, nec occssionem quæreret terroris concipiendi maioris, quàm par esset, utq; humiliter DEO gratiss hsberet pro gratia fidei & uirium sibi eo momento supernè datsrum. Tum cœpit inclinare in genua, & experiri quomodo se in truncum subiectum & stramine tectum flecteret & accommodaret. Quo facto resurgens, cœpit circumstantes in pegmate affari, hisq; manum porrigere, ijsq; ualedicere. Astante autem Heinrico Leo equestris ordinis uiro manu ipsius apprehensa in aurem quædam dixit, & Valedixit. Tum conuersus ad Alexandrum Noëllum, qui moriturum piè pro loco & tempore instruere non destitit, brachijs suis circumdatum amplectebatur, quem ille uicissim medium amplectens lachrimis profuse oculis profluentibus, his uerbis est allocutus, DEVS omni misericordiæ potenti sua gratia te complectatur, consoletur & confirmet per IESVM CHRISTVM. Tunc postremò Dux in genua declinare, illumq; carnifex in genua prouolutus obtestari sibi condonaret. Dux uerò illi condonare, eiusq; in manus trsdere quatuor angelottoa, octodecim solidos, sex nummos monetæ Anglicæ, & petere, munus suum cordate perageret. Tum de sententia Ducis bona uenia Alexander Noëllus populum alloquebatur, his uerbis: Vos omnes obteststur, postremò hoc momento DEVM sollicitetis, ut per Christi gratism uelit ipsius misereri, ipsi'que cœlesti sua gratia adesse, ut per temporaneam mortem corporis sui liceat illi in uitam æternam emigrare, cui à populo mirifficè acclamatum DEVS illi adsit, DEVS miserestur eius. Hoc etiam, inquit Decanus, à uobis flagitat, ut silentio linguisq; faueatis, neque sonitu excitato ipsiua interiorea preces impediatis, sed corde uestro pro illo DEVM sollicitetis. His dictis cum Dux collum trunco impositum extenderet, dictus Decanus obtestabatur, cogitaret de commendanda in manus DEI anima sus. Tum Carnifex educta securi, ictu appositè ad iuncturas colli librato, uno'que caput ab humeris diuisit, quod per capillos sublatum populo ostentauit, ostentatumq; reposuit superiniecto stramine, ubi dum ad dimidiam horulam sic quieuisset, impositum feretro, quod in uicino templo ad funera honestanda conseruatum inde adferebatur contectum, per ministros suos præfectus arcis in eandem curauit transportari, ubi ssc ris de more funerum ceremonijsq; ex libro publicarum precum peractis, præsente semper dicto Decano sepeliebatur.

Iunij

Iunij die nono Iohãna Regina Nauerræ Princeps genere, natalium splendore, omniq; uirtutum genere clarissima, post uarias rerum uicissitudines, Lutetiæ Parisiorum placidè moritur. Venerat eò decimo quinto Maij nuptiarum filij causa de quibus antè meminimus. Excepta conuiuio à Regina matre prima Iunij: septima eiusdem in pleuritidem incidit. Vocati ergò qui uenam Basilicam incidant, quod in eiusmodi morbo præsentissimum remedium iudicatur, insigni errore contrariam aperiunt, quæ ilicò mori iubet. Vnde nono Iunij uitam finit. Nata fuit patre Henrico Albretio Rege Nauarræ, & matre Margarita filia Caroli Valesij, sorore Francisci primi Regis Galliæ. Nupta Antonio Burbonio secundo Vendomiorum Duci per pacta dotalia eum anno millesimo quingentesimo quadragesimo octauo Regem Nauarræ, & patrem liberorũ Henrici Regis ac Margaritę filiæ fecit. Qui ad Rothomagum decimo quarto Octobris anno L X I I. extinctus est.

Duodecimo Iunij Dux Medimnæ cœli à Rege Hispaniarum Philippo successor Albano Belgici administratori datus, dum ignarus motuum Belgicorum, Fliessingam Zelandiæ portum appellit, à Geusijs oppido erumpentibus ita excipitur, ut quidem aduentus ille sibi suisq; tristis & ominosus: Geusijs uerò lætus ac peroptatus fuerit: Nam ille quasi in limine impingens, atque cum Geusijs minus prosperè confligens, nauibus sedecim, in quibus complures preciosissimis mercimonijs Indicis refertæ erant, cum mille & ducentis Hispanis amissis, ægre Sclusam euadens, quatuor in reciproco fluxu maris hærentes à Geusijs præ oculis suis concremari hostiliter uidit, reliquis perpaucis Brugas effugientibus: Geusij uerò p̃da maiore multorũ fide ditati fuere. Nam si mercatorum literis ac testimonio fides habenda, mercimonia Indica nauibus Lusitanis uecta quadringentis millibus: Saccarum uerò alijs nauibus impositum, quatuor myriadibus & quadringentis millibus scutatorum æstimata fuere. Hæc uerò clades præter omnem spem Medimnensi illata est.

Decimo quinto Iunij Rex Galliæ Carolus nonus, fœdus de quo diu inter ipsum, & Elizabetham Angliæ Reginam tractatum fuerat, in præsentia Clinthonis Angliæ Admiralij, manibus ad sacra D E I Euangelia positis Lutetiæ solenni iureiurando confirmat, cum id eodem mense paucis ante diebus per Mommorantium Mareschallum ab Anglicana recepisset.

Decimo sexto Iunij motibus Belgicis ubiq; exardescentibus, & animis omnium, ob inquisitionem & exactiones, ad mutationem respicientibus Guilhelmus Aurantius, qui iam pridem occasioni oblatæ intentus: copijs conscribendis, occupatus fuerat, nunciationem belli ad proceres statusq; Belgij proprio scripto publicat.

Decimo septimo Iunij Georgius Illustris ordinis Theutonici per Borussiam administrator generalis, eiusdemq; per Germaniam & Italiam supremus Magister, Margenthemij extremum uitæ diem claudit: Princeps ordinis sui honori & amplificationi studens. Verùm maiores animi spiritus gerens, quàm uires corporis infirmæ atque exhaustæ perficere ualerent. Nam dum ordini Borussiam uendicare & Albano militare cogitat, re imperfecta terrenam militiam, cum cœlesti D E I uoluntate commutat.

Vicesimo quinto Iunij Vuigerus à Sitzma & Bertoldus Entesius nobiles Frisiaci, exercitu pro Autaico contracto, Dordracum, de quo superius diximus occupant, & mox Harlemium, Alcmariam, Leidam, Delfftos, Medenbligk aliaq; uicina Holandiæ loca suis partibus una cum Engkhusio adiungunt. Hoc eodem die, aliquot turmæ militares Gallicæ Ludouico Nassauiensi in auxilium iturę, à rustico, quem itineris commonstratorem fore putabant, in oppidum Binsium dolosè seductæ, à ciuibus capiuntur, & Alba-

Anno 1572 no transmittuntur, qui omnes ferè suspensos, in Schaldiam proijcit. Ludouicus uerò hoc Binsiorum facto cognito de ipsis ex improuiso oppressis, pœnas sumit, eorumq; oppidum succendit, & necem Gallorum ulciscitur.

Vicesimo octauo Iunij Vuilhelmns Auraicus, copijs, quas hinc inde conscripserat, confluentibus, cum suum institutum pro uiolatione pacis publicæ ac constitutionum Imperij habitum iri cerneret, priusquam in expeditionem proficisceretur Dillenberga ad Imperatoriam Maiestatem scribit, atque prolixè repetitis querelis & actionibus superioris quadriennij, ad excusationem, & tunc, & iam denuò suscepti contra regimen Burgundicum belli, à Cæsarea Maiestate petit, ne his qui sibi in necessaria atque legitima defensione sua, opem auxiliumq; laturi sint, id fraudi sit, uel crimini detur.

Vicesimo nono eiusdem mensis Iohannes Triuisanus Patriarcha Venetus, iussu Pontificis Romani publico scripto omnes Christi fideles admonet, ut uera peccatorum agnitione ac contritione diebus Mercurij, Venerij ac Sabbati ieiunent, Deum'que orent, ut sanctitati Pontificiæ suo auxilio ad extirpandas infideles, & bellum Turcicum fœliciter conficiendum adsit, ac Sacerdotes quidem in templis, Laici uerò in ædibus litanias sanctitatis suæ iussu conscriptas, quotidie cantent, omnibus id facientibus, easdem indulgentias, Pontifice impartiente, quæ dari soleant tempore Iubilei limina templi Romani frequentantibus. Id uerò scriptum in alias regiones sparsum ualde suspectum confœderatorum institutum reddidit multos, alio referente, fœdus perpetuum, quam solum in Turcarum exitiū inter Pontificem, Regem Hispaniarum, Venetos, aliosq; Principes initum esse. Dum itaque Pontifex preces Christianorum sibi conciliare studet, multorum gemitus concitat.

Hoc eodem mense, motibus Belgicis, ut diximus, indies crescentibus, Otho Comes ab Eberstein, Iohannes à Boluueiler, & Georgius Fronspergius uenia Imperiali impetrata per superiorem Germaniam in Albaniæ auxilium militem conscribunt. Nec minori cura Auraicus in Saxonia finitimisq; nationibus sibi copias cogit. Cæterùm dum Ebersteinius in ora Rhenana inconsulto Electore Palatino superiore circuli Rhenani duce, nullaq; præstita cautione iuxta constitutionem Imperij peditem conscribit, è Spira profectus, in itinere Iulij die primo capitur.

Calendis Iulij Sigismundus Augustus Rex Poloniæ qui superiori mense ægrotare incipiens, medicis de ipsius salute desperantibus, in Lithuaniam concesserat, ibidem extremum uitæ diem claudit, ne quicquàm eum proceribus regni subsequentibus, ut in præsentia uiui de nouo rege deliberarent, ætatis suæ Rex potentissimus ac in orbe Christiano celebratissimus. Natus anno millesimo quingentesimo uicesimo, Augusti die secundo, minutis triginta octo ante tertiam horam matutinam, patre Sigismundo, & matre Bona Sphortia, Iohannis Galeatij Sphortiæ Mediolanensium Ducis, & Isabellæ Arragoniæ filia, puer uix decimum annum agens, paterno regno, patris opera studioq; inauguratus est, cumq; eo annos octodecim regnauit, pòst iuuenis factus uxorem accepit uoluntate patris Elizabetham Ferdinandi Cæsaris, & Hungarorum ac Bohemorum Regis filiam natu maximā, in qua muliere genus cum forma, forma cum comitate & mansuetudine, hæc cum probitate, probitas denique cum pietate certabat, ita ut nescires, quid in ea potissimùm admirareris. Ea uero biennio post nuptias celebratas, magno multorum luctu extincta, atq; Regni habenis pòst patris octogenarij obitum, anno quadragesimo nono, ad solum Sigismundum deuolutis, Barbaram Radziuilliam Lithuanicam inuitis Regni proceribus uxorem duxit. Cæterùm & ea statim post coronationem uita functa, ipse triennio

nió in uiduitate transacto, alteram Ferdinandi Cæsaris filiam Catharinam, Anno 1572
quæ prius Francisco primo Mantuæ duci elicata fuerat pontifice legibus cũ
saluente: matrimonio sibi iunxit. Id quòd tale fuit, ut plus molestiarũ, quàm
iucunditatis uel uoluptatis coniugalis habuerit. Cùm autem huc usq; tran-
quillitatis studiosissimus bella à suis auertisset, atque pacem cum finitimis
initam firmiter coluisset, tandem intestina Liuoniensium dissensione, ex o-
tio in bellum pertractus, de regni incremento & amplificatione cogitatio-
nes suscepit. Nam cum anno 1559. inter Archiepiscopum Rigensem Vuil
helmum ex Brandenburgica familia natũ & ordinis Teutonici magistrum
dissensione, cùm ob Euangelij prædicationem in Ecclesia Rigensi, tum ius
comitiorum indicendorum exorta, res eò deuenisset, ut Archiepiscopus u-
trumque impediturus, post uarias uelitationes in arce Kokenhusen conclu
sus, fame atq; penuria rerum omnium coactus, se magistro unà cum com-
militonibus dedere cogeretur, & toto penè anno, non ut prouinciæ, ac ciui-
tatis consors, uel præsul, uel Brandenburgicæ familiæ princeps, uinctus de-
tineretur, sed ueluti barbarus hostis tractaretur. Sigismundus nepotis serui-
li captiuitate cognita, Legatum ad ordinis Magistrum Vuendam ablegauit
cum mandatis, ut quandoquidem in bello, nepos Vuilhelmus captus esset,
hic indignissimo carcere liberaretur, & omne dissidium inter Archiepisco-
pum & ordinem Teutonicum amanter componeretur. Cæterùm Teutoni-
ci ordinis Magistro legatum in Poloniam re infecta dimittente, Sigismun-
dus, qui operam suam sperni molestè ferret, ordinis Magistro, omnibusq; e-
ius auxiliarijs bellum denunciat. Cuius exitus is fuit, ut etsi ordinis Magi-
ster aliquot uexilla peditum, & equitum Germanorum, cum copijs trium
Episcoporum, Torpatensis, Riualiensis, & Gabselensis contra Polonos e-
duceret, tamen cum se à Polonis exercitus multitudine superari uideret, pa
cem à Sigismundo petendam censuerit, eamq; hisce conditionibus impetra
rit, ut ordinis Magister Archiepiscopum in pristinum statum restitueret, o-
mneq; damnum ac detrimentum eidem illatum rependeret, præterea Polo-
no stipendia in milites erogata refunderet. Videbatur harum conditio-
num acceptione Liuonia pacata, quantumuis Liuonibus clanculum mus-
sitantibus, ab ordinis Magistro omnem prouinciæ thesaurum, & nullo cum
fructu, aut ciuium utilitate consumptum: sed ecce Moschus suæ occasio-
ni intentus, quod & induciarum antea cum Liuouiensibus pactarum finis
esset, & Liuonienses inter se alienatos sciret, Torpatensem Episcopatum
Liuoniæ ingenti exercitu, nimirum trecentorum millium hominum, Duce
Petro Sisegaleider strenuo olim pirata inuadit, eumq; ferro & igni uastat, &
per multa milliaria, omnia cæde, rapinis, fœdissima barbarie & immanitate
complet, pueros infra annum decimum necans, intra decimũ & uicesimum
constitutos, Tartaris hominibus feris uendens, supra uiginti trucidans om-
nes, pecus omne quod in Moscouiam abduci non posset mactans, Germa-
nos mares deprehensos brachijs truncans, fœminas sectis uberibus diu cru
cians, plerasque in frusta discindens & membra palpitantia hac illac disper-
gens, in summa nihil crudelitatis prætermittens non tantum in ditione Tor
patensi, sed & Neruiensi, quæ Magistro Teutonico paret, minimè etiam di-
tioni Rigensis Archiepiscopi parcens. Ideò Liuonici, maximè Rigenses se
in tanta necessitate constitutos, conspicientes, & tardis auxilijs Imperij, cu-
ius superioritatem, ut uocant, hactenus coluerant, diffidentes, à Sigismun-
do defensionem petiêre, quam ipse potentia, fertilitate, ac commoditate ui-
cinæ prouinciæ perpensa Liuoniensibus nòn grauatim præstitit, Moschis
in Liuoniam à cæde sex millium Tartarorum redeuntibus, fortiter sese op-
ponens, & quo Liuoniæ concordiæ prospiceret, ordinis Teutonici autori-

tate

Anno 1572 tate in Liuonia sublata Gothardū Ketlerum ex nobili familia in Vuestphalia natum, ex Magistro Teutonico, Ducem Curlandiæ faciens. Verùm enimuerò dum Sigismundus Liuoniensibus contra Moschos succurrere cogitaret, factum est, ut horum arma in suos Lithuanos conuerteret. Nam in mense Februario anni millesimi quingentesimi sexagesimi tertij, Moschus defensione Liuoniensium, à Sigismundo suscepta irritatus, Lithuaniam omnibus nobilibus & præfectis hostiliter inuadit, ut sic immanitatem & plus quàm beluinam crudelitatem toti orbi notiorem redderet. Ingressus itaque Lithuaniam maximis copijs, arcem munitissimam Polotzko ui cepit, multis millibus hominum occisis, & alijs in seruitutem abductis. Fuit hæc clades Polonis perquam grauis, cum ob alia, tum uerò arcē Polentzko amissam. Quare Sigismundus, neutiquam sibi conquiescendum putauit, quo ad suos barbarica Moschi tyrannide liberaret: ideo inducijs sibi à Moscho denegatis anno subsequenti, qui erat sexagesimus quartus, Moschos in Lithuaniam redeuntes, ad Vlium oppidum, uirtute Nicolai Ratziuilij profligatos, Lithuania eijcit. Interea uerò cum graue ac diuturnum bellum inter Regem Daniæ, socios'que Lubecenses, contra Ericū Schuuediæ Regem exortum esset, atque hunc id moliri cognouisset, ut toto mari Balthico occupato, & latronibus atque piratos infestato, mare ipsum suæ potestatis faceret, Polonicasq́ ditiones oppugnaret, ipse, quo conatus Erici infringeret, ueteremque maris & commerciorum libertatem & securitatem tueretur, societatem cum principibus Prussiæ, Pomeraniæ, & Megapoliæ, dictisq́ confœderatis inijt. Eaq́ durante, Christophorum Ducem Megalopolensem electum Coadiutorem Rigensis Archiepiscopatus, quod in suspicionem uenisset, quasi cum hostibus Regni Polonici consilia agitasset, cœpit eum'que Vuildæ clementer exceptum, per aliquot annos in custodia habuit. His rebus ita gestis publico consensu Lithuaniam, cæterasque regiones Poloniæ coniunxit, ac tandem in ducijs cum Moschouita factis, ut exitiale bellum Schuuedicum inter sororium Iohannem Schuueciæ & Daniæ reges adhuc durans, æquis conditionibus componeretur, unà cum alijs regibus ac principibus intercesit. De alijs eius priuatis uirtutibus à nobis hic plura commemorari necesse non esse, id alijs facturis quibus ea notiores sunt quàm nobis. Beneuolentia uerò, qua illustrissimam familiam Brandeburgicam ob agnitionem amplexus est, ad omnem posteritatem prædicanda est. Siquidem ut liberationem Vuilhelmi Archiepiscopi Rigensis taceamus, & fratrem eius Albertum primū Prussiæ Ducem ab Imperatore proscriptum clementissimè protexit, & protectum adamauit ac coluit: filij præterea adolescentis Alberti Friderici patre defuncto, tutelam clementer suscepit, ut'que propensionem ergà cognatam familiam Brandenburgicam ad omnem posteritatem declararet, eam totam, casu quo proximiores absque liberis atque legitimis hæredibus decederent, successionis Borussiaci ducatus capacem esse uoluit. Decessit nullo ex tribus uxoribus hærede relicto, ultimus Regum Polonicorum ex stirpe Iagellonea Lithuanica, quæ ab anno millesimo trecentesimo octogesimo sexto, in hunc usque diem quo Sigismundum mortuum diximus, magna cum laude res Polonicas rexit: Iagello siquidem, siue Iagula magnus Lithuaniæ Dux qui cum matrimonio Heduuigis demortui Ludouici Regis Vngarorum & Polonorum filiæ, regnoq́, fide Christiana recepta Vladislaus secundus est dictus, quasi qui gloria potens futurus esset, decrepita admodum ætate, ex quarta uxore Sophia Russa Kiouiensium Ducis filia, duobus filijs Vladislao tertio, & Casimiro susceptis, pòst mortem regnum ad Vladislaum filium transmisit, eum, qui Vngarorum quoque Regnò suscepto, & profligatis cum gloriæ aliquot

Turarum exercitibus, cùm prius ad Macedoniæ, deinde ad Thraciæ fines magis animosiore quàm ualidiore exercitu penetrasset, apud uernam inter cortortissimos hostes dimicans, certam propemodum uictoriam cum uita pariter amisit. Post hunc autem sine liberis decedentem, cùm Polonis undecim, Vngaris quinque annis præfuisset, Casimirus natu minor frater regnum suscepit, qui Elizabetha filia Alberti Romanorum, Vngariæ, & Bohemiæ Regis & Archiducis Austriæ, & Ladislai Vngarorum & Bohemorum Regis, sorore in Regni sociam ascita, ex illa filios sex, & filias septem sustulit. Ex his Vladislaum natu maximum uiuens Bohemis, Casimirum ac deinde Iohannem Albertum Vngaris Reges dedit: Sed utroque hoc dissentione partium deserto Vngariam quoque cum Bohemia Vladislaus obtinuit. Ex quo & Beatrice filia Ferdinandi Regis Arragoniæ & Siciliæ nati Ludouicus filius, qui bimulus uiuente patre coronatus, cùm ei exacta ætate mortuo in utroque Regno successisset iuuenis admodum Turcico bello anno millesimo quingentesimo uicesimo sexto: apud Mohatium miserabiliter periit, & Anna filia, quæ nupta Ferdinando Cæsari eum quindecim liberis beauit: filiis quatuor Maximiliano, Ferdinando, Iohanne, & Carolo: filiabus undecim, Elizabetha, Anna, Maria, Magdalena, Catharina, Leonora, Margareta, Barbara, Vrsula, Helena, Iohanna, de suprà memoratis uerò duobus filiis Casimiri Regis. Casimirus quidem iuuenis castissimus & religiosissimus, in Lithuania immaturam mortem obiit, non sine celebri sanctimoniæ fama. Iohannes Albertus post patrem octo & amplius, deinde hunc secutus Alexander quinque annos regnarunt: ille quidem maximi animi, sed ante susceptum regnum, quàm regnans felicior. Hic à Moschis apud Vedrusios uictus eosdem apud Opascam, Tartaros uerò Tauricos apud Clescum paucis ante mortem diebus, insignibus prælijs profligauit. Post hos natus est Sigismundus, Sigismundi de quo loquimur pater. Hunc secutus Fridericus sacris initiatus, Archiepiscopus Gnesnensis, simul'que Episcopus Cracouiensis, & Romanæ Ecclesiæ Diaconus Cardinalis S. Luciæ in septem Soliis. Porrò filiarum Casimiri duæ immaturè mortuæ, Heduuigis Georgio Duci Bauarorum, Sophia Friderico Marchioni Brandenburgensi, Anna Bugislao Pomeranorum, Barbara Georgio Saxonum, Elizabetha uerò (patre mortuo) Friderico Legnicensium & Bregensium ducibus matrimonio iunctæ fuere. Cæterùm Iohanni Alberto, & Alexandro fratribus sine sobole decedentibus, in Regno Poloniæ successis Sigismundus amborum frater, bellis cum potentissimis Moschis, ferocissimis Tartaris, acerrimis Valachis, & fortissimis Germanis, feliciter gestis clarissimus, qui initiò in matrimonium ducta Barbara Stephani Comitis Scepusiensis, ac Transyluaniensium Palatini filia, fœmina sanctissima & pientissima, ex ea filiam Heduuigiam suscepit, fœminam lectissimam iunctam matrimonio Ioachimo Marchioni Brandenburgensi, Electori Romani Imperij. Deinde uerò ea defuncta ex altera Bona Sphortia Iohannis Galeatq Sphortiæ Mediolanensium Ducis, & Isabellæ Arragoniæ filia maximam natu filiam Isabellam Iohanni Regi Vngarorum affini iam prius suo nuptui tradidit: reliquarum uerò trium, post mortem Sophia nupsit Henrico Iuniori Duci Brunsuuicensi, Catharina Iohanni Duci Finlandiæ, iam Schuuedorum Regi potentissimo, Anna adhuc uirgo dignas suo genere nuptias expectat. Ad extremum filius Sigismundus Augustus, cùm eo quo diximus modo regnasset, sine liberis decedens, obitu suo non tantum exteris compluribus, Regni uacantis ambiendi occasionem præbuit, sed & inter Regni proceres diuersa studia graues'que contentiones excitauit, quibusdam Anno 1572

Anno 1572 dam hunc, aliis alterum Regem eligi poſtulantibus.

Octauo Iulij Auraicus copiarum quas collegerat, maxima parte congregata, Rhenum tranſit, ſeq; in Geldriam conuertit.

Nono Iulij Viennæ poſt frequentes pluuias Danubius ita inundare cœpit, ut poſt hominum memoriam hoc anni tempore, maiorum aquarum illuuies non fuiſſe exiſtimetur. Hoc eodem die in Holandia Harderuuicum à Geuſijs occupatur.

Decimo Iulij die, filius Ducis Albani Fridericus Toletanus, caſtra ad Mōtem Hannoniæ metaturus, à præſidarijs Montanis erumpentibus in fugam compellitur, uulneribus ita ſauciatur, ut Bruxellas ſeſe reciperet. Vulneratur etiam ſclopo maiore Marchio Vitellius Romanus, ductor militiæ.

Decimo nono Iulij Cæſarea Maieſtas, licet antea decimo quinto eiuſdem, Auraico eius'que adhærentibus, ad inſtantiam gubernatoris ac præſidium Belgij, ſub priuatione & amiſsione omnium regalium, feudorum, priuilegiorum ac iurium, quæ ab Imperio haberent, & ſub indignatione Cæſarea, ac pœna pacis publicæ ſeriò mandaſſet, ut ſtatim poſt inſinuationem Cæſarei mandati à propoſito ſuo, & paci publicæ contrario bello, deſiſterent, nec contra Belgicum, uel ullum eius ſtatum, uel priuatas perſonas de facto quicquam attentarent, & omnia loca per uim & contra pacem publicam occupata, relinquerent, Regi'que Hiſpaniarum Philippo eiusq; gubernatoribus reſtituerent, & copias tàm equeſtres quàm pedeſtres congregatas dimitterent, ulteriorem'que earum concurſum ſiſterent, formulas obligationis militaris confectas, irritarent, nec quiſquàm ſeditioſi huius propoſiti, uel conſilio, uel re, uel auxilio participem ſe redderet, ſed iuxta formulam pacis publicæ ac conſtitutiones Imperij degeret, tamen literis Auraici (quarum ſuperius meminimus) acceptis ad eas hoc quoque die reſpondit, ac breuiter capitibus literarum Auraici repetitis, fatetur, ſuam Maieſtatem omnium rerum anno ſexageſimo octauo geſtarum meminiſſe: præcipuè uerò interceſſionis pro ipſo, apud Philippum Regem Hiſpaniarum, quo nonnihil de indignatione concepta remitteret factæ, ex paterna propenſione, & ſingulari ſtudio concordiæ ac tranquillitatis, cùm ſpe optima, ſi ipſe exigui temporis patientiam præſtare potuiſſet, rem effectus expertem futuram non fuiſſe. Cùm uerò è contrario ipſi conſtet, quomodo interceſsione Cæſarea nondum expedita, cauſam armis, manui'que militari commiſerit, & cum ſuo ipſius, aliorumq; multorum innocentium ſubditorum, extremo ac irrecuparabili damno, contra pacis publicæ atque Imperij conſtitutiones, ſua Cæſarea Maieſtate inconſulta, imò eius mandato pœnali ſpreto, copias equeſtres ac pedeſtres leuarit, ac Philippi Regis Hiſpanicarum terras hæreditarias in Belgico hoſtiliter inuaſerit, & hoc ipſo non ſolùm ſperatam reconciliationem, ac omnem diligentiam à Cæſarea Maieſtate adhibitam repudiarit, ſed & per damna Belgico illata & contumacem rebellionem, Regis Hiſpaniarum indignationis flammam ſubiecerit, quaſiq; oleum igni addiderit. Ideò dum facilè perſpicere aduerſa quæ ferat, nemini niſi ſibi ipſi imputanda, ipſumq; propter inobedientiam atq; contemptum mandatorum Cęſareorum & uiolatam pacem publicam, non tantum in indignatione Cæſareæ Maieſtatis atque Imperij hærere, ſed & teneri ad reſarcienda damna, omnibus quos læſerit. Quantum uerò ad præſentem expeditionem attineat, quàm prætendat præcipuè ideò ſuſceptam, quò Belgicum ad debitam obedientiam Regis Philippi deducatur, & ſublatis innouationibus patriæ antiqua libertas reſtituatur, Maieſtati ſuæ nondum liquere, quale mandatum ipſe, à Rege, cuius diſpoſitioni hæc ſola re-

licta sint, habeat, cum ex nouissima Philippi Regis requisitione apud suam Maiestatem, & ordinatione regiminis ita facta, ut nulla alia opus sit, contrarium penitus appareat, & tota hæc actio magis rebellioni quàm obedientiæ conformior sit. Nolle Cæsaream suam Maiestatem ipsum celare, quòd quoad suam personam tanquam Cæsarem spectet prætensam atque fucatam excusationem pro irreleuanti habeat, nec acceptare possit, sed expeditionem, tanquam contra præcipuum membrum, & eximium circulum Imperij, iuratum principem ac magistratum ipsius, sua Maiestate inscia atque inconsulta susceptam, pro uiolatione pacis publicæ, inuasione illicita contumaci ac illegitimo modo facta habeat, per quam ipse, & omnes eius adhærentes uigore constitutionis de pace publica, in pœnas eiusdem ipso facto inciderit, ac nisi à proposito destiterit, unà cum ipsis, omnibus priuilegijs, iuribus, libertatibus bonis ac facultatibus priuandus sit, prout id ipsi & adhærentibus speciali mandato, significatum sit, quod hisce renouatum uelit. Anno 1527.

Vicesimo primo Iulij Aurantius Aldenkürchij ad dimidium milliare, à Ruremunda castra locat, bona spe fore, ut ea deditione facta æquis conditionibus transitum cum alijs necessarijs concedat, maximè cum propriæ manus literis sese ad defensionem ciuitatis contra Albanum obligaret. Verùm Ruremundanis ei non tantum transitum denegantibus, sed & bis literas a tubicine deditionem amice efflagitante recipere respuentibus, Auraicus insolentia ipsorum commotus, in terrorem aliorum circiter horam duodecimam noctis, ciuitatem oppugnare incipit eamq; oppidanis uiriliter resistentibus hora sexta matutina capit, ex suis ad sedecim amissis, oppidanorum uix ultra quatuor cæsis: In Ecclesiasticos tamen, qui Episcopo ciuitatis nouo, fuga elapso, remanserant; asperius actum, & præsidij in urbem ab Albano introducti, capitaneus Flayus, duosq; Consules, & Iudex in uincula coniecti. Auraicus nulla alia re nisi aliquot machinis bellicis & transitu potitus, mox inde Helienradium mouit. Est uerò Ruremunda una ex quatuor Geldriæ ciuitatibus insignior, à Ruere fluuio illi Mosam influente, denom.nata, præter antiqua decora, institutione nouæ Episcopalis sedis, ex insula S. Mariæ & Abbatia Euerbodiensis ditata, ornata.

Vicesimo primo Iulij Carolus Lotharingiæ Dux, qui Philippum Iuniorem, comitem Hanauuiensem beneficiarum ducatus Lotharingici rebellionis & inobedientiæ insimularet, Bitschium & Lemburgam arces, cum adiunctis oppidulis pagis, & uillis, ei occupat. Res uerò breuiter ita se habet, Anno millesimo tricentesimo secundo, dicta arx Bitschiana, cum appendicijs, permutatione castelli Mersburgici & Gemundici, à Friderico Duce Lotharingię, cum Eberhardo Comite Bipontino facta ad hunc peruenit, hac conditione, ut ipse atque hæredes, dictam arcem cum adiuncto oppidulo à Lotharingico eiusq; hæredibus, in hæreditarium beneficium reciperent. Idq; à Comitibus Bipontinis usque ad mortem Iacobi ultimi, eius familiæ factum est. Huius uerò filia unica Margarita, Ludouica, Philippo Iuniori Hanauuiensi in matrimonium elocata, atque ex ea liberis susceptis, Hanauuiensis tanquam legitimis administrator liberorum, nomine eorum à Lotharingo, citra ullam formulæ feudalis immutationem, beneficium recipit, eiq; fidelitatem iurat. Sunt enim Lotharingica feuda eius proprietatis atque naturæ, ut filiæ una cum masculis eorum capaces sint, nec iuxta feudalia iura in Germania recepta, extantibus masculis fœminæ excludantur, sed feuda allodialibus, ut uocant, in succesione æquiparentur. Verum enimuerò etsi Bitschium cum pertinentijs, feudum Lotharingicum sit, tamen in territorio & Iurisdictione Imperij situm, eidem ut membrum insertum, in

matri-

Anno 1572 matriculam Imperij relatum, eiusq; possessores tributa Imperio soluerunt, eidemq; re ac necessitate exigente auxilia subministrarunt. Hisce tamē non attentis, Lotharingici procurator generalis Nancej Iacobo Comiti paulo ante discessum è uita ob contributiones litem mouet, & post obitum eius Philippo genero tanquam legitimo administratori liberorū, ad reassumendam causam diem dicit, ea intentione, ut Imperio, superioritate quam uocāt, in Bitschiana ditione adempta, eam sibi uendicet atque attribuat. Imperator ergo hoc cognito, quo & iura Imperij, & liberorum Hanauuiensis conseruentur, octauo Augusti anno septuagesimo primo Lotharingico sub pœna grauissima mandat, ne contra Comitem ulterius procedat, sed processus inchoatos casset, irritet, atque annihilet, & cum Comite eiusq; subditis ordinario iure experiatur. Adhæc Camera Imperialis procuratore fiscali supplicante Comiti mandat, ne in præiuditium & imminutionem contributionum Imperij, ullum assensum Lotharingico præbeat. Hæc ergo Lotharingicus molestissimè ferens & à Comite profecta esse existimans, indignatione contra eum concepta, de ipso priuando cogitationes suscipit. Verùm cum Comes id agi intelligeret, hic fama rei percrebrescente, nobilem puerum ad Iohannem Salmensem, non tantùm, ut Mareschallum Lotharingicum, sed & parentis Philippi senioris amicum ac fratrem decimo Iunij mittit, se cum deprecatione noxæ, si quæ commissa sit ad sufficientem excusationem offerens: Respondet Salmensis Hanauuiensi amicè, ac sibi de nullo bello cōtra Hanauuiensem constare ait, bombardarios quidem quosdā conscriptos asserens, sed non alia de causa, quàm pro custodia corporis Principis, pueroq; dimisso, ut seniori Hanauuiensi salutem dicat, iniungit. Confisus huic nunciationi Hanouuiensis, nihil mali suspicatur nec contra uim hostilem ulla necessaria præparat. Ac Lotharingicus interea copijs tàm equestribus quàm pedestribus per Iohannem Salmensem, & Africanum de Hasseuille & Theodoricum Schonbergicum contractis, ita eas progredi iubet, ut Comitis exploratores uicesimo Iulij emissi à Schonbergico interciperentur, ac ipse uicesimo primo Iulij non sine periculo Bitschio relicto, euaderet, Lotharingicis post meridiei horam tertiam Bitschium ultra quatuor millibus hominum circumuallentibus, ac nulla ut Comes cōquestus est denunciatione bellica præcedente, arcis deditionem efflagitantibus. Cùm itaque arx, nec milite, nec commeatu instructa esset, præfectus eam Lotharingicis dedit qui mox uicesimo secundo subditos Hanauuiensis priore iureiurando nondum solutos, in suam fidem adigunt, atque Bitschium in graue uicinorum præiudicium munire incipiunt. Porrò uerò uicesimo quarto eiusdem mēsis Theodoricus Schombergius ad Lembergam, quæ pro dimidia parte iuris Lotharingici est, occupandam missus, eam totam iuris Lotharingici facit, Salmensi uicesimo septimo ueniente, omnes subditos Principis iureiurando itidem obstringente arcemq; eius oppidi ualidis præsidijs firmante. Hæc uerò res non tantùm Hanauuiensi, de ui sibi illata apud ordines Imperij conquerendi, sed & omnibus uicinis de suis rebus in tam turbato rerum statu cogitandi, occasionem præbuit, quolibet hæc in graue præiudicium uicinorum, & contemptum Imperij constitutionum suscepta esse interpretante, ita, ut & Cæsar postea decimo sexto Septembris causas huius rei à Lotharingico exposceret, & decimoseptimo Nouemb. circulus Rhenanus ob id congregaretur. In quo quidem Lotharingicus cū suis tale factum purgare studuit, sed quo euentu, tempus, rerum omnium ueritatē in lucem proferens edocebit. Neq; enim Hanauuiensis tantum de Bitschio occupato sed & Iohannes Nassauuiensis de duobus monasterijs Lungefeldensi & Vuadgassio sibi itidem à Lotharingo ereptis conquerebatur.

Hoc

HOc eodem mense 17. Iulij cū Genlisius conscripto milite Gallo circiter 4000. peditum, equitesq; quadrigentos Ludouico comiti Nassauio Montium Hannoniæ subsidio duceret, ab Albani copijs ad Diuum Gislenum Hannoniæ pagum partim unà cum duce capti, partim læsi atque profligati sunt. Anno 1572

Vicesimo tertio Iulij Vranius, cum s. eiusdē eas copias, quas secum habebat cepisset traducere Rhenū, Ruremundā Geldriæ ciuitatē expugnauit.

Trigesimo Iulij Flissingenses ut Middelburgensibus commeatum adimerent, perfoderunt aggerem quendam, quo rupto, omnes segetes, quę adhuc in agris erant, aquarum illuuie corruptæ fuerunt, cùm ad spicas usque demergerentur.

Vltimo Iulij nomine Vranij Theodoricus ab Hastem occupauit Bommelum Geldriæ oppidum.

Nono Augusti Geusij, qui ab Vranij partibus stabant, occuparunt Xyrixeam Zelandiæ oppidum.

Decimo quarto Augusti aliquot turmæ equitū, & signa peditum, ex Vranij castris excurrentes ceperunt Hornensis comitis oppidum Vuiert, sed cum arcem eius, quam Hispani præsidio tenebant, frustrà oppugnassent, oppidum rursus deseruerunt.

Decimo octauo Augusti nuptiæ maximo apparatu Parrhisijs inter Heinricum Nauarræorū regem & Margaretham sororem Caroli Franciæ Regis celebratæ sunt.

Vigesimo secundo Augusti Caspar Colignius Castilionęus Amiralius Franciæ cum è Senatu, qui mane in Lupara regia Lutetiæ arce habitus erat, domum reuerteretur, obuius factus regi è sacrario, quod est è regione Luparę exeunti, eum prosecutus est ad splerisphærium usque, inde ut pransum iret, egressus, nobilibus aliquot comitatus, nondum cētum passus processerat, cum supplici libello legendo pedibus iter faciens intenrus à sclopetario quodam è proximarum ædium clathrata fenestrà glandibus plumbeis ictus est. E globulis unus indicem manus dexteræ abstulit, altera sauciatus est in brachio læuo. Rex facinoris illius quęstionem qui haberent, tribus è curia Parrhisiensi delectis, mandauit.

Vigesimo quarto Aug. q Diuo Bartholomęo festus est, armatorū turba bene mane, facto sibi aditu in ędes Amiralij per custodē quendam, Amiralium in conclaui suo cum ministris occidunt, sublatumq; semianime adhuc corpus per fenestram abijciunt.

Amiralio interfecto mox Rex Nauarrę & Heinricus Princeps Condæus, Ludouici filius ex cubiculis suis in arce Lupara ad regem sunt deducti. At comites eorum, & administri in area perempti sunt.

Inde in Hugonotos, qui Lutetiæ erant, fit impetus, interfecti comes Rupefocaldus, Teclignius gener Amiralij, Marchio Renellius, Forsius cum filio, pręses Placianus, P. Ramus, Chappęus Iurisconsultus, Lomenius Secretarius regius, & alij.

Fontaneus frater Rohanij, Vidamus Carnorensis, comes Mongomerius, Calmontius Bellouacus & alij quidam nobiles Hugonoti, cùm trans flumen in suburbijs S. Germani hospitia haberent, his de rebus commonefacti fuga euaserunt.

Vigesimo quarto Augusti Circiter quintam pomeridianam publice regis nomine Imperatum, suam se quisque domum reciperet, solis militibus & commissarijs cum suis satellitibus fas esset armatis in urbe uersari, qui secus faceret capitale fututum.

Vigesimo quinto Augusti quotquot Hugonotorum inueniri potuerunt,

VVuu cæsi,

Anno 1572 cæsi,& eorum bona direpta. Circiter meridiem eiusdem diei rubus signifer in cœmiterio Innocentium præter anni tempus,emisit florem.

Etsi iisdem diebus rex missis ad prouinciarum suarum rectores & legatos literis significauit à Guisianis cum accepissent necessarios Amiralij uulnus illud acceptum ulcisci statuisse,ut illos anteuerterent, seditione concitata,& cohorte,quam præsidij causa Amiralio attribuerat perrupta,impetuq; in ædes facto,Ammiralium multosq; alios in alijs Lutetiæ locis trucidatos, seq; non parum negotij habuisse in arce sua Lupara tuenda tamen 26. die fratribus & aulæ proceribus comitatus in palatio Lutetiæ collectis omnibus curiæ classibus affirmauit ob conspirationem aduersus se, matrem fratresq; suos & regem Nauarræ factam,Ammiralium ac alios coniuratos mandatu suo de medio sublatos,& hanc suam denunciationem in acta referri, & per proceres prommulgari imperauit.

Mox edictum per proceres tota urbe regis nomine promulgatum,ut deinceps cedium ac trucidationũ finis fieret, atque ab expilationibus & rapinis abstineretur.

Dum hæc Lutetiæ geruntur equites Cataphracti Gongazę Ducis Nauarrensis plærique Itali, cum crebro sub specie commercij Charitum oppidũ accessissent,nimis ad oppidi custodiam attentos Charrianos sub noctem oppresserunt. Circiter idem tempus amplius ducenti Strozziani milites armati Ruppellam ingressi sunt, prætextu instaurandi arma & emendi cibos qui timore nescio quo correpti clanculum oppido excesserunt.

Parrhisiense exemplum pleræq; reliquę ciuitates & oppida in omnibus fere regni prouincijs in interficiendis Hugonotis,eorumq; bonis diripiendis imitantur.

Vigesimo septimo Augusti Vranius,posteaq; se ei Ernestus Mandeslous cũ suis coniunxerat,qui 4.huius mẽsis Rhenũ traiecerat, omni exercitu per pontem naualem Mosam, qui Roremũndam præterfluit traducto ,in Brabantiam mouit,& postridie Hasseltum uenit.

Vigesimo octauo Augusti, Rex publica declaratione omnibus proceribus,nobilibus & subditis significauit suo mandato & Impio Ammiralium, & qui cum illo sentiebant necaros,nõ propter ullã religionis causam neque edictum ipsius pacificatorium abrogetur, quod non secus ac ante posthac obseruari uult, sed ut cõspirationem Ammiralij & assectarum anteuerteret. Quare declarat se uelle ut omnes homines religionis reformatæ iuxta edicti pacificatorij præscriptum in domicilijs suis sub Regis præsidio & autoritate tutos esse, & magistratibus suis mandat, ne quid in eos moliantur moliriue patiantur indicta pœna capitis imorigeris, uetatq; ut occurrãt turbis, donec tranquillitatem regno restituerent, ut religionis causa captiui,nihil duris fecerint,aut conspirationis participes,cuius rei cognitionem sibi reseruat liberi dimittantur.

Trigesimo præsidium Vranij Mechliniam ingressum est.

Quinto Septembris Vranius cum aliquot dies Louanium obsedisset,tandem cum ciuibus transigit, & centenã pecuniæ summam ijs imperat, atque inde Montem Hannoniæ contendit, ut eam urbem ab arcta obsidione Albani ducis liberaret.Iam enim Hispani monasterium urbi propinquum, cæso & eiecto prẹsidio Nassouij, occuparant, & Albanus ipse in castra uenerat, & magna aliquot tormenta eòdem perferri curarat, atque inde summa ui urbem continuò oppugnarat, subsidioq; noui Germani militis adauctus erat.

Septimo Septembris Geusij ceperunt Aldenardum munitum Flandriæ oppidum

Octauo

Octauo Septembris Vranius summa celeritate usus cum suo exercitu ad castra Albani ad Montem Hannoniæ inopinatò peruenit. Anno 1572

Nono Septembris Vranij miles frustrà tentat irrumpere in castra Albani, & urbem reiectis tormentorum & sclopetariorum ictibus.

Duodecimo Septembris Albanici ex insidijs castra Vranij adorti, cęsis excubijs multum ei detrimenti intulerunt.

Postea Vranius re infecta cum exercitu regressus est in Brabantiam.

Decimoseptimo Septemb. Vranius rediJt Mechliniam ubi cum maiorem ciuium partem & à mutatione religionis & à collatione pecuniæ ad sustinendos belli sumptus abhorrere uidit, postridie cum maxima exercitus sui parte Ruremundam profectus est.

Decimonono Septemb. Ludouicus comes & alij, qui Montem Hannoniæ tenebant collocuti sunt cum Albano de deditione.

Circa finem Sept. regiæ copiæ seu pontificij in Gallia Rupellā obsiderūt.

Prima Octobris multi ciuium Mechliniensium aduenientibus ad urbem Hispanis Albanicq; copijs & obsidionem minitātibus cum præsidio, quod ibi Auraicus reliquerat, noctū aufugerunt. Qua de re Albani milites certiores facti postridie summo manè, nemine resistente, Mechliniam irrumpentes, in diripienda urbe ornatissima & rerum omnium plena & opulenta totum triduum consumpserunt, tantamq; inde prædam cæperunt, ut ea uicina oppida & ciuitates repleuerint.

Lutetię typis ædita sunt cum priuilegio regis Francię exempla literarum Heinrici regis Nauarræ, Caroli Cardinal. Borbonij, Heinrici Borbonij principis Condæi & coniugis eius Mariæ Cliniæ 3. Octob. ad Romanū pontificem datarum, quibus narratur tum Nauarrænum cum sorore, tū Condęum cum uxore & duobus fratribus religione, qua à pueritia imbuti fuerant, abiurata Romanā recepisse, eamq; publicè profiteri, eoq; nomine & ueniā deprecari & indulgetiam atq; matrimoniorum à se cum cognatis contractatorum confirmationem petere.

Vndecimo Octobris soluit Antuerpia classis Albani, ut res necessarias cōmeatumq; in ueheret Middelburgum.

Dienstense oppidum Albanus recuperauit.

Circiter illud tempus Teremondam Albanus recepit.

Paulò pòst Aldenardo Geusi discesserunt.

Albanus Traiecti ad Mosam plærosq; equites à se dimisit. Eòdem multàrum ciuitatum legati purgādi suas & deprecandi ueniam gratia, Albanum adierunt.

Decimosexto Octobris excusum quoq; est Lutetiæ cum priuilegio Regis exemplum ordinationis, à Rege Nauatræno editæ, qua mandabatur ut in omnibus regni sui partibus religio Romana restituatur & qui ex ministris reformatam religionem profitentibus eam amplecti nolunt, ut Regno ditionibus suis excedant, ac ut Episcopi, Prælati &c. & aliæ personæ Ecclesiasticæ possessionem & fructus suorum beneficiorum recuperent.

Decimonono Octobris Albanus Ruremundam ingressus est, quæ eius militi prædæ fuit.

Vigesimo Comes Lumæus nomine Vranij occupauit Schomhouiā Holandiæ oppidum.

Vigesimoseptimo Octobris publicatum est S.C. in Amiralium à curia factum in hanc sententiam: Amiralium Maiestatis conuictum teneri, pacis publicæ hostem, rerum nouarum cupidum, caput, auctorem coniurationis ad uersus regis & regni statum initæ, abominandam eius memoriam & infaustum nomen haberi.

Anno 1572 Vigesimonono Octobris simile Senatusconsultum de diruendis ædibus publicatum & executioni mandatum est, reuera in Cauanium libellorum in regia supplicum magistrum & Briemaldum in primis exercitatum tribunũ militum peritum, & qui sub Francisco & Heinrico Regibus continuo militauerat, & ad annum ætatis septuagesimũ recesserat, qui cum à iudicibus ad tã rem delectis damnati, eodẽ die ad locum supplicij deducti & suspẽsi sunt.

Decimoseptimo Nouemb. circiter septimam Tauri partem, noua quædam & admiranda stella est cõspecta, in sydere Cassiopeç, limbo Galaxiç Boreo affixa, ita ut cum 2.4. & 12. stella Cassiopeç, quæ omnes tertiæ sunt magnitudinis iustum quasi rhombum crucem ue constituerit, immobilis plane, ita ut ab eo, quo primo apparuit loco ne latum quidẽ unguem discesserit, magnitudine & puræ atq; candidæ lucis nitore, ut cum omnibus stellis, excepta Venere, certans, Iouem sane, ad quem tum in Ariete positum respiciebat, superãs, radiorum emissione & uibratione infixa etiam sydera anteuerrens. Paulatim uerò & quantitate & splendore decreuit, ita ut tandem ad finem Ianuarij mensis anno 74. conspectum nostrum fugerit. Motus, altitudo, forma, lux, color, radiatus, diuturnitas huius φασματος, id plane admirabile: & singulare reddunt: cùm à condito mundo nullum eiusmodi emicuerit. Dignum profectò, quod & in naturæ eius inquisitione, & præsignificationis animaduersione, & expositione omnium præstantium astrologorum ingenia exerceat, & principum animos ad liberales sumptus in hanc operam suppeditandos exciter.

Decimosexto Nouemb. Albanici Zutphaniam receperunt, ciuibus deditione facientibus, reluctãtibus militibus, qui in præsidio erant, qui licet strenuè uim hostium propulsarent, ab ijs tamen superati cæsiq; sunt, & urbs cõmeatu abundans expoliata.

Campenses, Schuualenses, Amersfenenses, & aliæ ciuitates circiter 17. acceptá Zutphaniæ occupatione se Albano dedunt.

Decimo octauo & 19. Narda Hollandiæ oppidum, quæ ad Vranium defecerat, ab Albanicis recuperatur, & contra fidem datam diripitur & inflammatur. Quæ res reliquas Batauorum ciuitates irruptionis mouit, quò minùs se Albano dederent.

Principiò huius mensis Decembris Albanici, nemine resistente, occuparunt Cluenartum insulam fertilem & copiosam. Cùm circiter 400. Galli & Angli qui eam tenebant, inde aufugissent.

Vndecimo Decembris in uilla quadam ad Amsterodamum natus est uitulus biceps, gemino dorso, & octo pedibus.

Decimo tertio Decemb. Albanici militem Vranij, qui subsidium Harlemijs laturi, in pago quodam commorabantur, inopinantem oppresserunt, & ad septingentos interfecerunt.

Vigesimo Decembri Hispani dum Harlemum irrũpere summa ui conarẽtur, fortiter repulsi, ponte, quem fecerant, interrupto ex ijs amplius ducenti submersi cæsiq; sunt.

RERVM MEMORABILIVM HINC INDE GESTArum, Anno à Christo nato 1573.

Anno 1573  Rioribus diebus 15. mẽsis Ianuarij ita tormentis deiecti sunt muri Harlemi persistentibus in obsidione Albani copijs, ut necesse haberẽt, obsessi eorũ loco altas fossas facere, & magnos aggeres iacere. Posterioribus uerò magna annonç copia allata est in urbem: cũ interea Albani milites in castris graui annonæ inopia fameq; laborarent.

Nona

Nono Ianu. D. Castreus Prouinciæ Biturigũ præfectus Fanum Sereris uulgò Sanceerranam urbẽ obsidione cinxit Vranici bellicis tormẽtis maioribus addũctis, quibus tam crebro effulminati cœptum, ut muro ipso diruto & strato ruinæ ad 500. passus paterent. Anno 1573

Decimo quinto Ianuarij Veneti Catarum, Turcis qui præsidio erant partim cæsis, partim captis, expugnant. Potiti 17. tormentis magnis & 10. mediocribus, & in portu 5. nauibus.

Vigesimo septimo Ianuar. intercepta est à Flissingensibus classis Hispanica, quæ ex Biscaia Antuerpiam nauigabat.

Toto Februario mense res & ad uictũ & munitionis necessariæ, à Geusijs Harlemũ sundallãte, multi etiã milites obsessis subsidio uenerunt. Cũ qui in obsidio ne erant, prohibere nõ possent: quò minùs Leida alijsq; Batauiorum oppidis & urbibus liberè & tutò nauigaretur.

Decimo quinto Feb. Ambo fratres regis Andicus, Alanzonius duces cum rege Nauarræo Condæo principe, comite Rupefucaldio iuniore & alijs Aulicis se regio militi Rupellam obsidenti adiunxerũt, ut maioribus copijs oppugnaret. Itaq; assiduis magnorũ tormentorũ ictib. & pilis mœnia cõcinunt & sternunt, agunt curriculi, parant omnia machinamenta, q̃ ad urbis expugnationẽ genere usa sunt. Oppidani cõtrà urbẽ munire, mœnia reficere, aggeres cõstruere, & infinitas diù noctuq; eruptiones facere, hostes de improuiso adoriri, ut multi ex eorum ducibus fuerint desiderati. Quare licet illis in urbem p̃ muri ruinas pateret aditus, solis oppidaneorum corporibus oppositis: tamen non nisi inuiti, & à ducibus coacti oppugnationem reniabant.

Prima Martij noua manus exercitatorum Hispanorum militum accedit Harlemum obsidentibus.

Tertio Martij ex propugnaculo, quod Euãgelij dicitur, tormentarius globus emissus, ducem Aumalium obtruncauit.

Septimo Martij Flissingenses in Zelandia ad Terneuseum adorti classem Albani in fugam conijciunt.

Cum obsidione assidua Rupellani premerent, penuriaq; uini, & reliquarum rerum laborare inciperent, de pacis cõditionibus cogitare ceperunt. Sed cum de ijs Noæo cum oppidanis non conueniret. 11. Martij an. 73. urbe relicta ad ducis Andæi castra se recepit.

Decimoseptimo & 18. 19. Martij Geusij dum nauibus Harlemo subuenire laborãt, & terra apud Leidam magna damna à comite Bossensi, Amsterodamensibus & Albani milite acceperunt.

Decimo nono Martij, qui fuit dies Iouis ante pascha miles, qui Sancerram siue Cereris castrum obsidebat se magno conatu ad oppugnationẽ accinxit, sed strenuè ab oppidanis propulsatus magno suo malo retrocessit. Itaq; Castreus eminus urbẽ circumuallare statuit, ut frumento & pabulatione Sancerranos prohiberet, circum ipsam urbem ædificatis arcibus suorum præsidio munitis ut illas tandem ad deditionem cogeret.

Vigesimo secundo Martij euaserunt ex arce Tornacensi 37. Galli qui ad Diuũ in Gislenum Hannonia capti, & in arcẽ illã in custodias inclusi fuerant.

Vigesimo quinto Mart. Harlemenses his eruptione factã inuadunt castra Albanicorũ & partim fugatis inde aliq̃t signis militũ multisq; ex ijs cæsis incendũt.

Initio Aprilis comes Bossensis classe Geusiorũ in fugã uersa ac repulsa mariq; Harlemico occupato, eis ad Harlemum nauigationẽ & aditum intercludit.

Septimo Aprilis principes magno nobiliũ numero stipati propugnaculum, Rupellæ 40. machinis bellicis concussum oppugnarunt, sed multis sauciatis, & in his duce Niuernensi, fratre ducis Guisij, Claremontano Goasio, & desideratis amplius trecenris, retrocedere coacti sunt.

Denuò eadem die ter propugnaculum illud ab Andæo oppugnatur, qui toties etiam repulsam passi sunt. Postridie tamen ex oppidanis aliqui ab hoste de

Anno 1573 improuiso opprimuntur & interimuntur. Tandem hoc idem propugnaculum cuniculis euersũ multos hostes adobruit, & oppidũ quasi facto aggere muniuit.

Vndecimo Aprilis Montĳ ciues circiter ducenti in uincula coniecti & supplicio affecti fuerunt.

Decimo octauo Aprilis Cossinius militum tribunus in aggere, in Rupellana obsidione stans, globo tormentario interemptus est.

Gabriel Comes Mongomerius dum in Anglia profugus agit, comitantibus multis nobilibus & militib. Anglis & Gallis, mediocrem exercitum & classem instruxit, ut obsessis Rupellanis auxilium ferret. Itaque soluens nauibus circiter quadraginta octo magnis & paruis, decimonono & uigesimo Aprilis huius anni Rupellæ appropinquauit. Iam in conspectu urbs atque hostes erant, qui os sinus & alueum, quã in portum leui æstu mare influit, nauibus, triremibus, molibus & castellis claudebant: classemque adornabant, cum eo conflictu ri duce Bironio, iussu supremi Regis legati Heinrici tum Andium ducis, ad quam cũ ad tormenti ictũ Mongomerius accessisset, subito cursum reprimere incipit. Interea regĳ segnius prælium capessentem cernentes, magno numero sclopetariorum in naues imposito ultrò ei occurrerunt. Postera luce plurimũ aucta terrestribus copĳs classe regia, & ultrò Mongomerium ad nauale certamẽ prouocante, is una naue frumento & munitionibus onusta amissa retro uela inuertit, & ad Insulã cui ab amœnitate & bonitate pulchræ nomẽ est, è regione Brittaniæ sitæ regressus, arcem eius modico præsidio & tormentis quibusdam munitam capto præfecto & militibus plærisque interfectis expugnauit. At cum accepisset regias copias ad insulam recipiendam aduentare, & ad eas propulsandas in pulchra insula neque portu, neque castellis, alĳsque munimentis satis instructus esset, milesque indies diminueret, paucis nauibus & pauca militum manu in Angliam redĳt.

Vigesimo primo Aprilis Flissingenses conflexerunt cũ classe Albani à milite & munitione & tormẽtis bene instructa quæ Antuerpia 17. Aprilis Middelburgum contendens soluerat, qui superiores facti quinque naues magnas ceperunt, duas demerserunt, unã inflammarunt, interfecto præfecto classis, alĳsque multis qui in eius erant comitatu.

Vigesimo nono Aprilis oppugnata est Rupella & tertiò in propugnaculum Euangelĳ hostes ascenderunt: sed inde rursus strenuo deiecti, & Bironius fœmore uulneratus est. Primo Maĳ promulgatæ sunt Antuerpiæ induciæ inter Anglos & Belgas biennales, inter quos iam annos aliquot ius cõmercĳ interruptum erat, propterea quod anno 69. aliquot naues Hispanicę, quę Antuerpiam pecunia onustæ nauigabant, á regina Angliæ interceptæ, & postea Angli mercatores Antuerpiæ ab Albano uicissimque Belgæ Regis Hispaniæ imperio subiecti in Anglia à regina detenti fuerant. At post proclamationem præcipui mercatorũ Angliæ tum à Gubernatore Senatuque Antuerpiensi magnifico ac splendido conuiuio excipiebant. Aliquot post dies Geusĳ aggerem non pcul Amsterodamo occupaturi, cum Amsterodamẽsibus dimicantes superant, qui ad ducentos ex ĳs interficiunt, octoque eorum nauibus potiuntur.

Octauo Maĳ resistunt ab Albanicis ad Montium oppidũ, Marchionatus Bergensis, situm ad ripam Scheldis fluminis circiter 600. Geusĳ.

Decimo Maĳ ipso Pentecostes festo Heinricus Andiũ dux frater Caroli IX. Frãciæ regis, eiusque generalis per totũ regnũ legatus, filius Heinrici II. pridie ab ordinibus & statibus regni Polonici electus Rex Poloniæ publicè declaratur.

Vndecimo Maĳ noctu Regĳ perueniunt in propugnaculũ, & aliquos somno sopitos de improuiso opprimunt & interimunt, relicto nihilominus oppidanis propugnaculo. Vigesimo Maĳ Mongomerius nauigiũ in ancipitẽ euentum emisit, & in eo puluerem Bombardicũ, & nonnihil frumenti, quod secũdo mari per medias Andiũ ducis regiarum copiarũ custodias elapsum, opportune obsessis subuenit. Vigesimo tertio Maĳ sex Heluetiorũ millia castris regĳs se coniunxerunt.

Vige-

Vigesimo octauo Maij terra mariq; res Guifiorum accidunt. Nam & pro- Anno 1573. pugnacula aliqua multosq; milites amiserunt.
Principio Iunij anno 73. recens miles ex præsidijs Belgicarum ciuitatũ ab Albano in castra ad supplementũ obsidionis missus est. Secundo Iunij Geusij occupato ruptoq; aggere Amsterodamo unico propugnacula excitarũt, ijsq; militem imposuerunt, qui ab ea parte commeatũ à castris Albanicis auerteret.
Andium dux postq; electionis suæ in regẽ Poloniæ factus certior, animũ ad coronationẽ adiecerat, & reliquus miles obsidionis pertæsus, illã solui optabat, paulò pòst pacis cõsilia sunt agitata. Itaq; euocatis ex urbe legatis eorum 5. Iunij huius anni postulata audiuit, & ad Regẽ perferri iussit. Et cum deinceps ultrò citroq; multa & à legatis Andici & Rupellensium de pace agitata fuissent, ac hi socijs quoq; suis subuenire eniterẽtur, concessa illis facultate, consilia sua cũ legatis Montalbanorũ & sociorũ, qui eo nomine Rupellã uenerant, cõmunicãnt, ac omniũ petitionis Andico offerunt, à quo ad regẽ sub finẽ mensis Iunij mittunt.
Nono Vranius Delphtis Leidam cõtendit, ibiq; exercitum auget, ut Harlemensib. subueniret, sed cùm id Albanici animaduertissent, & eius copias circumsessuri essent, re infecta, deserto etiam aggere, discesserunt.
Septimo Iunij cum nunciatum esset Regi Franciæ regnum Poloniæ à proceribus & ordinib. delatũ fratri suo Andiũ duci, magna solennitate & pompa Lutetiæ publicæ supplicationes habitæ, quibus Deo gratiæ agerentur, & gratulationis lætitiæq; causa ignes excitati, & multi apparatus facti.
Decimoseptimo Iunij Andiũ dux à legatis Polonis in castra ad eũ uenientibus, posteaquam in littore maris nauem conscendisset, Rex Poloniæ salutatur.
Vigesimo secundo Iunij, pugnatũ est inter Flisingenses & Middelburgẽses, in eo plio cecidit Dominus Catorenus summæ rei præfectus, qui Domino Belonisio successerat, postq; 8. Iunij Middelburgo Antuerpiam profectus erat, ut Albano nunciaret, quo in loco res Middelburgensium essent.
Ineunte Iulio mense noua auxilia Hispanorũ & Italorũ ex Italia & Germanorum ad obsidendum & oppugnandum Harlemum in castra aduenerunt.
Vndecimo Iulij Vuilhelmꝰ à Bronchorst Baro Batenburgicus cũ bene instructo exercitu plurimisq; curribus, armis, cõmeatu & tormẽtis onustis, ab Vraniõ & Hollandiæ ordinib. ac statib. mittitur ad opẽ ferendã Harlemẽsib. longa obsidione pressis, rerumq; omniũ necessariarũ penuria ualde laborantibus. Qui cũ castra Germanorũ inuasisset, acri pugna cõmissa profligati tandẽ sunt Vranij, cæsis amplius 1500. & in hac ipso duce, captis multis tormentis & signis & circiter 300. curribus. Decimotertio Iulij Harlemẽses, qui circiter octo menses obsidionẽ sustinuerant, ad summã rerũ omniũ inopiã redacti, extremamq; famẽ perpessi Albano deditionẽ faciunt, eius arbitrio uitæ necisq; potestate permissa. Imperatũ ne urbs diripiatur: sed ut eo nomine certa pecuniæ summa, scilicet bis centena & quadraginta aureorum millia soluantur.
Ciuitate Alemaniariorum in duas partes diuisa; quarum altera regi altera Vranio fauebat: utraq; contendente eam in sua potestate habere, Geusij Albanicos præueniunt. Nã duas ante horas præsidiũ introduxerunt porta Orientali quã Albani miles ad portam occidentalem aduenisset. Decimotertio Iulij cũ in Tlõmerensi præfecturæ Alzeanæ, ditioni Palatini Electoris subdito subiecto caper Schulteri Ioannes Kreffij in puteum, quem in area domus suæ habebat, incidisset, atq; ad eũ extrahendum primò filius Ioannes; deinde pater, tum filius Caspar, pòst mercenarius quidam Ioan. Hessus in puteum descendissent, subitò mortui conciderunt. Qua re à uicinis cognita, ordine tres in puteum fuẽre demissi, qui uix mediũ altitudinis, scilicet 10. pedes attigerant (erat enim ꝓfunditas totius putei 20. pedum, cuius aqua dimidiatam ultra non excedebat, ambitus 3. pedum) cum uires deficere sentientes, signo dato, educti instar morientium luridò in ore & pallore fuerunt. Tandem opera quarti Michaëlis Vuigri, qui q̃ celerrimè demissus, cum compresso anhelitu cuiusq; pedi sine mora funem allegasset, lin-

Anno 1573 set, singulatim quatuor illa exanima corpora euecta sunt.

Quinto Augusti Flissingenses potiuntur arce Ramencrensi.

Edictū regis Galliæ de pace inter se suosq; legatos & Rupellanos Montalbanos & Nemusianos, eorū socios & asseclas mense Iulio inita 11. Augusti, Luteriæ in curia promulgatur, & Rupella obsidione leuatur. Edicti prima duo capita hæc sunt.

Quæcunq; à uigesimoquarto Aug. ad edicti publicationem acta sunt in tota Gallia, ut pro infectis habeantur, & ex hominū memoria deleanť. Ne quis dein ceps è subditorū regis numero illa in mediū adferat, aut in memoriam reuocet. Deinde trium harū urbiū Rupellæ, Montalbani & Nemausi incolis nobilibus etiam, qui cū illis arma cœperunt publica religionis professio liberumq; exercitium concediť. Tum qui mortis metu perterriti coacti sunt religionem intercedente iureiurando abiurare, & missificationi interesse, in regnum restituunť, & sancti religione absoluuntur. Insuper urbibus illis licet suis uti priuilegijs nullo in urbem admisso præsidiario milite, sed datis regi ad bienniū ex singulis ciuitatibus 4. obsidibus, qui singulis trimestribus immutabunť, ut regi de earum ur bium obedientia melius cōstet. Sed plura referre capita superuacaneum fuerit, cum typis excusum extet.

Duodecimo Augusti in Voitlandia & Misnia tantæ fuere tempestates, tanti tamq; continentes imbres, ut fluuij & amnes multos pedes solito magis excrescentes ripas depopulantes, agros uastarint, ædificia quā plurima diruerint, pontes abripuerint, magnum hominū ac bestiarum numerū repentino impetu oppresserint, ingentemq; stragem in finibus illis ediderint, luctuq; & terrore omnia impleuerint. Solent eiusmodi illuuies præter detrimenta, quæ inferunt, maiores etiā calamitates pnunciare, ut inter pios, prudentes & doctos satis cōstat.

Decimotertio Aug. classis Albani ab omni apparatu milite, tormētis cōmeatu oīs generis instructa Antuerpia Middelburgū uersus soluit. Sed Flissingenses eos incœpta nauigatione inhibuerūt. Ita ut maior pars Middelburgū non appulerit, aliquot uerò ui uenti Flissingam, quam celerrimè pręter nauigantes nonnihil annonæ Middelburgum importarunt. Vigesimo primo Augusti Phrysiam Oceanus præter consuetudinem inundauit. Nam tametsi Corus qui inter Boream & Zephyrū medius est, aquas in obiectum sibi Phrysiæ sinū deferre soleat, quę cū ob aduersam uēti uehementiā retrolabi non possunt, intumescuit, & extollunť: tū nisi accedente aliqua tempestate aggeres non perrumpunt: At tum quod & incredibili ui uentus ille procellas maris in deiectas terras agitaret: & horrida admodū tēpestas exorta esset, imbresq; uehementissimi deciderent, aquæ mirū in modū excrescentes, non uno in loco, ut aliquādo fieri solet, sed plu rib. in partib. non tā perruperunt aggeres q̄ penitus solo adæquarunt. Itaq; longe lateq; planitiem peruaserunt, homines & pecudes inopinantes obiuerunt, fœnū quod in pratis erat abripuerunt, domos subruerunt, pontes deiecerunt. Plurimū aūt detrimēti hæc illuuies attulit ei Phrysiæ, quę cū Dania sinū fecit, & quæ occidentem respicit, quod mare, quod intra Hollandiā & Phrysiā est, aquis redundans per angusta ostia eas non possit exonerare uento & tēpestate obsistente, atq; ita maximo impetu in aggeres irrumpat. Pars illa, quæ Groningam spectat, quia nec prominet admodū, & duab. insulis ac promontorio quadā defendiť, non tantum damni accepit. Numerum pecudū, quæ in Phrysia Hispaniæ regi subiecta, inundatione hac perierunt, aiunt esse 36000. lisq;, quæ superstites sunt, pabulum deesse, maximosq; in reficiendis aggeribus sumptus in ducendo a esse miseri conqueruntur. Circa finē mēsis Augusti Geusij Montem Brabantiæ oppidum in suā potestatē redegerunt. Arcemq; in uicino pago Osterhusio munire cœperunt, quam tamen paulò pòst intellecto aduentu Hispanorum deseruerunt.

Circumuallati Sancenani à mense Martio, usq; ad mensem Augustum, cū infinita alia mala perpessi sunt: tū maximā famē tolerarunt, eò redacti ut non solū

equis & asinis, felibus, canibus, muribus, talpis, sed etiam corio, calceis, pellibus membranis, cornu tam crudo, quem fuso, & ad usum lucernarum applicato uescerentur. Fuêre quoq; parentes, q filiā infantē triennulam fame cōflictante exederent. Itaq; hac de causa supplicio affecti sunt. Fame tam saeua grassante populi magna pars interijt potissimum infimi de plebe, & ferè omnes impuberes. Itaque cum nihil haberent, praeter miseras animas fame semiextinctas Castrēo se his cōditionibus dedunt, ut uitae parcatur, ut ad edicti pacificatorij praescriptū, liberè eis religionem reformatam profiteri liceat, ut pro direptione mobiliū mulctam 40000. librarum soluant. Sed tamen postea milites multa oppidanis ademerunt, multos etiam praedijs suis exuerunt, quosdam necarunt, & moeniam urbis penitus diruerunt. Anno 1573

Decimoquarto Septemb. soluit Antuerpia Albani classis 35. nauium, quę 19. post die nulla re gesta redijt. Decimoquinto quidam ex nobili Familia de Banis à suo milite in Diuae Gertrudis monte, cui praeerat interfectus est, cū iam diu ante in suspicionē proditionis uenisset. Decimooctauo Sept. Hamburgi capitis supplicio affecti sunt, Ioan. Ersthusensis, q aliàs Ioannes paruus appellatus est, praefectus pyratarum cum omnibus suis socijs & asseclis, exceptis tribus pueris, quorum aetatis ratio habita est. Erat aūt colluuies hominum ex undecim diuersis nationibus congregata. Capti hi praedones fuerunt in Oceano Occidētali ab Hamburgensibus 10. Septemb. & 11. eiusdē in urbē adducti, & in carcerē coniecti. Vigesimo Septemb. ingens nauale praeliū inter Albanicos & Geusios praesertim Enchusianos non procul Amstetodamo ipso Albano spectante commissum est: quo Albanici superati fuêre, magna nauium parte amissa.

Vigesimo octauo Sept. Heinricus Andicus electus rex Poloniae cum legatis à Poloniae statibus & ordinibus in Galliam missis in Poloniā profecturus Lutetia discedit quem rex Franciae constituerat usq; ad fines regni comitari, sed est in itinere periculosa febri correptus esset, Vitriaci ei ualedicit.

Quarto Octobris magna pars praesidij, quod in arce Antuerpiensi erat, Bredam cum tribus tormentis magnis contendit, ut arcem Osterhautanam recuperarent: sed Vranij non expectato hostium aduentu, ex ea discesserunt.

Ioannes Austriacus 7. Octobr. quo ante biennium uictoriam maximam consecutus fuerat, cum insigni classe Philippi Hispaniae regis soluit Drepano Siciliae portu, & cum 105. triremibus armatis & 40. nauibus in Aphricā circiter meridiem diei sequentis appulit, quem rectā sequebatur Andreas Aurea cum 29. Hispanicis, & aliquantò pòst Dux Sessianus cum 14. triremibus Pontificijs & Florentinis. Ac cum Guletae Austriacus intellexisset Mauros & Turcicum praesidium quod 3000. erat, Tuneto discedere, postridie milite in terrā exposito 2500. Tunetum mittit, qui nunciant circiter 40. millia oppidanorum abijsse. Ita que nullo resistente urbem capiunt. Erant in arce ducenti forte Mauri ab Amida rege custodiae causa collocati, qui Austriacum postero die cum exercitu aduenientem in arcem admiserunt. Ibi à Bisenanis certior fit, orta inter ciues dissensione, quadringentos Turcas ex praesidiarijs Bisenam, quae olim Vtica dicebatur, occupatum uenisse. Et cum ui ingredi uellent, & ab oppidanis prohiberentur, acriter pugnatum, dum Bisenani 150. captiuos Christianos, qui erant in duabus triremibus Turcicis cathenis soluerunt, & armarunt: quorum auxilio Turcas profligarint, & triremes cœperint. Quare de uoluntate oppidanorum Salazaram Hispanum isthuc mittit, qui eos in fidem regis Hispaniae suscipiat. Amidam regem quod factiones fouisset, ueros q; regni haeredes eiecisset, & Turcas sollicitasset, captiuum cum uxore & liberis in triremem detrusit, & in Siciliam misit. Ei successorem in regno designauit Mulcassem adolescentem iureiurando ante se ut Vasallum regi Hispaniç obstrictū, cuius Imperata facturus, propositasq; cōditiones seruaturus esset, & urbis munitioni Serbellanū praefecit.

Vndecimo Octob. commissa est magna naualis pugna inter Regios & Vrahios in mari Hollandico, quod Zuuider Sehe uocant. Cūm 24. horas dimicatū

 esset,

Anno 1573 esset, tandē Comes Bossensis Thalassiarcha, Dominus Grüningensis, & alij cōplures nobiles à Geusijs, ijs præsertim, qui Zyrixea Enchusianis subsidio uenerant, capti, & Hornam deducti sunt. Naues multæ in Geusiorū uenerunt potestatem, & in his ipsius quoq; Thalassiarchæ nonnullæ etiam tormentis in fundum deiectæ. Potiti sunt in naue Comitis 32. æreis tormentis maioribus, in alijs 10 ferreis minoribus.

Decimosexto Nouemb. soluit Antuerpia classis Albani 54. nauiū duce Domino Beamiosio. Decimoseptimo uenit Bruxellas Brabantiæ magnus Castiliæ cōmendator, præfectus Mediolanensis, ut Albano in gubernatione Belgij succedat. Nam Albanum cum filio suo, Varga & Secretario Rex non cum bona gratia in Hispaniam reuocauerat. Circiter hoc tempus Genlisius, quem ad Diuum Gislenum cum militem Montium subsidio duceret, captum supra notaui, in arce Antuerpiensi strangulatus est.

Vigesimo secundo Nouembr. Flissingenses cum uesperi accepissent, classem illam 54. nauium prope Armudam, tam redeuntis æstus maris, quàm dies expectandi gratia iactis anchoris subsistere, confestim instructa classe ei obuiam contendunt. At regij conspectis procul hostibus, non expectato eorum aduentu, sublatis anchoris se recipiunt. Hos Flissingenses ad portum Bergensem usq; insecuti Romestrialum, quò se pars illorum militum receperat, confestim obsident.

Trigesimo Nouembr. Albanus omni se Imperio Bruxellæ abdicat.

Primo Decemb. Iulius Echterus electus est Episcopus Vuirceburgicus, successit Friderico Vuirceburgico, qui proximè superiori mense mortem obierat.

Octauo Decemb. admodum horrenda fuit Lunæ defectio, quā se terribiliorem non uidisse multi uiri docti confirmant.

His diebus detecta est conspiratio aliquorum militum præsidiariorū & ciuiū Rupellanorum, qui consilium iniuerant de occupando ciuitatis dominatu, omnibusq; alijs sine discrimine nulla nec cōditionis, nec sexus, nec ætatis ratio habita interficiendis. Coniuratorum quidam comprahensi, quæstioni subditi, & supplicio affecti sunt. Non multò post miles quidam attulit ad magistratum pixidem ueneno plenam. Vigesimosexto Decembris Rostochij & in uicinia sæua fuit tempestas, fulgura conspecta, & audita tonitrua.

CONTINVATIO ANNI SEPTVAGESIMI QVARTI, SVPRA
Millesimum Quingentesimum, rerum memorabilium in
diuersis orbis terrarum plagis gestarum.



Anno 1574 Vigesimoquarto & 25. Ianuarij, Classis 30. nauium ab omni re munitionū bene instructarū Antuerpia soluit, ut Middelburgensibus subueniret. 26. die, dum progrediuntur ferreum tormentum dissilijt, cuius fragmētis circiter 30. homines perempti læsiq; sunt. Deinde nauis impegit, & collisa undiq; demersa est, ijs tamen, qui inerant, seruatis. Alia quoq; nauis prope Romerschreallum undis, unà cum omnibus rebus & hominibus perijt. Cùm Montium appellerent, & in speciem triumphi & honorē Gubernatoris è portu prospicientis, singulæ naues singula tormenta desploderent, forte inde puluis unius nauis malè custoditus ignem concipiens horrendum sanè præbuit spectaculū: naue omnibusq;, qui in ea erant, in aëra magno repentinoq; impetu raptis. Aucta ibi classis cum circiter 80. nauibus constaret, uersus Middelburgum contendens obuiam habuit hostiū classem. Strenuè igitur pugnatum est aliquandiu utrinq;. At cum hostes 5. naues debellassent, & in his supremi legati, Ammiralij & Vicarij, reliquæ se in fugam conferentes, uela Montium uersus conuertunt, quas hostes insequentes adhuc aliquas assecuti, in suam potestatem redegerunt. Magnum detrimentum Rex Hispaniæ hac expeditione accepit. Amissæ enim sunt naues magnę militares 19.

Occisus

Occisus Ammiralius cum compluribus militibus, præsertim Hispanis ueteranis, captus Vicarius Ammiralij cum multis alijs. Qui summæ rerum loco Domini Beonisij id temporis ægroti præfectus erat Iulianus Romanus naue sua omnibusq; quas secũ & milites & nautas habebat, perditis uix scapha solus euasit. Anno 1574

Eadem hebdomade ab ordinibus & statibus Brabantiæ, curia regis nomine iterum petijt duos illos millianos auri, quos ante Albanus unà cum collatione 240000. florenorum, & tributo centesimi nummi. Circa finem huius mẽses Christophorus Palatinus minimus natu filius Friderici Palatini Electoris & Ludouicus atq; Heinricus Comites Nassouij milite inermi subito collecto, delectum Carpeni egerunt, Vranio auxilium laturi.

Mense Februario ex Belgio allatum est, Vranium & fratrem eius Ludouicum molitos esse ex insidijs & per proditionẽ occupare Traiectum superius ad Mosam, quòd hodie Mastricum uocamus, Antuerpiam, Valencinam, Gandauum, sed machinationes has patefactas successum non habuisse.

Quarto Febr. Tuneto Romam allatum est ducentos Sarberloni pedites, & 150. equites adiunctis sibi auxilio 4000. Mauris eruptione facta aggressos esse circiter 1500. Turcas, & 3000. Arabum, qui de bonis Tunetanorum prædabantur, Tunetanosq; uexabant, uarijsq; molestijs afficiebant, in primis uerò cõmeatu alijsq; rebus necessarijs prohibere conabantur, sed Mauris pugnam detrectantibus, & in fugam se dantibus, 150. Christianos cum duobus tormentis captos esse. Etsi Sigismundus Augustus Rex Poloniæ mortuus est mense Iulio anno 1572. tamen examine eius corpus nõ ante humi cõditũ est, quàm electus ab ijs Rex in Poloniam uenit. Itaque 10. demũ Februarij huius anni finis Vuarsouia Crocauiam traductũ, & exequiæ magna pompa usque ad 13. diem Februarij celebratæ.

Decimo octauo die Februarij cum proceres regni cum summo apparatu regi obuiam processissent, ingressus est nouus Rex splendidissima pompa regiã urbem & arcẽ Cracouiam. 21. Febr. in summo tẽplo maximo legatorũ procerũ regni & populi conuentu, solenniq; apparatu, præscripto iureiurando pstito coronatus est, ab Archiepiscopo Gnesneñ. Decimo nono Febr. Middelburgũ Metropolis Zelandiæ deditione captum est. Militibus, sacrificis & monachis parcitum, ita tamen ut simplici uestitu amicti Cruduri alijs omnibus rebus in urbe relictis, quàm primùm ea excedant. Tribuni militum & centuriones Flissingam captiui deducti. Summus eorum præfectus Mondragonius Hispanus data fide ad Gubernatorem siue legatum regis Hispaniæ Antuerpiam missus est, ut de permutatione captiuorum cum eo agat. Oppidanis summa centum miliũ aureorum imperata. Reliquorum bona Vranius occupàuit: qui cum trecentis ciuibus uicinorum oppidorum urbem est ingressus.

Vigesimo primo Febru. Turcæ magnis copijs de improuiso noctu Canisum inuadentes captis interfectisq; amplius mille hominibus, & pago direpto, & concremato usq; ad arcem exusto, eòdem unde uenerant, cum magna præda regressi sunt: præsidio, quòd in arce collocatum est, incendium magno animo dolore spectante, sed quòd numero hosti impar esset, uim illam à pago propulsare nequeunte.

Mongomerius circa finem huius mensis, in Normandia potitus est primò Carentano, eiq; præsidium reliquit filium suum: deinde S. Lo eiusq; defensionem commisit Columbiero, tum Donfreno. Hugonotti in Pictonibus occuparunt Fonteneium, Lusignanum, & Talmonum. In Lugdunensi prouincia Maleuallum, & arcem Peretum, & nonnulla alia loca.

Vigesimo sexto Febr. in consilio aulico Regis Franciæ, cõstitutum, arma aduersus Hugonotos esse capienda. Penultima Februarij regi Franciæ ad S. Germanum cum aula commoranti ad uesperam nunciatũ est, aduentare 500. equites, ipsum inopinantem oppressuri. Qua re audita non mediocriter perturbati aulici, plærisq; ea ipsa nocte summa contentione Lutetiam profugiunt, po-

stera

Vigesimo primo Aprilis decessit Cosmus Medices Hetturiæ Dux eiusque maximo natu filio Petro commissa est à primatibus administratio ditionum à patre relictarum. Huic Papa in litteris suis consolatorijs, quas ad eum ultimo huius mensis scripsit, dicitur tribuisse titulum Magni ducis Hetruriæ, quē primum patri eius ante quadriennium Pius V. Papa cōtulerat. Anno 1574

Quinto Maij è Corcyra Venetis nunciatum est, Albanos siue Epirotas, cùm intellexissent Turcas iuxta pacta possessionem Sapoti apprahensuros, se incolis qui sub potestatem & tyrannidem Turcicam redire nolebant, coniunxisse, & ex insidijs circiter 300. equites Turcas adortos ad unum omnes trucidasse. Itaq; Quirinum eò cum copijs missum, & ut Albanos pacet, & in autores huius facinoris animaduertat, & possessionē ciuitatis Turcæ tradat. Etsi uero hac cæde commissa Albanorum 7000. conuenerant, opemq; à Papa implorarant: tamen postea Veneti Sapotenses in ius Imperiumq; Turcicum transigere coēgerunt.

Vndecimo Maij Venetijs Palatium S. Marci, magna ex parte cōflagrat.

Decimoquinto Maij iterum magnum incendium Venetijs excitatū est, quò multæ tabernæ omnis generis mercibus plenæ, cum magna mercatorum iactura, inflammatæ sunt. Vigesimoquarto ex Gallia nunciatum est, ducem Alanzonium & regem Nauarræ publicè declarasse, se coniurationis aduersus regem nec con'c'os, nec participes esse, sed constituisse ad reginam Angliæ, & principem Vraniæ proficisci, à quibus uocati essent: cū Alanzonius exiguam sibi in Francia ditionem esse, Rex aūt Nauarræ maximam regni sui partem occupatam, quęrerentur.

Vigesimoquarto Maij Bruxellis Brabantię incendio correpta est, cùm ingenti fragore mola pulueris tormentarij, turrisq; ei uicina, in qua reposita erant 50. uascula puluere illo repleta, cuius ui turris illa & coadiuncta mænia ad 20. cubitus ex fundamētis deiecta, subtractis in aëra saxis & lapidibus, & procul ab urbe decidentib. diuersis locis uir & equus oppressi: In urbe & extra urbem maximo illo impetu plurimorum ædifitiorum tecta, unà cū fumi receptaculis, quæ supra ædium culmina attolluntur quassa ac diuulsa, fenestrę, uno quasi momento disiectæ, homines 15. interierunt.

Vigesimoseptimo Maij Mongomerius, cum diutius obsidionem & oppugnationem arcis Donfroniæ ferre non posset, se dedidit Domino Marignoni regis Vicario in inferiori Normandia absente, duce Boullonio. Is postea Lutetiæ supplicio affectus est. Trigesimo Maij, qui dies fuit Pentecostes Carolus IX Franciæ Rex mortuus est. Eodem die Henricus rex Poloniæ, in demortui locum declaratus est Rex Franciæ.

Vltimo Maij, re bene ad Neomagū à regijs gesta insolētia elati sub specie, non solutorum stipendiorū Hispani seditione facta à signis discesserunt, & cùm circiter 4000. conspirassent, primò clam, mox ui Antuerpiā irrumpentes, instructa acie in forū progressi, & magna uociferatione pecuniam poscentes, magnum omnibus metum terroremq; iniecerunt. Inde excubijs præsidijsq; dispositis, & in quam cuiq; libuerat domum dimittentes, nonnullis etiam ædibus & in his Gubernatoris Antuerpiensis expilatis, ipsoq; Gubernatore eiusq; milite præsidiario urbe pulso, totam ciuitatē dominatu tenuerunt, nequicquam Gubernatorem Belgij ueriti, qui in mercatorum Saxonum domum secesserat. Causam huius tumultus prætendebant, quòd multorum mensium, imò circiter trium annorum stipendia sibi deberentur, quorum solutionē flagitabant. Itaq; ciues ut ab ea infinita licentia, ui & dominatione se liberarent, & eis satisfacerēt, summo studio summaq; cura incubuerunt. Itaq; cum q̃ poterant maximam pecuniæ uim ad 400000. collegissent, nec illa ad solutionem sufficeret, & partim aliæ res in æstimationē illis datæ, partim reliqui, quòd postulabant præstatio ad certum diem pro-

missa

Anno 1574 missa esset. Vltimò Maij, cum supremus Gubernator ueniæ huic facinori datæ, impunitatisq; fidem ijs sancti religione in præcipuo templo fecisset, iterum se ad obediendum regi iureiurando obligarunt, qui 2. Iunij Antuerpia Holandiam uersus profecti sunt.

Dum metu seditiosorum illorum militum, ne eas inuaderent, Ammiralius naues bellicas, omni'que apparatu militari adornatas, ex portu Antuerpensi ad aliquot ab urbe miliaria educit: Geusij ea re cognita, ultimo Maij, quo milites illi in urbe triumphabant, aliquas ex his cœperūt, aliquas etiam tormentis afflictis in aquas merserunt.

Circa principium mensis Iulij Ericus dux Brunsuicensis, & Otto Comes Schaumburgicus 4000. equitum regi Hispaniæ militatum in Belgium adduxerunt.

Eodem mense 1500. equites à Petro Ernesto Comite Mansfeldico, Gubernatore Lucelburgensi illius regis nomine conscripti, in regionem illam uenerunt.

Primis etiam huius mensis diebus à regijs obsessum est Gorcum.

Iidem circumuallarunt Bomelum.

Octauo Iulij literis Marsiliæ datis, nunciatum est tres naues à Turca Regi Franciæ dono missas, in quibus erant Equi, Leones, Panthiræ & aliæ res. Quod idcircò fecisse existimatur, ut classis sua se in portum Tolonensem in hyberna recipere posset. Sed intellecta Regis morte unam ex his Constantinopolim rediisse, ut & Turcæ mortem regis significaret, & quid faciendum esset cognosceret.

Decimo Iunij oppidum de Sainct Lo expugnatum est, à Vicario regis in Inferiori Normandia.

Decimotertio Iunij Constantinopoli à certis hominibus perscriptum est, inter Imperatorem & Turcarum principem inducias, ad 5. annos factas esse.

Decimoquarto Iunij ex Anglia scriptum est reginam multis collectis copijs terra mariq; se firmis præsidijs munire, & magnam classem apparare.

Sabaudiæ Dux de regis Franciæ morte certior factus, ut fines suas muniret, magnum militum numerum conscripsit. Idem 26. Iulij Venetias ad excipiendum Franciæ & Poloniæ regem uenit.

Turcica classis fluctibus agitata detrimentum accepit.

Decimoseptimo Iunij Heinricus Franciæ & Poloniæ Rex cum splendidè in cœna tractasset Poloniæ proceres, noctu cum quibusdam suis ministris tacitè ac clam Cracouia abijt, & magnis itineribus quàm longissimè potuit procedens.

Vigesimoquarto Iunij Viennam ad Imperatorem uenit, à quo cum humaniter ac perhonorificè admodū exceptus esset. Vigesimonono Viennà discedens, Venetias appulit. 15. die Iulij, ubi nihil prætermissum est, quod ad regium planè apparatum, ac splendorem magnificentiamq; pertineret.

Commoratus illic est ad 27. Iulij, cum eòdem gratulandi causa conuenissent multi Italiæ principes ac proceres, reliquorumq; legati.

Vigesimotertio Iunij Romæ duo in puteum purgandi gratia missi subitò interierunt, tertius cùm nondum ad aquam descendisset nimio fœtore languens semianimis extractus est. Canes & aliæ bestiæ in eum delatæ, simul atque halitum senserunt, mortuæ conciderunt. Fax incensa ut primùm admota fuit, extincta est.

Mense Iulio In Calabria cæsi & capti sunt 300. Turcæ, qui aquandi & prædandi causa in terram descenderant.

Monbrunus captu Hugonotorum in Delphinatu extinctus est ex uulnere, quòd accepit apud oppidum Dia, ubi & uicarium suum, & multos pedites amisit. Princeps Delphinus cum equitibus mille & aliquot millibus


pedi-

peditum conatur, ex Rhodani tractu pellere ac conijcere Hugenotos. Anno 741
Hoc mense conspecta sunt, in mari prope Tunetum circiter 350. uela
Turcarum. Cum his ut se coniungant ad obsidendam oppugnandamque
nouam arcem à Serragliono ædificatam, atque Guletam maxi-
mæ copiæ Maurorum, Algierensium, Tripolitano-
rum & Zerbitanorum, præsto es-
se dicuntur.

FINIS.

BASILEÆ, EX OFFICINA HEN-
RICPETRINA MENSE AVGVSTO,
ANNO M. D. LXXIIII.





D. AMANDO NEApolitano, Calonius Sincerus, S.



Ypographo sæpius me roganti, ut quæ ab eo tempore, in quo epitome rerum in uarijs orbis partibus gestarum desinit memorabilia, usque ad hunc mensem accidissent, ea summatim annotarem, & appendicis loco, ut factum est in Eusebij, D Hieronymi, Prosperi Aquitanici & aliorum quorundam chronicis ad finem huius operis adiungerem, hactenus multis de causis negaui. Quod enim cùm in toto hoc Opere colligendo & digerendo exquisitius iudicium, tum in illa ipsa epitome accuratiorem obseruationem earum legum, quæ tum Historiarum, tum annalium scriptoribus propositæ esse debent, non immeritò prudens & eruditus Lector desiderare posset: nolui his annalibus continuandis pro eo haberi, atque si illa, quæ in doctorum reprehensionem incurrere possunt, re ipsa approbarem. Deinde à continentibus multorum annorum Chronicis meis hanc duorum annorum quasi particulam, me commode secernere, & alieno operi iam typis excuso attexere posse, non putaui. Verùm cum instaret apud me Typographus & multum sua interesse ostēderet, si ad hęc usque tempora annales in hoc suo opere perducti essent, malui ipsius desiderio obsequi, quàm meo iudicio & uoluntati satisfacere. Sed tamen ea lege typographo hoc additamento gratificari uolui: quòd si quid admissum sit ab alijs, id mihi præstandum non sit, vt enim iniqui arrogantisq; hominis est, ex alienis laboribus sibi laudem & lucrum quærere, sic imprudentis alienam in se culpam atque inuidiam deriuare. Ad hanc uerò meam ἀποσημειώσιν quod attinet, conatus sum simpliciter, breuiter & uerè summa rerum quæ hoc biennio euenerunt, capita bona fide memoriæ prodere. Ac ne qua sit gratiæ, ne qua odij suspitio: abstinui me ob omni ferè & laudatione actionum præclararum & uituperatione turpium: Quãquam non ignorem, si hęc fiant mo-

VVuu 3 dicè

dicè & temperatè in laude ponenda esse. At in ijs modum excedere & immorari, non modò non est annalium scriptoris, sed nec historici quidem. Ac tametsi ἐπαινετικὸν in hoc scribendi genere horum habent: tamen nunquam ferè meum interposui iudicium, id maximè spectans quod annalium proprium est, ut quomodo & quando quidq; accidit, id uti ab alijs accepi & cognoui, in nullius hominis gratiam aut inuidiam uerè, candidè, nudè, simpliciter & breuiter in hos annales digererem. Itaq; si aliquando ex aliorum relationibus lapsus sum, errata illa statim atque cognouero, studiosè tollam. Hanc autem meam operam quæcunque ea sit, tibi dicare uolo, cùm quod & in primis sis eruditus, & erga literarum studiosos doctosq; uiros propensus & liberalis eorumque eximius Patronus, tum quod singularis tua aliquot iam annos in me fuerit humanitas & beneuolentia. Quæ si tibi grata fuerit, non malè me eam posuisse existimabo.

Vale, quinto Calend. Augusti Anno CIↃ. IↃ. LXXIV.





